
FORT
HILL


LURLEY
MANOR






S.P.Q.R.
L. ANNAEI FLORI
RES ROMANAE
CUM NOTIS
JOAN. GEORG. GRAEVII.
apud
J. Ribbium
M.DC.LXXX
R. de Hooghe inv et fec:



# L. ANNAEUS FLORUS

*Recensitus & illustratus*

A

OANNE

GEORGIO GRAEVIO.




TRAJECTI BATAVORUM
pud JOANNEM RIBBIUM.
*CIC ICC LXXX.*

# SERENISSIMO

## PRINCIPI

# GUILIELMO

# HENRICO

Dei gratia Principi Arausionensi, Nassovio Comiti, Catimeliboci, Viandae, Dietziae, Lingae, Meursae, Burae, Leerdami, Verae, Vlissingæque, Marchioni Bredae, Gravae, Dioeceseos Cukianae, Diestae, Grimbergae, Heristalli, Cranendoncki, Varnestoni, Arlaei, Noseroci, S. Viti, Dasborchi, Polani, Wilhelmostadii, Nirvartii, Iselsteini, S. Martinodici, Montis Gertrudis, Castellorenardi, Superioris atque inferioris Svaluae Domino Baronique Antwerpiæ, Bisontii Burggravio, ut & Geldriae, Hollandiae, Zelandiae, Westfrisiae, Ultrajecti, Transisulaniae, & Trentiae Gubernatori hereditario, Foederatorum Belgarum Imperatori Summo.

*INter faustas omnium voces ac vota, quæ boni quot quot cives sunt pro Tua salute, Tuæque Domus incolumitate faciunt*

*quotidie, pietas mearum Musarum non potuit sibi imperare, quin ad Tuum, Serenissime Princeps, pulvinar publice votivam hanc tabulam appendat. Immortalium enim beneficiorum Tuorum, quibus tantum debemus, quantum nemo cogitatione potest aßequi, conscientia nos dies noctesque sollicitat, & tanquam acerrimus flagitator aßiduo convitio nos urget, ut gratæ voluntatis, quas quique pro nostra facultate possumus dare, significationes nusquam non eluceant. Nam quod a fati limine in lucem quasi revocati vivimus, & liberum trahimus spiritum, quod Respublica mille morbis ac miseriis, mille periculis domi forisque circumsessa revixerit, & turbulentißimis, quibus jactabatur, tempestatibus emersa stet, & etiam nunc contra variorum in-*

*nsidias & petitiones infestas munita luret, id omne tui est muneris & beneficii, quem benigna fata singulari sollertia sic finxerunt & formarunt, ut non hominum suffragiis lectus, sed cœlo missus esse videaris, ut nostrorum malorum vindex, perditorum restitutor, & melioris spei, fortunæque secundioris inceptor esses & perfector unicus, & nunc certissima salutis nostræ tutela. Nulla temporis longinquitas, nulla fortunæ injuria poterit unquam obliterare pulcherrimum, qui omnes triumphos & laureas excedit, titulum servatorum civium, quem immerito sibi tanto vindicabant studio illi Imperatores, qui servatores civium volebant audire, cum nullos servassent, nisi quibus eorum parricidale ferrum pepercerat. Crevisti quidem hanc gloriam jure hereditario. Nam ut Ma-*

*jorum Tuorum sapientia hæc Respublica condita, & ex parvis & humillimis initiis ad voto majorem provecta potentiam est: Sic amissa nuperius domesticis furoribus & hostili incursu, recuperata est Tuo consilio, virtute, cura, providentia, & quasi renata, ut diem istum, quo fortem illam & felicem dextram admovisti clavo reipublicæ, alter illius sit natalis. Africam tradunt non nisi a Scipionibus, occulto fatorum decreto, potuisse pacari & subigi. Verius est sociatam Belgicam a solis Principibus Nassovii sanguinis potuisse servari. Si paganorum superstitionem non ejurassemus, jam pridem Illustrissimæ Tuæ Genti decreti essent flamines, aræ, delubra. Etenim si Herculem & Romulum, aliosque heröes in cœlum collocarunt meri-*

*ta*

*ta, quibus ſuos devinxerant cives, quanto meliore jure Vobis tribueretur hic honos, quorum ſtudia & merita in hanc Rempublicam tanta ſunt, ut ſine illis nulla eſſet. Licet autem nulla Vobis ponantur templa, nec hoc Chriſtianorum ſacrorum fas permittit, & Vos merito rideatis veſaniam, qua nati homines humanum faſtigium ſupergreſſos honores affectant; Vos tamen jamdudum Veſtræ conſecrarunt res præclare pro ſalute & dignitate Reipublicæ geſtæ, quas omnium gentium & populorum, ipſorumque hoſtium annales, memoriæ, laudes, uno velut ore in cœlum ferunt. In civium vero animis excitaſtis Vobis monumenta omnibus templis perenniora, quæ nec cælo tangi, nec ab Heroſtratis deleri, nec*

*ulla vi hostili temporumque diuturnitate labefactari possunt, amorem, obsequium, cultum & venerationem sempiternam. Deus ter Optimus faxit uti, qui nunc Pater es Patriæ, brevi quoque sis Pater Principum, qui Tua Tuorumque Majorum beneficia propagent ad seram posteritatem: utique Rempublicam, quam lateritiam invenisti, cum aliquando cœlo, unde ad nostræ salutis custodiam demissus es, redonaberis, relinquas auream.*

Serenissimo Nomini Tuo
perpetuo devotus

JOANNES GEORGIUS GRAEVIUS.



# LECTORI BENEVOLO.

L. Annæi Flori epitome, quo posterioribus temporibus, cum pro hominum illorum socordia præstantium scriptorum volumina grandiora sorderent, plurium describebatur & terebatur manibus, tanto flagitiosius fuit corrupta, & fœdioribus inquinata maculis. In illis expungendis, & pristina sanitate redintegranda, cum post tantam & tam longam noctem pulcherrimarum artium lux exoriretur, multum studii operæque posuerunt, qui ingenio & doctrina præ ceteris, suo quisque seculo, floruerunt, Elias Vinetus, Justus Lipsius, Joannes Gruterus, Claudius Salmasius, Joannes Freinshemius, Adamus Rupertus, & nuperius Anna Tanaquilli Fabri filia. Hoc tamen Augiæ stabulum non sic potuerunt purgare, quin multa relinquerentur posterorum industriæ ac sollertiæ. Nec nihil ad cumulandos hos nævos ipsa scribendi ratio, quam secutus est Florus, contulit. Nam cum ablatus depravata declamatorum ætatis suæ dicendi consuetudine, multum descivisset a nativa illa & infucata castitate & candore sermonis Latini, qui in Tulliani &

Au-

Auguſtei ſeculi ſcriptoribus effulget, & cincinnis ac calamiſtris declamatoriis, conciſis & abruptis ſententiis, nec nec acuminum argutiis ſuam ſæpe coecaſſet orationem, rudes barbarorum ſeculorum homines,quæ non capiebant, interpolarunt crebrius,& audacius, quod & Valerii Maximi fatum fuit, qui laborat quoque & ſui, & ſequentium ſeculorum vitiis. Diſſiteri nemo poteſt, qui quidem in idoneorum Latinæ linguæ auctorum, qui nondum a declamatoribus erant corrupti, lectione verſatus eſt, & veram dicendi viam tenet, multa in Floro paſſim occurrere, quæ minime ferent aures teretes & religioſæ; & tam in ſententiis, quam in verbis eſſe multa κακόζηλα, inſana, μειρακιώδη. Reprehenditur a Marco Seneca, Philoſophi Patre, Muſa Rhetor, quod de ſiphonibus & ſparſione dixerit: *cælo repluunt imbres odoratos:* & de ſubitis mortibus: *Quicquid avium volitat, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit noſtris ſepelitur ventribus. Quære nunc cur ſubito moriamur. Mortibus vivimus.* Caſtigatur a Dionyſio Longinus Gorgias; quod vultures dixerit *viva ſepulchra.* Num ſaniora ſunt quæ Florus lib. I. cap. 13, de Gallis, qui Romam incenderant, ſcribit, illos ſubito Camillum a tergo aggreſſum adeo cecidiſſe, *ut omnia incendiorum veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret?* Nec melioris notæ ſunt quæ libro 11, cap. 17. de Decimo Bruto prodidit: *peragratoque victor Oceani littore, non prius ſigna convertit, quam cadentem*

in

*in maria solem, obrutumque aquis ignem non sine quodam sacrilegii metu & horrore deprehendit*; quod dudum merito divini Scaligeri obelis est confossum. Et lib. IV, 6. de ingentibus navibus Antonii: *non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur*. Nec non lib. II, 6. cum dixisset commissam aciem secutum ingentem tremorem terræ, putidissima sunt quæ addit: *nisi illum horrorem soli equitum virorumque discursus, & mota vehementius arma fecerunt.* Hæc non modo extra sanitatem, sed extra naturam sunt, ut verbis utar Senecæ. Romanorum scilicet, non orbis terrarum, sed universi dominorum, magnitudini omnia cedebant. omnia illi poterant, dimicantes terram movent, navigantes gemitum mari exprimunt, ventis laborem afferunt & molestias in propellendis eorum navibus, sed ipsi quoque Oceano leges parendi dixerunt, qui illis invitis non audet irasci. Quid enim aliud sibi volunt illa libri III, cap. 10: *Cum majore quam prius præda revectus est, ipso quoque Oceano tranquillo magis & propitio, quasi imparem se fateretur*. Quippe ni? cum coactus fuerit ad illorum nutum se componere, non secus ac regulus quidam stipendiarius. Nam cum in ponto Euxino, quem, tanquam maris mediterranei partem, ex Oceano terras irrumpere veteres, quamvis falso, credebant, lacerata esset Mithridatis classis, subjicit libro III, 5: *Plane quasi Lucullus quodam cum fluctubus procellisque commercio, debellandum tradidisse regem ventis videretur.* In Poëta

hoc

hoc esset tollerabile, licet & hæc hyperbole modum excedat. Vere enim monet Quintilianus in Institutionibus Oratoriis : *Quamvis omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum. nec ulla magis via in* κακοζηλίαν *itur*. Sane hæc omnia ventosa sunt & enormia, qualia illa Cestii, quæ Seneca ridet 1. Suasor: *Fremit Oceanus quasi indignaretur, quod terras relinquimus*. Putide non nunquam eruditionem ostentat & non suo loco. Libro I. cum dixisset Fabium Maximum captis superioribus jugis in subjectos suo jure detonuisse, subnectit: *ea namque species fuit istius belli, quasi in terrigenas e cœlo ac nubibus tela mitterentur*, ne scilicet prætermitteret occasionem gigantomachiam inculcandi. Belle sane & tempestive! quasi omnes qui e loco superiore pugnant sint Joves, & hostes in humiliore solo sint gigantes. Sic lib. II, cap. 2. de Calpurnio Flamma, qui ab hostibus insessum collem occuparat, & jam diu sustinuerat impetum hostium, donec omnis transiisset exercitus, subtexit ineptissime: *Sic pulcherrimo exitu Thermopylarum & Leonidæ famam adæquavit, hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ superfuit, licet nihil scripserit sanguine*. Papæ quantum est doctum esse, & ut alii id sciant testatum facere! Unde nobis enim potuisset constare Florum legisse Græcorum historias, & illas tanquam ungues suos tenuisse, nisi tam reconditam doctrinam hic venditasset nobis? Sed hæc ostentatio vide quo evaserit. Non solum

impor-

importune hic inculcatus fuit Leonida, & ſtulte cum illo confertur Calpurnius Flamma, ſed pueriliter hallucinatur, cum Leonidæ tribuit, quæ dicitur Othryades, tropæum ſuo ſanguine ſcribens, feciſſe, quem errorem jam alii notarunt. Non minus inſanit importuna commemoratione portus marmorei, & fontis Arethuſæ in obſidione Syracuſarum: *Longe illi triplex murus, totidem arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethuſæ.* Quid iſte fons faciebat ad tutelam urbis? Quid non longe poſt inſani montes ad Sardos vindicandos, quos inepte ingeſſit, ut recte notavit Salmaſius. Exagitatur a Plutarcho Hegeſias in Alexandri Magni vita, quod, cum narraſſet eadem nocte natum Alexandrum, & Epheſiæ Dianæ templum deflagraſſe, ſubjecerit, minime id eſſe mirandum, quod Diana, cum in partu voluiſſet Olympiadi adeſſe, afuerit domo. Tantum in hoc dicto frigus eſſe prædicat Plutarchus, ut extinguere poſſet ipſum incendium illud, quod templum delevit, quamvis non ignorem id laudari a diſertiſſimo Romuli nepotum, adſcribique Timæo. Sed judicium Plutarchi hic merito probatur. Verum num minus frigida eſt ſententia Flori lib. II, cap. 8. cum inter prodigia retuliſſet Cumanum Apollinem ſudaſſe, acutiſſime, ſi Diis placet, adjicit: *Sed hic faventis Aſiæ ſuæ numinis timor erat.* Murrhedii ſtuporem accuſat Seneca, quod in Declamatione de Pompilio ferente cum capite Ciceronis amputa-

puta-

putatam manum dixerit: *Quanto aliter reus Ciceronis tenebat manum?* Æque stupidum est istud Flori in libro 1. de Bruto exspirante in Aruntis, quem occiderat, corpore, *plane*, inquit, *quasi adulterum ad inferos sequeretur*. Non minus hebet acumen lib. 11, cap. 12. de duobus juvenibus, qui ferebantur ad Junturnæ lucum nunciasse victoriam de Perseo, illo die quo parta erat, quos vulgus crediderit fuisse Pollucem & Castorem, quod gemini fuissent; quod sanguine maderent, bello interfuisse. Si hic desiisset; non ineptiisset. Sed cum prioribus adnectit, *a Macedonia venire, quod adhuc anhelarent*, nihil potuit dicere insulsius. Quis ex alius anhelitu conjiciat ex quo loco veniat? Colligas ex anhelitu itinere celeriter esse defunctum anhelantem, sed non unde veniat. Quid? dii ne viæ laboribus fatigantur & exhauriuntur, ut anhelent? Præter hæc in verbis & dictione quam multa maculosa, & quæ non solum ab emendate loquentium consuetudine sunt aliena, sed & ab omnibus, quos non sinistra in lucem edidit natura, exsibilantur. In libro 1, cap. 14. ait Decium Murem, cum se devovisset Diis Manibus, in confertissima hostium tela se jaculatum esse, *ut novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret.* Quid est *semita iter aperire?* Sed longe corruptius est *sanguinis semita iter aperire.* Homo non ineptus, si hac ei utendum esset sententia, diceret, *ut ad victoriam sanguine suo viam aperiret.* Tam venu-

nustum tamen nostro visum est hoc μειρακιῶδες, ut poene repeteret lib. III, 28: *Ipse Julius Caesar cum in urbem cruentus referretur, miserabili funere per mediam etiam urbem viam fecit*; ut ibi legendum ostendimus. Sed quae ad hunc locum notavimus, si tanti sunt, possunt videri. At quale hoc lib. II, cap. 3: Gallis *quasi cote quadam populus Romanus ferrum suae virtutis acuebat?* Esset tolerandum si scripsisset Gallorum bellis perpetuis, tanquam cote quadam, Romanorum virtutem acui. Nam ex Graecis hæc hausit, in quorum memoriis traditur, Lacedæmonas hostilem urbem vocasse cotem juventutis. Sed *virtutis ferrum acuere* non sani esse hominis non sanus juret Orestes. Ejusdem census est *fretum adolescentiæ*, capite ultimo hujus libri: *Talis domi ac foris, talis pace belloque populus Romanus fretum illud adolescentiæ, id est, secundam imperii ætatem, habuit.* Nimirum quia tum fervida Romanorum virtus erat, & quia freta fervent, credidit sibi licere istam ætatem fervidam dicere *frætum adolescentiae*. Sed hæc audacia traslationum in Rhetorum scholis, & ab hominibus non putidis, non damnatur modo, sed ejus auctores tanquam fatui & nullius judicii homines irridentur. Non possum præterire γοργεῖον illud, & plus quam παιδαριῶδες lib. II, cap. 6. Dicturus erat in Hispania ex Sagunti incendio & excidio secundum bellum Punicum ortum esse. Vide quam absurdus fuerit in hac sententia non ornanda, sed deformanda;

*Ubi semel*, inquit, *se in Hispania movit illa gravis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas; destinatumque Romanis jam diu fulmen Saguntino igne conflavit: statim quodam impetu rapta, medias perfregit Alpes, & in Italiam ab illis fabulosae altitudinis nivibus, velut coelo missa, descendit.* Proh quantus ineptiarum cumulus! Haec omnem fidem superant.

> Ὅσων τι τούτων τῶν σοφισμάτων ἴδω
> Πλεῖν ἢ 'νιαυτῷ πρεσβύτερος ἀπέρχομαι.

Num tempestas, ut alia prætermittam conflat fulmina, ad instar Vulcani, quem in Aetna tanquam officina sua poëtae fingunt fulmina cudere Jovi. Quanto modestior & castigatior Justinus, qui & ipse de bello, tanquam tempestate, locutus simili usus est allegoria lib. XXIX: *Videre se consurgentem in Italia nubem illam trucis & cruenti belli, videre tonantem ac fulminantem ab occasu procellam, quam in quoscunque terrarum partes victoriae tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam.* Hoc est humane loqui, quamvis duriusculum sit *victoriae tempestas*: illud est nubes & inania captare, & magno conatu magnas nugas agere. Qualis παρένθυρσος lib. III, 55. de Lucullo, aut ut alii rectius, Luculli milite: *qui (horribile dictu!) per medias hostium naves utre suspensus, & pedibus iter adgubernans videntibus procul quasi marina pistrix evaserat.* Vides quantos in simpulo fluctus moveat, quasi res esset supra humanæ potentiae

tiae fidem terribilis, temeraria, a nemine visa & tentata utribus flumina, & longi maris tractus tranare, exclamat, cum ars ista in bellis fuisset cognita priusquam Theognis nasceretur. Jam illud de Mario lib. III, 21. *carcer, catenae, fuga, exilium horrificaverant dignitatem Marii*: Et de Caesare lib. IV, 2: *quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur*, quam audax, quam μετέωρον. pro hoc dixissent saniores, prospera adversis illustrarentur. pro illo, carcer auxerat dignitatem Marii, aut, Marium venerabiliorem reddiderat. Nimirum quia horrore sacro perfundi dicuntur, qui loca divina & augusta ingrediuntur, ipsisque lucis & templis poëtae assignant horrorem, noster existimavit se magna cum venustate & elegantia novam posse voci *horrificare* significationem imponere, pro tam augustum & verendum reddere, ut ejus nominis majestas omnibus sacrum incutiat horrorem. Sed quæ haec est potervia? Virgilius IV. Æneidis canit, vatum praedicta *horribili monitu horrificare*, hoc est, terribilibus rebus, quas futuras nunciabant, horrorem & metum hominibus afferre. Sed noster noluit via vulgata & trita incedere. Nova, mira, inaudita fuerunt consectanda. Nam novitatis studium harum inanissimarum argutiarum unica est caussa, ut pulchre docet Longinus, in aureo libello περὶ ὕψους, ἅπαντα ταῦτα μέν τοι τὰ οὕτως ἄσεμνα διὰ μίαν ἐμφύεται τοῖς λόγοις αἰτίαν διὰ τὸ περὶ τὰς νοήσεις καινόσπουδον, περὶ ὃ δὴ μάλιστα κορυβαντιῶσιν οἱ νῦν. *Haec omnia dignitati &*

 *gra-*

*gravitati contraria unam ob caussam inseruntur orationibus, nempe ob novitatis in exprimendis sententiis & conceptibus studium, circa quod maxime hoc aevo scriptores insaniunt.* Addit deinde quae res bonorum causa sit, ab eadem etiam his adversa proficisci. Nam cupiditatem nova dicendi maxime ingenia praeclara inflammare ad eximium aliquid & quod supra vulgi captum sit, nihilque plebejum præ se ferat, moliendum: Sed qui judicio non valeant, nec se componant ad optimorum imitationem, facile in haec vitia incidere, in quibus sibi delicias faciant, quæque specie ingenii & novitatis blandiantur. Ideo κακοζηλίαν vitiorum omnium maximum in oratore esse recte praecipit optimus dicendi magister Quintilianus VIII, 3: κακόζηλος *vocatur quicquid est ultra virtutem, quoties ingenium judicio caret, & specie boni fallitur: omnium in eloquentia vitiorum pessimum. Nam cetera cum vitentur, hoc petitur.*

Viris quidem magnis interdum quaedam exciderunt, quæ, si ad severam legem exigantur, culpam & notam lascivientis ingenii effugere non possunt. Non ignorant doctiores quid Dionysius Halicarnasseus in Thucydide, in Platone, in ipso Demosthene, ut alios praeteream; quid Seneca & alii apud Senecam in Ovidio: quid Quintilianus, pluresque in Tullio notarint & animadverterint. Sed hæc ipsis exciderunt. Homines cum essent, humani non nunquam aliquid passi sunt, quamvis divinitate in-

genii

genii ceteros omnes antecellerent. Nemo tam propitia Minerva natus eſt, ut nunquam dormitet. Sed declamatores & κακόζηλοι ſibi in his argutiis & ventoſis acuminibus mirifice placent, & in illis captandis toti ſunt. Quo audacius & ineptius aliquid ſunt commenti, modo non ſit dictum populariter, tanto magis ſibi plaudunt. Nec immerito. Semper enim invenerunt ſuorum portentorum admiratores, ſed hoc tempore longe plurimos. Saepe ſtupiditatem noſtri ſeculi ſum admiratus, cum audivi a plurimis, & qui ſibi videbantur valde ſapere, Caſparis Barlaei carmina tanti fieri, ut cum optimis veteribus poëtis compararetur, ab aliis anteferretur. Ingenio ſane valuit, Barlaeus, & nullo ſuorum aequalium fuit inferior. Sed ingenio nimium indulſit. Quantus enim in illo tumor; quantus optime ſonantium verborum ubique inanis ſtrepitus! Auſim ſacramento contendere vix eſſe paginam, in epicis praeſertim, in qua non aliquot verſus reperiantur, ſonori quidem, & aures implentes, ſed non animum, ſi illum attendas. Nulla enim ſubeſt ſententia. Qui iſtis poſſunt capi, non poſſunt Virgilio, Catullo, Horatio delectari, aut virtutes eorum praeſtantiamque intelligere, nec dijudicare quid diſtent aera lupinis. Si enim noſſent quam longe tumor abeſſet a ſublimitate, nunquam hanc de Barlaeo ferrent ſententiam, qui fatetur ipſe ſe non excellentiſſimos ad imitandum poëtas ſibi propoſuiſſe, ſed Claudia-

num, ſui quidem temporis poëtam omnium præſtantiſſimum, ſed ſui temporis, quod ab aurea plurimum degenerarat antiquitate. Verum de his agendi locus erit aliquando commodior. Muniendi autem ſunt contra blandos iſtos errores adoleſcentes, in quorum manibus verſatur Florus, & merito, quia meliorem non habent nondum imbuti rerum Romanarum cognitione, qui brevi compendio, tanquam in tabella quadam ortum & proceſſus Romanae reipublicae eis oſtendat, præſertim cum vitia non una penſet virtute. Providendum igitur ne arripiant corrupta, & his innutriti non modo nunquam poſſint ſecernere a vitioſis ſana, ſed ne vitioſa ſanis praeferant. In temporum quoque notatione, & locorum ſitu, & rerum geſtarum narratione non ſemel impegit iſte ſcriptor, & ſatis quidem graviter, ut cum Capuam annumerat urbibus Italiae maritimis, cum Falernum & Maſſicum montem tanquam duos diverſos montes commemorat, cum unus idemque ſit, & non pauca hujus farinae alia, quae ab iis, qui hunc ſcriptorem interpretantur, ſunt tyronibus indicanda, ne falſa pro veris imbibant. Alioquin animo non ſatis aequo fero ſupercilium non nullorum hominum, qui in veteribus ſcriptoribus, iiſque praeſtantiſſimis, & ſupra omnem ingenii aleam, ut ſic dicam, evectis, notandis & vituperandis tam ſeveri & ingenioſi volunt videri, ut quicquid illorum ſuperbo palato non reſpondet damnent & jugulent. Nimirum *ut videantur*

*antur ſapere coelum vituperant.* At cum ſine populi ſuffragio gerant aedilitatem, & nimis intelligendo nihil intelligant, vana & faſtidioſa hæc edicta in republica litteraria non pluris fiunt, quam præficarum neniae in funere cenſorio. Hunc præterea ſtultitiae ſuae fructum ferunt, ut quaſi in ærarios referantur a veris cenſoribus, & eruditorum circulis ſuaves dent ſermones. Heroës illos jam dudum conſecravit conſentiens omnium ſeculorum admiratio, & ab horum procacitate & petulantia vindicavit eos majeſtas nominis, immortalibus parta meritis & virtutibus, quas iſti, quæ eſt illorum imperitia, & bonarum artium jejunitas, ne quidem poſſunt intelligere. Sed in iis ſcriptoribus, qui a ſimplici rectoque dicendi genere deflexerunt, & aut ſeculi, aut ingenii vitio ſe ipſi depravarunt, meliorum tamen defectu, & propter alias dotes in ſcholis retinentur, coarguenda ſunt a doctoribus corrupta, ne dulcibus vitiis adoleſcentes decepti, minutas & pueriles ſententias pro concinnis & argutis; improbas & inverecundas, pro grandibus & magnificis; & frigidas ac aridas, pro ſubtilibus & Atticis appetant. Sed nimis diu te hic detineo, benigne lector. Paucis nunc accipe, quid in hac editione Flori præſtiterimus. Cum primum illi manum admoverem, conſtitueram non niſi nummos, & monumenta quaedam antiqua, quibus illuſtraretur, adponere, ut ex iis cognoſci poſſent & virorum inſignium vultus, & primo intuitu intelligi, quid eſſent faſces, ancilia, palladium, Janus bifrons, ſellae curules, & ſi quæ

ſunt hujus generis alia non pauca. His mire & ad antiquitatis ſtudium, & ad hiſtorias cognoſcendas incitari adoleſcentes ſaepius cognoram, & facilius quae legerant & audierant memoriæ infigi. Iſtos nummos pleroſque ex Familiis & illuſtribus imaginibus F. Urſini excerpſi, ut & ex tabulis Croiacis, quæ cura Biæi prodierunt Antwerpiae, nec non ex Faſtis Golzii, ac ex Seguini & Caroli Patini numiſmatum veterum penu. Nec inficior non nullos, ſed paucos dubiæ fidei ex Croiacis tabulis & Golzii faſtis irrepſiſſe. Talis eſt ille Anci Marcii, quem cum ſuſpectis ceteris, ſi Deus dederit ſecundis curis hunc ſcriptorem expolitum aliquando ſub incudem revocare, ſubmovebo, ſubſtituamque genuinum, quem Philippus Marcius flavit. Inſerui quoque duos titulos bello primo Punico dedicatos, omnium linguæ Latinae, quae ſuperſunt, antiquiſſima monumenta. Duilianæ inſcriptionis explicationem, quam doctiſſimus vir Petrus Ciacconius dedit, adjiciendam cenſui. Poſtea vero quam V. CL. Theodorus Ryckius melioris litteraturae Doctor Lugduni Batavorum celeberrimus, mihique amiciſſimus, copiam mihi fecit codicis membranacei, manu exarati, non quidem antiquiſſimi, ſed tamen ex optimo deſcripti exemplari, cui rei argumento eſt illius convenientia cum omnium totius Europae vetuſtiſſimo & optimo codice Nazareo, quem evolverunt olim Salmaſius ὁ πάνυ & Gruterus, coepi illum cum editis conferre. Cum operæ pretium me capere ſentirem, animus

mus ferebat notarum non nihil calci subiicere; quæ sub manu creverunt indies magis magisque, praesertim cum accederent excerpta trium RegiaeParisiensis bibliothecae codicum, quos composuerat olim cum vulgatis exemplaribus Vir Eximius, Samuel Sciassius, ὁ νῦν ἐν μακαρίοις, quae mecum communicavit vir dignitate, ingenio, & doctrina recondita in primis hujus seculi conspicuus Marquardus Gudius, Serenissimo Cimbrorum Principi a consiliis, mihique longo multorum annorum usu conjunctissimus. Nicolaus D. F. Heinsius, quem & patris & sua cum in publicam, tum in rem litterariam merita supra laudem omnem dudum extulerunt, duos mihi præbuit utendos Floros pro maximis, quae mihi cum eo sunt, amicitiae necessitudinibus, quorum unus Claudii Puteani nomen præferebat. Ejus liber primus cum veteri codice commissus erat. Alterius duobus posterioribus libris non paucas Justi Lipsii emendationes adscripserat sua manu Franciscus Nansius, quas ex magni illius hominis ore, cum Lugduni Batavorum hunc scriptorem exponeret publice, hauserat. Sed plus debet haec editio summi illius viri & amici nostri Nicolai Heinsii ingenio, quam subsidiis, quæ ex copiosissima & lectissima sua bibliotheca nobis suppeditavit. Nam pluribus in epistolis mecum egit de infinitis fere locis, & suas conjecturas & emendationes, plenas ingenii & doctrinæ, de illis ad me perscripsit, quas non potui non meis annotationibus, tanquam clavos late splendentes, intexere. His fruere Lector & vale.



# DE FLORO
## EX
# GERARDI JOANNIS
## VOSSII V. CL.
## LIB. I. DE HIST. LAT.

EXtremis Trajani temporibus floruit L. Annaeus Florus, qui rerum Romanarum quatuor perſcripſit libros. De aetate, quod dixi, ſatis apparet ex Praefatione operis, cum ait: *A Caeſare Auguſto in ſeculum noſtrum ſunt non multo minus anni ducenti: quibus inertia Caeſarum quaſi conſenuit atque decoxit: Niſi quod ſub Trajano movet lacertos, &, praeter ſpem omnium, ſenectus Imperii, quaſi reddita juventute, revireſcit.* Viri quidam, eoſque inter Jo. Camers, malunt *movit* pro *movet.* Nec diffiteor ſic eſſe in quibuſdam MSSis. Sed rectum eſſe *movet*, oſtendit, tum quod antecedit, *in ſeculum noſtrum*; tum quod ſequitur, *revireſcit.* Sed, inquiunt, Florus ab Auguſto eſſe ad ſua tempora annos, prope cc. Ab Auguſti autem principatu, uſque ad Trajani imperium, ſunt anni tantum cxxiv. ſive, ſi putes uſque ad exceſſum

cessum Trajani, anni erunt CXLIII. Sed jam dudum mihi haec meditata. Verum legendum puto apud Florum, anni CL. Nam quisquis MSSos Flori Codd. versavit, scit quantopere in annis variet prologus iste. Nec tamen solius Trajani aevo vixisse. Sed etiam Hadriani. Plane enim idem videtur, cujus hosce in Hadrianum versiculos, & in quem versus Hadriani Spartianus refert.

Julii Flori.

*Ego nolo Cæsar esse:*
*Ambulare per Britannos;*
*Scythicas pati pruinas.*

Respondet Hadrian.

*Ego nolo Florus esse:*
*Ambulare per tabernas:*
*Latitare per popinas:*
*Culices pati rotundos.*

Quemque Annæum Florum Charisius vocat, & ex cujus ad Divum Hadrianum epistola gemino in loco citat illa verba. *Poëmatis delector.* Sane quod Poëmatis delectari se ait, id non abhorret ab hujus compendii scriptore, quando stylus ejus est in historia declamatorius, ac Poëtico propior, adeo ut etiam hemistichia Virgilii profundat. Et tamen ea potissima est Flori nostri laus, quod scriptor est elegans, & disertus, &, si paucula exceperis, quæ frigidius dicta videntur, vere floridus. Sed latæ est culpæ reus, quod in temporum ratione usque adeo negli-

negligens sit; ita ut non possit non saepius alucinari, qui hunc ducem sequi velit. Valde autem falluntur, qui eum putant in historia sua epitomen nobis Livii dare voluisse. Siquidem crebro a Livio recedit. Nec facile dixerim, idemne, an alius sit, qui singulorum fere Livii librorum argumenta reliquit, quæ hodie extant, etiam librorum, qui deperierunt. Sed, ecce, de nomine etiam scriptoris litem movent viri eruditi. Scrupulum iis injicit, quod Lactant. lib. VII. Justitut. Divin. Senecam appellet. Siquidem, inquiunt, antiquiorem hoc historico habemus neminem, qui populum Romanum diviserit per quatuor ætates. At Senecam ejus rei autorem laudatis, quem diximus Lactantius, his verbis: *Non inscite Seneca Romanae urbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse; a quo & genita, & quasi educata sit Roma: deinde pueritiam sub ceteris regibus; a quibus & aucta sit, & disciplinis pluribus, institutisque formata: at vero, Tarquinio regnante, cum jam quasi adulta esse coepisset, servitium non tulisse; & rejecto superbæ dominationis jugo, maluisse legibus obtemperare, quam regibus: Cumque esset adolescentia ejus fine punici belli terminata; tum demum confirmatis viribus coepisse juvenescere. Sublata enim Carthagine, quae tam diu aemula Imperii Romani fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit: donec regibus cunctis, & nationibus subjugatis, cum jam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se*

*ipsa*

*ipsa confecit. Haec fuit prima ejus senectus: cum bellis lacerata civilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperii recidit, quasi ad alteram infantiam revoluta. Amissa enim libertate, quam, Bruto duce, & auctore defenderat, ita consenuit, tanquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium sustentaretur.* Hactenus Lactantius. Ea autem exscripsisse ajunt ex prologo Flori; ubi haec legas: *Si quis ergo populum Romanum, quasi hominem consideret, totamque ejus aetatem percenseat, ut caeperit, utque adoleverit, ut quasi ad quendam juventae florem pervenerit, ut postea velut consenuerit: quatuor gradus, processusque ejus inveniet. Prima aetas sub regibus fuit prope* CCL. *per annos, quibus circum ipsam matrem suam cum finitimus luctatus est. Haec erit ejus infantia. Sequens a Bruto, Collatinoque, Consulibus, in Appium Claudium Quinctumque Fulvium, Consules,* CC. *annos habet; quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris, armisque incitatissimum. Ideo quis adolescentiam dixerit. Dehinc ad* Caesarem *Augustum* CCL. *anni: quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipsa juventa imperii, & quasi quaedam robusta maturitas. A Cæsare Augusto, in seculum nostrum, sunt non multo minus anni* CC: *quibus inertia Caesarum quasi consenuit, atque decoxit, nisi quod sub Trajano Principe movet lacertos, & praeter spem omnium, senectus imperii, quasi reddita juventute, revirescit.* Hæc Florus. Utrumque autem locum integre adscripsimus, ut omnes vide-

videant, quam infirmo tibicine nitantur, qui ex Lactantio colligunt, scriptorem compendii illius, non Florum, sed Senecam, dici oportere: Ajunt, divisionem eam, cujus Lactantius Senecam laudat auctorem, apud Florum in prologo legi. In quo manifestus eorum est error. Nam Seneca adolescentiam extendit usque ad finem ultimi belli Punici: Florus duntaxat ad primum bellum Punicum. Ad haec, Seneca incipit senectam a bello civili Pompejano: Florus autem a principatu Augusti. Unde colligo, Florum quidam imitatum fuisse Senecam: aliter tamen, quam Senecam, divisisse. Atque eo magis arrisit Floro similitudo ea, quia non totam alteri deberet; sed esset, quod sibi vendicaret. Sane toto ad eam opere respicit. Nempe suum cuique pulcrum, quod dici solet. Nec propterea negâro, Florum hunc fuisse ex Senecarum familia. Seneca enim vocatur in plerisque veteribus libris. Adhaec Senecae sunt ex Annaea gente. At Florus, ut in plerisque libris Julius, ita Annaeus in vett. vocatur libris; etiam antiqua ac principe, quam habeo, editione. Adhaec Hispanum fuisse, unde Senecae domo erant, verisimile facit luculenta ejus terræ laudatio, quae est lib. II. cap. XVII. & lib. III. cap. XXII. Dictio quoque hanc domum sapit. Nam ea, eloquentiae & poësios laude, inclyta fuit. At dictio historici hujus, uti ante dictum, est diserta, & poëticae propior. Imo opus ipsum vix aliud, quam declamatio est. Fortasse igitur Seneca etiam nomen fuit. Sed, ut hoc demus,

mus, non eo consequitur, haud aliter quam Senecam, vocari oportere. Nec enim facile adeo fides est deroganda multo maximae parti librorum, & quidem melioris notae, ubi Florus vocatur. Et quid prohibet, quo minus, ut L. Annaei Senecae Philosophi frater, non tantum L. Annaeus Novatus dicebatur: sed etiam Junius Gallio (quod nomen habuit postquam a Junio Gallione erat adoptatus) ita historicum hunc credamus, adoptione nomen mutasse, atque inde esse quod idem dictus sit L. Annaeus Seneca, & L. Annaeus Florus: vel, ut in nonnullis libris legere est, Julius Florus?

Alius vero ab hoc est Julius Florus, vir itidem disertus, qui sub Tiberio vixit. De hoc ita M. Seneca Controv. xxv. *Ipse audivi Florum quendam, auditorem Latronis, dicentem; non apud Latronem: neque enim illi mos erat, quemcunque audire declamantem. Declamabat ipse tantum: & ajebat, se non esse magistrum, sed exemplum. Nec ulli alii contigisse scio, quam apud Graecos, Nicetae; apud Romnanos, Latronii; ut discipuli non audiri desiderarent, sed contenti eßent audire.* Paulo post excerptum ex Flori declamatione ponit. De eodem, ut puto, simulque fratris filio, sic Fabius lib. x. *Qua de re menimi narrasse mihi Julium Secundum, illum aequalem meum, atque, ut notum est, familiariter amatum, mirae facundiae virum, infinitæ tamen curæ, quid esset sibi a patruo dictum. Is fuit Julius Florus, in eloquentia Galliarum (quoniam ibi demum exercuit eam) princeps, alioqui inter*

*inter paucos disertus, & dignus illa propinquitate. Is, cum Secundum, scholae adhuc operam dantem, tristem forte vidisset, interrogavit; quae caussa frontis tam adductæ? nec dissimulavit adolescens, tertium jam diem esse, ex quo omni labore materiæ ad scribendum destinatae non inveniret exordium: quo sibi non præsens tantum dolor, sed etiam desperatio in posterum fieret. Tum Florus arridens: Nunquid tu, inquit, melius dicere vis, quam potes? &c.* Nec absurda sit conjectura; si quis opinetur, historicum eum, de quo fuse diximus (modo is Julius Florus recte in libris quibusdam vocatur) ex eadem stirpe, imo fortasse filium fuisse, aut nepotem Julii Flori, viri hujus diserti: de quo M. Seneca & Quintilianus loquuntur. Sed haec, & alia, quae antea de Senecae cognomento diximus, velut incerta in medio relinquamus.

---

## JUSTUS LIPSIUS

*Lib. 2. Elector. Cap. 5.*

LUcius Annæus Florus (ita enim indigitare cum priscis libris malim quam Julium: quoniam Hispana fuisse origine colligo, &, ni fallor, ex ipsa Senecarum gente;) is inquam, Florus compendium non tam Livii, a quo sæpe dissentit, quam rerum Romanarum, scripsit: si quid mei judicii est, composite, diserte, eleganter. Subtilitas quidem & brevitas in eo saepe mira; & sententiarum quaedam gemmulae cum judicio insertae & veritate. J. O. H.

## JOH. ISAC. PONTANUS
*In oratione Isagagica ad Florum.*

L. Annaeum Florum Volaterranus Julium Florum secundum maluit nominare. Quod existimaret hunc eum esse secundum, cujus amice meminit Fabius Quintilianus, qui & familiariter a se amatum eum addit, virum, ut mirae facundiae, ita infinitae curae. Julii cognomen a Julio Floro patruo retinuisse idem conjicit: cujus quoque Quintilianus mentionem facit, inter paucos disertum eum fuisse indicans, utpote in eloquentia, quam in Galliis sub extremum exercuit Galliarum principem. Quam de Floro opinionem, si Trajani aevum, quo claruit & Quintilianus & Florus noster, respicimus, non abs re conjecisse Volaterranus noster censeri potest. Nisi quod duo obstare videantur: Prius est ipse Quintilianus, qui non ut historicum aut inter historicos, sed ut oratorem & inter eloquentiae laude florentes utrumque, & Julium secundum, & patruum ejus Florum concelebrat. Alterum est codicum veterum scriptura, in quibus non Julius, sed L. Annaeus Florus constanter indigitatur. Unde colligendum doctiores voluerunt ex Hispania oriundum fuisse, & fortasse ex ipsa Annaeorum, id est, Senecarum gente. Quidquid horum sit, quod nos in medio relinquemus, illud interim ratum esto; egregium opus esse hos ejus quatuor rei Romanae libros. Quos, qui compen-

dium Livii aut breviarium faciunt, vel eo, praeter caetera, redargui existimo, quod in iis a Livio saepe abeat ac variet sententia. Potius totius Imperii florentis tabulam appellabimus, cum praesertim ipse in prologo suo fateatur se ad exemplum eorum, qui terrarum situs pingunt, in brevi quasi tabella universam Imperii imaginem ac magnitudinem ob oculos posuisse.

---


## CLAUDIUS SALMASIUS.

SUper auctore hujus eligantissimae Epitomae nihil nobis compertum est, quod viri docti non norint, atque ipsi pridem observarint; nec tam necesse est nos eum ignorare, quam bonis conjecturis, per quas si non verum elicere, falsa tamen tefutare possimus, inniti. Et ut verum fateamur, facilius possumus invenire cujus non sit, quam cujus sit hoc opus. Si hoc invenire est, semper quaerendo laborare. In quibusdam veteribus & manu exaratis libris quaedam leguntur sub prologi titulo, de Livio Annaeo Seneca, & Lucio Annaeo Mela, quae inepta & aliena esse facile omnes qui legerunt, vident, quae qualia sint ut sciamus, ita prologus incipit: *Anno tertio decimo Olympiadis Lucius Annaeus Melas Frater Senecae & Gallionis bona Lucani Poëtae filii sui a Nerone promeruit.* Haec verbatim descripta ex Hieronymo, & turpissimo mendo deformata. Legendum: *Anno tertio undecimæ Olympiadis supra ducente-*

*tesimam.* Hic autem Julius Gallio in vetustissimo codice Eusebii Palatinae Bibliothecae vocatur *Junius Annaeus Gallio.* Sed ut ad rem redeamus, hujus compendii non posse autorem dici L. Annaeum Senecam, aut L. Annaeum Melam, plus satis clarum est. Veteres quidam libri, ut illius indicio cognoscimus, qui prologum sive argumentum concinnavit, nomen Flori adscriptum non habebant. Sed in iis *Lucii Annæi* erat tantum mentio. Ergo quisnam, inquit, horum libri hujus autor sit, Lucius Annaeus Seneca, an Lucius Annaeus Melas, incertum facit communitas nominum Lucii & Annaei; nam Flori non est ibi mentio. Cum in hujusmodi codices incidisset Lactantius Firmianus, & Lucium tantum Annaeum legisset, statim Senecam cogitavit, quod notiorem eo Lucium Annaeum alium non haberet, & ita imprudens nomen autoris, quem citabat, male concepit vir doctissimus & disertissimus. Illi enim mea quidem sententia non leviter errant, qui non hunc auctorem nostrum sed Senecam primum in iis scriptis quae ad nos non pervenerint, hanc Romanae urbis temporum in aetates distributionem instituisse contendunt, neque alium in Lanctantio deberi intelligi, quam Senecam ipsum Philosophum. Sic sane sibi persuasum habeant, dum aliis ne persuadeant, ita enim ipsa poene verba Flori producit ille sanctus scriptor, ut, qui non hujus, sed alterius cujusdam auctoris ab eo verba produci existimet, meras nugas agat. Sed per nos licet illi judicio suo fruantur. Non hodie autem atque heri hos

titulos, in quibus Flori nomen extat, exemplaribus a librariis fuisse inditos vere mihi persuadeo. Licet aliter sentire videam viros non mediocriter eruditos, qui recentis esse καὶ ὀυ παλαιᾶς χειρὸς existimant. Sed unde ineptus illius prologi auctor, qui legitur in vetustis quibusdam exemplaribus, Flori nomen accepisset, si non ita ut in vetustissimis qui hodie extent codicibus, Flori nomen adscriptum reperisset in illius aevi vetusti libris. Qui cum dicat, *Nam Flori non est ibi mentio*, codicem aliquem & optimae notae ab eo designari puto. Nazarianus liber manuscriptorum omnium quibus usi sumus antiquissimus, ut quem ante octingentos annos scriptum esse manifesta sit fides, quique bonitate superet agmen illud codicum quibus adjutus est in hujus ἐγχειρίδιυ recensione optimus & doctissimus Vinetus, *Lucii Annaei Flori*, in titulo praefert. Non alius potest esse Florus quam ille qui Trajani & Hadriani temporibus floruit. qui in Epistola ad Hadrianum, cujus Epistolae ter aut quater mentionem apud Charisium reperies, scribit se poëmatis delectari. Character autem istius historici Compendii plane poëticus est, & hominis in poëtis non infeliciter versati, quamvis hoc parum probet, si non alia accederent. Et mirum Grammaticis tam invisum fuisse hoc opus, ut nusquam aliquod ex eo ad testimonium citent, cum & Solinum saepius, qui longe post tempora Annaei Flori vixit, ut alibi pluribus ostendemus, & alios non vetustiores aut meliores Solino scriptis suis, ut locupletes & idoneos testes advocent.

LUCII



LUCII ANNÆI FLORI,

# EPITOME RERUM ROMANARUM

## LIBER PRIMUS.

POpulus Romanus a rege Romulo in Cæſarem Auguſtum, ſeptingentos per annos tantum operum pace belloque geſſit, ut ſi quis magnitudinem imperii cum annis conferat; ætatem ultra putet. Ita late per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res ejus legunt, non unius populi, ſed generis humani facta diſcant. Nam tot laboribus periculiſque jactatus eſt, ut ad conſtituendum ejus imperium, contendiſſe Virtus & Fortuna viderentur. Quare quum præcipue hoc quoque operæ precium ſit cognoſcere; tamen quia ipſa ſibi obſtat magnitudo, rerumque diverſitas aciem intentionis abrumpit; faciam quod ſolent, qui terrarum ſitus pingunt: in brevi quaſi tabella totam ejus imaginem am-

plectar, nonnihil, ut ſpero, ad admirationem principis populi collaturus, ſi pariter atque inſimul univerſam magnitudinem ejus oſtendero. Si quis ergo populum Romanum quaſi hominem conſideret, totamque ejus ætatem percenſeat, ut cœperit, utque adoleverit, ut quaſi ad quendam juventæ florem pervenerit, ut poſtea velut conſenuerit; quatuor gradus proceſſuſque ejus inveniet. Prima ætas ſub regibus fuit prope ducentos quinquaginta per annos, quibus circum ipſam matrem ſuam cum finitimis luctatus eſt. Hæc erat ejus infantia. Sequens a Bruto Collatinoque Conſulibus in Appium Claudium, Quinctum Fulvium Conſules, ducentos quinquaginta annos patet, quibus Italiam ſubegit. Hoc fuit tempus viris armiſque incitatiſſimum: ideo quis Adoleſcentiam dixerit. Dehinc ad Cæſarem Auguſtum ducenti anni, quibus totum orbem pacavit. Hic jam ipſa Juventa imperii, & quædam quaſi robuſta maturitas. A Cæſare Auguſto in ſeculum noſtrum haud multo minus anni ducenti: quibus inertia Cæſarum quaſi conſenuit atque decoxit; niſi quod ſub Trajano principe movet lacertos, & præter ſpem omnium ſenectus imperii, quaſi reddita juventute, revireſcit.

*De*

## CAPUT PRIMUM.

### *De Romulo primo Romanorum Rege.*

PRimus ille & Urbis & Imperii conditor [1] Romulus fuit; Marte genitus & Rhea Silvia. Hoc de se sacerdos gravida confessa est: nec mox fama dubitavit, quum Amulii imperio abjectus in profluentem, cum Remo fratre non potuit extingui. Siquidem & Tiberinus amnem repressit: & relictis catulis [2] lupa sequuta vagitum, uber admovit infantibus, matremque se gessit. Sic repertos apud [2] arborem regis [2] pastor tulit in casam, atque educavit.







1 Romulus.

2 Vide in hoc numrno a Sexto quodam Pompejo percusso Romulum & Remum cum Lupa, & Faustulum pastorem, nec non ficum Ruminalem, cui insidet Picus Martius.

Alba tunc erat Latio caput, Juli opus, nam Lavinium patris Æneæ contempſerat. Ab his Amulius jam bis ſeptima ſoboles regnabat, fratre pulſo Numitore, cujus ex filia Romulus. Igitur ſtatim prima juventæ face patruum Amulium ab arce deturbat, auum reponit: Ipſe fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia novæ urbis agitabat. Gemini erant: uter auſpicaretur & regeret, adhibere placuit Deos. Remus montem Aventinum, hic Palatinum occupat. Prior ille ſex vultures, hic poſtea, ſed duodecim videt. Sic victor augurio urbem excitat, plenus ſpei bellatricem fore. Ita illi aſſuetæ ſanguine & præda aves pollicebantur. Ad tutelam novæ urbis ſufficere vallum videbatur: cujus dum irridet anguſtias Remus, idque increpat ſaltu, dubium an juſſu fratris, occiſus eſt. Prima certe victima fuit; munitionemque urbis novæ ſanguine ſuo conſecravit. Imaginem urbis magis quam urbem fecerat; incolæ deerant. Erat in proximo lucus: hunc Aſylum facit: & ſtatim mira vis hominum, Latini, Tuſcique paſtores: quidam etiam tranſmarini; Phryges, qui ſub Ænea, Arcades, qui ſub Evandro duce influxerant. Ita ex variis quaſi elementis congregavit corpus unum; populumque Romanum ipſe fecit. Res erat unius ætatis populus virorum. Itaque matrimonia a finitimis petita: quia non impetraban-

trabantur, manu capta ſunt. Simulatis quippe ludis equeſtribus, [3] virgines, quæ ad ſpectaculum venerant, præda fuere. Et hæc ſtatim cauſſa bellorum. Pulſi fugatique Veientes. Cæninenſium captum ac dirutum eſt oppidum. Spolia inſuper opima de rege [4] Feretrio Jovi manibus ſuis rex reportavit. Sabinis proditæ portæ per virginem: nec dolo: ſed puella precium rei, quam gerebant in ſiniſtris, petierat. Dubium clipeos, an armillas. Illi ut







3 In hoc nummo quem Titurius percuſſit ſpectatur Sabinarum raptus.

4 En tibi opima ſpolia, quas Marcellus quinquies Conſul Jovi Feretrio tulit, Viridomaro interfecto.

& fidem ſolverent, & ulciſcerentur, [5] clipeis obruere. Ita admiſſis intra mœnia hoſtibus, atrox in ipſo foro pugna, adeo ut Romulus Jovem oraret, ut fœdam ſuorum fugam ſiſteret. Hinc templum&Stator Jupiter.[6]Tandem ſævientibus intervenere raptæ laceris comis. Sic pax facta cum [7] Tatio, fœduſque percuſſum: ſecutaque




5 In hoc nummo Tarpeja ſcutis obruitur a Sabinis.







6 En tibi Jovem Statorem.

7 Hic eſt Tatius Sabinus.

res

res mira dictu, ut relictis ſedibus ſuis novam in urbem hoſtes demigrarent, & cum generis ſuis avitas opes pro dote ſociarent. Auctis brevi viribus, hunc Rex ſapientiſſimus ſtatum Reipubl. impoſuit: juventus diviſa per tribus in equis & armis, aut ad ſubita belli excubaret: conſilium Reipublicæ penes ſenes eſſet, qui ex auctoritate Patres, ob ætatem Senatus vocabantur. His ita ordinatis, repente, quum concionem haberet, ante urbem apud Capreæ paludem, a conſpectu ablatus eſt. Diſcerptum aliqui a ſenatu putant ob aſperius ingenium: ſed oborta tempeſtas Soliſque defectio conſecrationis ſpeciem præbuere: cui mox Julius Proculus fidem fecit, viſum a ſe Romulum affirmans, auguſtiore forma quam fuiſſet: mandare præterea, ut ſe pro numine acciperent: Quirinum in cœlo vocari placitum diis, ita gentium Roma potiretur.

## CAPUT II.

### *De Numa Pompilio.*

SUccedit Romulo [1] Numa Pompilius, quem Curibus Sabinis agentem ultro petivere, ob inclitam viri religionem. Ille ſacra, & cæremonias, omnemque cultum deorum immortalium docuit: ille Pontifices, Augures, Salios, ceteraque Populi Romani ſacerdotia: annum quoque in duodecim menſes, faſtos dies nefaſtoſque deſcripſit. Ille [2] Ancilia atque

1




2




3 Palla-

[3] Palladium, ſecreta quædam imperii pignora,
[4] Janumqne Geminum, [5] fidem pacis ac belli:






3 En tibi duos nummos, in quibus Palladium conſpicis. In altero eſt Æneas patrem gerens dextra manu; ſiniſtra vero Palladium. Hunc percuſſit Julius Cæſar. In altero eſt Roma ſtans, innixa tropæo, quæ & ipſa ſiniſtra manu Palladium fert.






4 5 Vides hic in altero nummo Janum Geminum, in altero templum ejus, pace parta clauſum.

in primis [6] focum [7] Vestæ [8. 9.] virginibus colendum dedit; ut ad simulacrum cœlestium siderum custos imperii flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu Deæ Egeriæ, quo magis barbari acciperent. Eo denique ferocem po-







6 7 Hic est in altero nummo focus Vestæ, in altero Vestæ templum.







8 In hoc nummo vides virginem Vestalem, Palladium tenentem.

9 In altero Virgines Vestales sacra facientes.

pulum

pulum redegit, ut quod vi & injuria occupaverat imperium, religione atque juſtitia gubernaret.

## CAPUT III.

### *De Tullo Hoſtilio.*

EXcipit Pompilium Numam [1] Tullus Hoſtilius: Cui in honorem virtutis regnum ultro datum. Hic omnem militarem diſciplinam artemque bellandi condidit. Itaque mirum in modum exercita juventute, provocare auſus Albanos, gravem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis utrique comminuerentur, miſſo in compendium bello, Horatiis, Curiatiiſque, tergeminis hinc atque inde fratribus, utriuſque populi fata permiſſa ſunt. Anceps & pulchra contentio, exituque ipſo mirabilis. Tribus quippe illinc vul-




neratis


neratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, ut distraheret hostem, simulat fugam: singulosque, prout sequi poterant adortus, exsuperat. Sic (rarum alias decus) unius manu parta victoria est, quam ille mox parricidio fœdavit. Flentem spolia circa se, sponsi quidem, sed hostis, sororem viderat. Hunc tam immaturum virginis amorem ultus est ferro. Citavere leges nefas: sed abstulit virtus parricidam: & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus. Nam Fidenate bello missi in auxilium ex fœdere, medii inter duos expectavere fortunam. Sed rex callidus, ubi inclinare socios ad hostem videt, tollit animos, quasi ipse mandasset. Spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, ruptorem fœderis Metium Fufetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit: Albamque ipsam quamvis parentem, æmulam tamen, diruit, quum prius omnes opes urbis, ipsumque populum Romam transtulisset: prorsus ut consanguinea ciuitas non periisse, sed in suum corpus rediisse rursus videretur.

CAP.

## CAPUT IV.

### *De Anco Marcio.*

[1] ANcus deinde Marcius, nepos Pompilii, pari ingenio. Hic igitur & mœnia muro amplexus, & interfluentem Urbi Tiberinum ponte commisit: [2] Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit: jam tum videlicet præsagiens animo, futurum, ut totius mundi opes & commeatus illo, velut maritimo Urbis hospitio reciperentur.







## CAPUT V.

### *De Tarquinio Prisco.*

TArquinius postea Priscus, quamvis transmarinæ originis, regnum ultro petens accipit ob industriam atque elegantiam: quippe

pe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & senatus maiestatem numero ampliavit, & centuriis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohibebat, vir summus augurio. Quem rex in experimentum rogavit, fierine posset, quod ipse mente conceperat? Ille rem expertus augurio, posse respondit. Atqui hoc, inquit, agitabam, an cotem illam secare nouacula possem? Augur, Potes ergo, inquit, & secuit. Inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quam bello promptior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde [1] fasces, [2] trabeæ,







1 Hic nummus præ se fert fasces & duas sellas curules:

2 In hoc nummo Imperatoris Claudii vides equitem trabeatum, in sollemni transvectione, cum Idibus Martiis, sedentibus in foro in sella curuli censoribus, quorum unus hic est expressus, equos suos manu adducerent equites trabeis induti. Erat vero trabea similis paludamento & chlamydi, vide Ruben. de lato clavo. 1, 4.

3 Curu-

[3] curules, anuli, phaleræ, [4] paludamenta, prætexta; inde quod [5] [6] aureo curru, qua-







3 En tibi sellas curules binas, quibus laureæ sunt impositæ in nummo Antonii.

4 In hoc nummo Galbæ vides Imperatorem paludamento indutum, porrecta manu exercitum adloquentem.







5 Hic est imperator currui triumphali insistens, altera manu laurum, altera sceptrum eburneum, cui insidet aquila, tenens, qui trahitur quadrigis albis. 6 In altero nummo habes currum triumphalem sine imperatore.

tuor

tuor equis triumphatur; togæ pictæ 7 tunicæque palmatæ; omnia denique decora & insignia, quibus imperii dignitas eminet.




7 Augusti hic nummus ostendit tunicam palmatam.

## CAPUT. VI.

### *De Servio Tullio.*

1 SErvius Tullius deinceps gubernacula urbis invadit. Nec obscuritas inhibuit, quam-




vis

vis matre ſerva creatum. Nam eximiam indolem uxor Tarquinii Tanaquil liberaliter educaverat: &clarum fore viſa circa caput flamma promiſerat. Ergo inter Tarquinii mortem, annitente regina, ſubſtitutus in locum regis, quaſi ad tempus, regnum dolo partum ſic egit induſtrie, ut jure adeptus videretur. Ab hoc populus Romanus relatus in cenſum, digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus: ſummaque regis ſolertia ita eſt ordinata reſpublica, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referrentur; ac ſi maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.

## CAPUT VII.

### *De Tarquinio Superbo.*

POſtremus omnium fuit Regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod a Servio tenebatur, rapere maluit, quam expectare, immiſſiſque in eum percuſſoribus, ſcelere partam poteſtatem non melius egit, quam acquiſierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quæ, ut virum regem ſalutaret, ſuper cruentum patrem vecta carpento conſternatos equos egit. Sed ipſe in Senatum cædibus, in omnes ſuperbia, quæ crudelitate gravior eſt bonis, graſſatus; quum ſævitiam jam domi fatigaſſet, tandem in hoſtes converſus eſt. Sic valida oppida in Latio capta ſunt, Ardea, Ocriculum,

Gabii, Sueſſa Pometia. Tum quoque cruentus in ſuos, neque enim filium verberare dubitavit, ut ſimulanti transfugam apud hoſtes hinc fides eſſet. Cui Gabiis, ut voluerat, recepto, atque per nuncios conſulenti quid fieri vellet, eminentia forte papaverum capita virgula excutiens, quum per hoc interficiendos eſſe principes intelligi vellet (quæ ſuperbia!) ſic reſpondit. Tamen de manubiis captarum urbium templum erexit. Quod quum inaugurareturr, cedentibus ceteris deis (mira res dictu) reſtitere [1] Juventas, & [2] Ter-

1




2



3




In primo nummo eſt Juventas; quæ Græcis *Hebe* dicitur, cui ſacra faciebant, qui deponebant prætextam; in altero Terminus conſpicitur, adpoſita laurea & ſimpuvio; in tertio itidem terminus eſt cum radiato Auguſti capite expreſſus.

minus

minus. Placuit vatibus contumacia numinum ſiquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Sed illud horrendum, quod molientibus ædem in fundamentis humanum repertum eſt caput, nec dubitavere cuncti, monſtrũ pulchertimum imperii ſedem, caputque terrarum promittere. Tamdiu ſuperbiam regis Populus Romanus perpeſſus eſt, donec aberat libido. Hanc ex liberis ejus importunitatem tolerare non potuit. Quorum quum alter ornatiſſimæ feminæ Lucretiæ ſtuprum intuliſſet, matrona dedecus ferro expiavit. Imperium tum regibus abrogatum.

## CAPUT VIII.

### *Anacephalæoſis de ſeptem regibus.*

HÆc eſt prima ætas populi Romani, & quaſi infantia, quam habuit ſub regibus ſeptem, quadam fatorum induſtria, tam variis ingenio, ut reipublicæ ratio, & utilitas poſtulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, ut invaderet regnum. Quid Numa religioſius? ita res popoſcit, ut ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus, bellatoribus viris quam neceſſarius? Ut acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? Ut Urbem colonia extenderet, ponte jungeret, muro tueretur. Jam vero Tarquinii ornamenta & inſignia, quantam principi populo addiderunt ex ipſo habitu dignitatem? Actus a Servio cen-

ſus quid effecit, niſi ut ipſa ſe noſſet Reſpublica? Poſtremo Superbi illius importuna dominatio non nihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum eſt, ut agitatus injuriis populus cupiditate libertatis incenderetur.

## CAPUT IX.

### *De mutatione Reipublicæ.*

Gitur [1] Bruto Collatinoq; ducibus & auctoribus, quibus ultionē ſui moriens matrona mandaverat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus, quodam quaſi inſtinctu deorum concitatus, regem repente deſtituit, bona diripit, agrum Marti ſuo conſecrat, imperium in eoſdem libertatis ſuæ vindices transfert, mutato tamen & jure, & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit, ex ſingulari duplex, ne poteſtas ſolitudine, vel mora



1 Eſt hæc Bruti imago, in nummo M. Bruti.

corrumperetur: consulesque appellavit pro regibus, ut consulere se civibus suis debere meminissent. Tantumque libertatis novæ gaudium incesserat, ut vix mutati status fidem caperent; alterumque ex consulibus, tantum ob nomen, & genus regium, fascibus abrogatis, Urbe dimitterent. Itaque substitutus Valerius Poplicola, ex summo studio annixus est ad augendam liberi populi majestatem. Nam & fasces ei pro concione submisit, & jus provocationis adversus ipsos dedit. Et ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit. Brutus vero favori civium etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est. Quippe quum studere revocandis in Urbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & concione media virgis cecidit, & securi percussit, ut plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum videretur. Liber jam hinc populus Romanus prima adversus exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis; tum gloria & imperio, lacessentibus assidue usque quaque finitimis: Quippe cui patrii soli gleba nulla, sed statim hostile pomœrium, mediusque inter Latium & Tuscos, quasi in quodam bivio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret: donec quasi contagione quadam per singulos itum est, &, proximi, quibusque correptis, totam Italiam sub se redegerunt.

## CAPUT X.

### *Bellum Etruscum cum rege Porsena.*

PUlsis ex Urbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena rex Etruscorum ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamvis & armis, & fame urgeret, occupatoque Janiculo ipsis Urbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit, novissime etiam tanta admiratione perculit, ut superior ultro cum pæne victis amicitiæ fœdera feriret. Tunc illa Romana prodigia atque miracula, Horatius, Mucius, Clœlia: qui nisi in annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Quippe Horatius Cocles, postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat, ponte reciso transnatat Tiberim, nec arma dimittit. Mucius Scævola regem per insidias in castris ipsius aggreditur: sed ubi frustrato circa purpuratum ejus ictu tenetur, ardentibus focis injicit manum, terroremque geminat dolo: Ut scias, inquit, quem virum effugeris, idem trecenti juravimus, quum interim (immane dictu!) hic interritus, ille trepidaret, tanquam manus regis arderet. Sic quidem viri. Sed ne quis sexus a laude cessaret, ecce & virginum virtus. Una ex obsidibus regi data, elapsa custodiam, Clœlia, per patrium flumen equitabat. Et rex quidem tot tantisque virtutum territus monstris valere, liberosque esse jussit. Tarquinii tamdiu dimicaverunt,

verunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum mutuo vulnere expiravit; plane quasi adulterum ad inferos usq; sequeretur.

## CAPUT XI.

### *Bellum Latinum.*

LAtini quoque Tarquinios asserebant æmulatione, & invidia: ut populus, qui foris dominabatur, saltem domi serviret. Igitur omne Latium Mamilio Tusculano duce, quasi in regis ultionem, tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Marte vario, donec Posthumius ipse dictator signũ in hostes jaculatus est (novũ & insigne commentum) uti peteretur cursu. Cossus equitum magister exuere frenos imperavit, (& hoc novum) quo acrius incurrerent. Ea denique atrocitas fuit prœlii, ut interfuisse spectaculo Deos fama tradiderit; duos in candidis equis, [1] Castorem atq; Pollucem nemo dubitavit. Ita-








1 In his duobus nummis Castor & Pollux conspiciuntur. In primo eorum capita sola vides, in altero sedentes in equis, in utroque pileatos cum stellis.

que & Imperator veneratus eſt, pactuſque victoriam templa promiſit,& reddidit,plane quaſi ſtipendium commilitonibus diis. Hactenus pro libertate: mox de finibus,cum eiſdem Latinis aſſidue, & ſine intermiſſione pugnatum eſt. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. De Verulis & Bovillis pudet, ſed triumphavimus. Tibur nunc ſuburbanum,& æſtivæ Præneſte deliciæ,nuncupatis in Capitolio votis petebantur. Idem tunc Fæſulæ, quod Carræ nuper. Idem nemus Aricinum, quod Hercynius ſaltus: Fregellæ,quod Geſoriacum: Tiberis,quod Euphrates. Coriolos quoque (pro pudor!) victos adeo gloriæ fuiſſe,ut captum oppidum Cajus Marcius Coriolanus quaſi Numantiam aut Africam,nomini induerit. Exſtant & parta de Antio ſpolia, quæ Mœnius in ſuggeſtu fori, capta hoſtium claſſe, ſuffixit;ſi tamen illa claſſis: nam ſex fuere [2] roſtratæ. Sed hic numerus illis initiis navale

3





2 Duæ naves roſtratæ in his nummis habentur.

bellum

bellum fuit. Pervicacissimi tamen Latinorum Æqui, & Volsci fuere & cotidiani, ut ita dixerim, hostes. Sed hos præcipue Lucius Quinctius domuit, ille dictator ab aratro: qui obsessa ac pæne jam capta Marci Minucii consulis castra egregia virtute servavit. Medium erat forte tempus sementis, quum patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudum sub jugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boves rursus triumphalis agricola. Fidem numinum! qua velocitate? intra quindecim dies cœptum, peractumque bellum: prorsus ut festinasse dictator ad relictum opus videretur.

## CAPUT XII.

### *Bellum cum Etruscis, Faliscis & Fidenatibus.*

ASsidui vero, & anniversarii hostes ab Etruria fuere Vejentes; adeo ut extraordinariam manum adversus eos promiserit, privatumque gesserit bellum gens una Fabiorum. Satis superque idonea clades. Cæsi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus, & scelerato signata nomine, quæ proficiscentes in prœlium porta dimisit. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atque alios duces ro-

bustissima capta sunt oppida : vario quidem eventu. Falisci se ponte dediderunt. Cremati suo igne Fidenates. Rapti funditus deletique Vejentes. Falisci quum obsiderentur, mira visa est fides Imperatoris, nec immerito: quod ludimagistrum, urbis proditorem, cum iis, quos adduxerat, pueris, vinctum sibi ultro remisisset. Eam namque vir sanctus & sapiens, veram sciebat victoriam, quæ salva fide, & integra dignitate pareretur. Fidenæ, quia pares non erant ferro, ad terrorem movendum facibus armatæ, & discoloribus, serpentum in modum, vittis, furiali more processerant: sed habitus ille feralis eversionis omen fuit. Vejentium quanta res fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus: taxata stipendio hiberna: adactus miles sua sponte jurejurando nisi capta urbe non remeare. Spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, nec irruptione, sed cuniculo, & subterraneis dolis peractum urbis excidium. Ea deniq; visa est prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur: universusque populus Romanus ad direptionem urbis vocaretur. Hoc tunc Vejentes fuere: nunc fuisse quis meminit? quæ reliquiæ? quod vestigium? Laborat annalium fides, ut Vejos fuisse credamus.

CA-

# CAPUT XIII.

## *Bellum Gallicum.*

HIc ſive invidia deum, ſive fato, rapidiſſimus procurrentis imperii curſus parumper Gallorum Senonum incurſione ſupprimitur. Quod tempus populo Romano neſcio utrum clade funeſtius fuerit, an virtutum experimentis ſpecioſius. Ea certe fuit vis calamitatis, ut in experimentum illatam putem divinitus, ſcire volentibus immortalibus diis, an Romana virtus imperium orbis mereretur. Galli Senones, gens natura ferox, moribus incondita, ad hoc ipſa corporum mole perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit, ut plane nata ad hominum interitum, urbium ſtragem, videretur. Hi quondam ab ultimis terrarum oris, & cingente omnia Oceano ingenti agmine profecti, quum jam media vaſtaſſent, poſitis inter Alpes & Padum ſedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur. Tum Cluſium obſidebant. Pro ſociis ac fœderatis populus Romanus intervenit, miſſis ex more legatis: ſed quod jus apud Barbaros? ferocius agunt, exinde certamen. Converſis igitur a Cluſio, Romamque venientibus, ad Alliam flumen cum exercitu Fabius conſul occurrit. Non temere fœdior clades. Itaque hunc diem faſtis Roma

ma damnavit. Fuso exercitu jam mœnibus Urbis appropinquabant. Erant nulla præsidia. Tum igitur, aut nunquam alias apparuit vera illa Romana virtus. Jam primum majores natu, amplissimis usi honoribus, in forum coëunt, ibi devovente Pontifice, diis se manibus consecrant: statimque in suas quisque ædes regressi, sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt: ut quum venisset hostis, in sua dignitate morerentur. Pontifices, & Flamines, quicquid religiosissimi in templis erat, partim in doliis defossa terræ recondunt, partim imposita plaustris secum avehunt. Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. Tamen excepisse fugientes unus e plebe fertur Lucius Albinius, qui depositis uxore & liberis, virgines in plaustrum recepit. Adeo tum quoque in ultimis, religio publica privatis affectibus antecellebat. Juventus vero, quam satis constat vix mille hominum fuisse, duce Manlio, arcem Capitolini montis insedit, obtestata ipsum quasi præsentem Jovem, ut quemadmodũ ipsi ad defendendũ templum ejus concurrissent, ita ille virtutem eorũ numine suo tueretur. Aderant interim Galli, apertamque Urbem primo trepidi, ne quis subesset dolus, mox ubi solitudinem vident, pari clamore & impetu invadunt: patentes passim domos adeunt: ubi sedentes in curulibus suis prætextatos

tos ſenes, velut Deos genioſque venerati, mox eoſdem, poſtquam eſſe homines liquebat, alioqui nihil reſpondere dignantes, pari vecordia mactant, faceſque tectis iniiciunt: & totam Urbẽ igne, ferro, manibus exæquant. Sex menſibus barbari (quis crederet?) circa montem unum pependerunt, nec diebus modo, ſed noctibus quoque omnia experti: quum tandem Manlius nocte ſubeuntes, clangore anceris excitatus, a ſumma rupe dejecit, & ut ſpem hoſtibus demeret, quanquam in ſumma fame, tamen ad ſpeciem fiduciæ, panes ab arce jaculatus eſt. Et ſtato quodam die per medias hoſtium cuſtodias Fabium pontificem ab arce demiſit; qui ſolemne ſacrum in Quirinali monte conficeret. Atq; ille per media hoſtium tela incolumis religionis auxilio rediit; propitioſq; deos renunciavit. Noviſſime quum jam obſidio ſua barbaros fatigaſſet, mille pondo auri receſſum ſuum venditantes, idque ipſum per inſolentiam, quum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, ſuperbe væ victis increparent, ſubito aggreſſus a tergo Camillus adeo cecidit, ut omnia incendiorum veſtigia Gallici ſanguinis inundatione deleret. Agere gratias diis immortalibus ipſo tantæ cladis nomine libet. Paſtorum caſas ignis ille, & flamma paupertatem Romuli abſcondit. Incendium illud quid egit aliud, niſi ut deſtinata hominum ac deorum domicilio civitas, non deleta,

leta, non obruta, ſed expiata potius, & luſtrata videatur? Igitur poſt aſſertam a Manlio, reſtitutam a Camillo Urbem, acrius etiam vehementiuſque in finitimos reſurrexit. Ac primum omnium illam ipſam Gallicam gentem non contentus mœnibus expuliſſe, quum per Italiam naufragia ſua latius traheret, ſic perſequutus eſt duce Camillo, ut hodie nulla Senonum veſtigia ſuperſint. Semel apud Anienem trucidati, quum ſingulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter ſpolia detraxit: inde Torquati. Iterum Pomptino agro, quum in ſimili pugna Lucius Valerius, inſidente galeæ ſacra alite adjutus, retulit ſpolia: & inde Corvini. Tandem poſt aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella delevit: ne quis exſtaret in ea gente, quæ incenſam a ſe Romam urbem gloriaretur.

## CAPUT XIV.

### *Bellum Latinum.*

CONverſus a Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure conſulibus, ſemper quidem æmulatione imperii infeſtos, tum vero contemptu Urbis incenſæ; quum jus civitatis, partem imperii ac magiſtratum poſcerent, atq; jam amplius, quam congredi auderent: quo tempore quis ceſſiſſe hoſtem mirabitur? quum al-

ter

ter consulum filium suum; quia contra imperium pugnaverat, quamvis victorem occiderit, quasi plus in imperio esset, quam in victoria: Alter quasi monitu deorum, [1] capite velato primam ante aciem diis manibus se devoverit: ut in confertissima se hostium tela jaculatus, novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret.







1 Primus nummus est C.Julii Cæsaris, alter L. Ælii Cæsaris. Uterque pietatem velatam repræsentat. Velati diis sacra faciebant Romani.

## CAPUT XV.

### *Bellum Sabinum.*

A Latinis aggressus est gentem Sabinorum, qui immemores factæ sub Tito Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adjunxerant. Sed Curio Dentato consule, omnem eum tractum, qua Narannis fontesque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vastavit

vit. Qua victoria, tantum hominum, tantum agrorum redactum in poteſtatem, ut, in utro plus eſſet, nec ipſe poſſet æſtimare, qui vicerat.

## CAPUT XVI.

### *Bellum Samniticum.*

PRecibus deinde Campaniæ motus, non pro ſe, ſed, quod eſt ſpecioſius, pro ſociis Samnitas invadit. Erat fœdus cum utriſque percuſſum: ſed hoc Campani ſanctius, & prius omnium ſuorum deditione fecerant. Sic ergo Romanus bellum Samniticum tanquam ſibi geſſit. Omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum, pulcerrima Campaniæ plaga eſt. Nihil mollius cœlo: denique bis floribus vernat. Nihil uberius ſolo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur. Nihil hoſpitalius mari: Hic illi nobiles portus, Cajeta, Miſenus & tepentes fontibus Bajæ: Lucrinus & Avernus, quædam maris otia. Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Maſſicus, & pulcerrimus omnium Veſuvius Ætnæi ignis imitator. Urbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli Neapolis, Herculaneum, Pompeji, & ipſa caput urbium Capua quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata. Pro hac vrbe, his regionibus populus Romanus Samnites invaſit, gentem, ſi opulentiam quæris, aureis & argenteis armis, diſcolori veſte

veſte, uſque ad ambitum armatam: ſi fallaciam, ſaltibus fere & montium fraude graſſantem: ſi rabiem ac furorem, ſacratis legibus, humaniſque hoſtiis in exitium urbis agitatam: ſi pertinaciam, ſexies rupto fœdere, cladibuſque ipſis animoſiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos ita ſubegit ac domuit, ita ruinas ipſas urbium diruit, ut hodie Samnium in ipſa Samnio requiratur: nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maxime tamen nota & illuſtris ex hac gente clades, apud Caudinas furculas Veturio Poſthumioque Conſulibus accepta eſt. Clauſo per inſidias intra eum ſaltum exercitu, unde non poſſet evadere, ſtupens occaſione tanta dux hoſtium Pontius, Herennium patrem conſuluit, & ille, mitteret omnes, vel occideret, ſapienter, ut ſenior, ſuaſerat. Hic armis exutos mittere ſub jugum maluit; ut nec amici forent beneficio, & poſt flagitium hoſtes magis. Itaque & conſules ſtatim magnifice voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt, & ultionem flagitans miles, Papirio duce (horribile dictu) ſtrictis enſibus per ipſam viam ante pugnam fuit: & in congreſſu arſiſſe omnium oculos hoſtis auctor fuit, nec prius finis cædibus datus, quam jugum, & hoſtibus & duci capto repoſuerunt.

## CAPUT XVII.

### *Bellum Etruscum & Samniticum.*

HActenus populus Romanus cum singulis gentium: mox acervatim: tamen sic quoque par omnibus. Etruscorum duodecim populi, Umbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus, Samnitium reliqui in excidium Romani nominis repente conjurant. Erat terror ingens, tot simul tantorumque populorum. Late per Etruriam infesta quatuor agminum signa volitabant. Ciminius interim saltus in medio, ante invius, plane quasi Calidonius, vel Hercynius, adeo tunc terrori erat, ut senatus consuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi auderet. Sed nihil horum terruit ducem, quin fratre præmisso exploraret accessus. Ille per noctem pastorio habitu speculatus omnia, refert totum iter. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum periculo explicavit. Nam subito inconditos atque palantes aggressus est, captisque superioribus jugis, in subjectos suo jure detonuit. Ea namque species fuit illius belli, quasi in terrigenas e cœlo ac nubibus tela mitterentur. Nec incruenta tamen illa victoria. nam oppressus in sinu vallis alter Consulum Decius, more patrio devotum diis manibus obtulit caput: solemnemque familiæ suæ consecrationem in victoriæ pretium redegit.

CA-

## CAPUT XVIII.

### *Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho Rege.*

SEquitur bellum Tarentinum, unum quidem titulo & nomine; sed victoria multiplex. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Tarentinos, id est, totam Italiam, & cum istis omnibus [1] Pyrrhum, clarissimum Græciæ regem, una veluti ruina pariter involvit: ut eodem tempore, & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicarerur. Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, cum magnitudine & muris portuque nobili, tum mirabili situ, quippe in ipsis Adriatici maris faucibus posita, in



[1] Est hæc Pyrrhi facies in numma expressa.

C 2 omnes

omnes terras, Iſtriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui, ad proſpectum maris poſitum, majus theatrum: quod quidem cauſſa miſeræ civitati fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrabant, quum adremigantem littori Romanam claſſem inde vident: atque hoſtem rati, emicant, ſine diſcrimine inſultant. Qui enim, aut unde Romani? nec ſatis. Aderat ſine mora querelam ferens legatio, hanc quoque fœde per obſcœnam, turpemque dictu contumeliam violant, ex hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot ſimul populi pro Tarentinis conſurgerent, omnibuſque vehementior Pyrrhus: qui Semigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus civitatem vindicaturus, cum totius viribus Epiri, Theſſaliæ, Macedoniæ, incognitiſque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito inſuper ferarum terrore, veniebat. Apud Heracleam, & Campaniæ fluvium Lirim, Lævino conſule, prima pugna: quæ tam atrox fuit, ut Frentanæ turmæ præfectus Obſidius invectus in regem, turbaverit, coëgeritque projectis inſignibus prælio excedere. Actum erat, niſi elephanti converſi in ſpectaculum belli procurriſſent: quorum cum magnitudine, tum deformitate, & novo odore ſimul ac ſtridore conſternati equi, quum incognitas ſibi belluas amplius quam erant, ſuſpicaren-

caren-

carentur, fugam ſtragemque late dederunt. In Apulia deinde apud Aſculum melius dimicatum eſt, Curio, Fabricioque conſulibus; jam quippe belluarum terror exoleverat, & Cajus Minucius quartæ legionis haſtatus, unius proboſcide abſciſſa, mori poſſe belluas oſtenderat. Itaque & in ipſas [2] pila congeſta ſunt, & in tur-



In antiqua Invictiſſimi Imperatoris Romanorum gemma, Auguſtæa, a V. V. CLL. Alberto Rubenio, & Petro Lambecio publicata, hic miles cum pilo exhibetur.

res vibratæ faces, tota hoſtium agmina ardentibus ruinis operuere: nec ante cladi finis fuit, quam nox dirimeret: poſtremuſque fugientium ipſe rex a ſatellitibus humero ſaucius in armis ſuis referretur. Lucaniæ ſuprema pugna ſub Aruſinis, quos vocant, campis, ducibus iiſdem, qui ſuperius: ſed tunc ad totam victoriam, exitum, quem datura virtus fuit, caſus dedit. Nam productis in primam aciem rurſus elephantis, unum ex his pullum adacti in caput teli gravis ictus avertit: qui quum per ſtragem ſuorum percurrens ſtridore quereretur, mater agnovit, & quaſi vindicaret, exiluit, tum omnia circa quaſi hoſtilia gravi timore permiſcuit. Ac ſic eædem feræ, quæ primam victoriam abſtulerant, ſecundam parem fecerant, tertiam ſine controverſia tradidere. Nec vero tantum armis, & in campis, ſed conſiliis quoque & domi intra Urbem cum rege Pyrrho dimicatum eſt. Quippe poſt primam victoriam rex callidus, intellecta virtute Romana, ſtatim deſperavit armis: ſeque ad dolos contulit. Nam interemptos cremavit: captivoſque indulgenter habuit, & ſine pretio reſtituit. Miſſiſque deinde legatis in Urbem omni modo annixus eſt, ut in amicitiam reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem Romana virtus tum ſe adprobauit: nec alia magis, quam Tarentina victoria oſtendit populi Romani

mani fortitudinem, ſenatus ſapientiam, ducum magnanimitatem. Quinam illi fuerunt viri, quos ab elephantis primo prœlio obtritos accepimus? omnium vulerna in pectore: quidam hoſtibus ſuis immortui: omnium in manibus enſes: & relictæ in vultibus minæ: & in ipſa morte ira vivebat. Quod adeo Pyrrhus miratus eſt, ut diceret: O quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis! Quæ autem eorum, qui ſuperfuerunt, in reparando exercitu feſtinatio? quum Pyrrhus, video me, inquit, plane Herculis ſydere procreatum, cui quaſi ab angue Lernæo, tot cæſa hoſtium capita de ſanguine ſuo renaſcuntur. Qui autem ille ſenatus fuit? quum perorante Appio Cæco, pulſi cum muneribus ſuis ab urbe legati, interroganti regi ſuo, quid de hoſtium ſede ſentirent, Urbem templum ſibi viſam, ſenatum regum conſeſſum eſſe confiterentur. Qui porro ipſi duces, vel in caſtris? quum medicum venale regis Pyrrhi caput offerentem Curius remiſit: Fabricius oblatam ſibi a rege imperii partem repudiavit. vel in pace: quum Curius fictilia ſua Samnitico præferret auro: Fabricius decem pondo argenti circa Rufinum conſularẽ virum, quaſi luxuriam cenſoria gravitate damnaret. Quis ergo miretur his moribus, virtutẽ, militũ, victorem populum Romanum fuiſſe? unoque

bello Tarentino intra quadriennium maximam partem Italiæ, fortiſſimas gentes, opulentiſſimas urbes, uberrimaſque regiones in ditionem redegiſſe? Aut quid adeo fidem ſuperet, quam ſi principia belli cum exitu conferantur? Victor primo prælio Pyrrhus, tota tremente Campania, Lirim, Fregellaſque populatus, prope captam Urbem a Præneſtina arce proſpexit: & a viceſimo lapide oculos trepidæ civitatis fumo ac pulvere implevit. Eodem poſtea bis exuto caſtris, bis ſaucio, & in Græciam ſuam trans mare ac terras fugato, pax & quies, ſed tanta adeo de opulentiſſimis tot gentibus ſpolia, ut victoriam ſuam Roma non caperet. Nec enim temere ullus pulchrior in Urbem, aut ſpecioſior triumphus intravit. Ante hunc diem nihil, niſi pecora Volſcorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidiſſes: tum ſi captivos aſpiceres; Moloſſi, Theſſali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus; ſi pompas, aurum, purpura, ſigna, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius populus Romanus aſpexit, quam illas quas timuerat, cum turribus ſuis belluas: quæ non ſine ſenſu captivitatis, ſubmiſſis cervicibus, victores equos ſequebantur.

CAPUT

## CAPUT XIX.

### *Bellum Picens.*

OMnis mox Italia pacem habuit. Qui enim post Tarentum auderent? nisi quod ultro persequi socios hostium placuit. Domiti ergo Picentes, & caput gentis Asculum; Sempronio duce: qui tremente inter prœlium campo, 1 Tellurem deam, promissa æde, placavit.







1 Hic tellus sub forma mulieris sedentis superiora nudæ ostenditur, manum imponentis globo cœlesti, quam vitis obumbrat, quæ ex ea nascitur. Præsto sunt tres mulieres, ejus quasi filiæ, nimirum Europa, Asia, Africa. Quarta est Victoria, ex omnibus tribus partibus triumphos apportans Imperatori. In altero nummo Tellus sub Cybeles forma se prebet conspiciendam, ut sæpe alias. Nam sub Cybeles nomine Tellurem colebant.

## CAPUT XX.

*Bellum Sallentinum.*

SAllentini Picentibus additi, caputque regionis Brundusium incluto portu, Marco Atilio duce. Et in hoc certamine, victoriæ pretium templum sibi pastoria Pales ultro poposcit.

## CAPUT XXI.

*Bellum Volsinense.*

POstremi Italicorum in fide mansere Volsini, opulentissimi Etruscorum, implorantes opem adversus servos quondam suos: qui libertatem a dominis datam, in ipsos erexerant: translataque in se republica, dominabantur. Sed hi quoque, duce Fabio Gurgite, pœnas dederunt.

## CAPUT XXII.

*De seditionibus.*

HÆc est secunda ætas populi Romani & quasi Adolescentia: qua maxime viruit, & quodam flore virtutis exarsit, ac ferbuit. Ita quæ inerat quædam adhuc ex pastoribus feritas, quiddam spirabat indomitum. Inde est, quod exercitus Posthumium Imperatorem, infi-

ciantem

ciantem, quas promiſerat prædas, facta in caſtris ſeditione, lapidavit: quod ſub Appio Claudio noluit vincere hoſtem, quum poſſet: quod duce Volerone, detrectantibus pleriſque militiam fracti conſulis faſces: inde, quod clariſſimos principes, quum adverſarentur voluntati ſuæ, exulatione multavit: ut, Coriolanum colere agros jubentem; (nec minus ille ferociter injuriam armis vindicaſſet, niſi quod jam inferentem ſigna filium mater Veturia lacrimis ſuis exarmavit.) ut ipſum Camillum, quod inique inter plebem & exercitum diviſiſſe Vejentem prædam videretur. Sed hic melior, in capta Urbe conſenuit; & mox ſupplices de hoſte Gallo vindicavit. Cum Senatu quoque vehementius æquo bonoque certatum eſt; adeo, ut relictis ſedibus ſolitudinem & interitum patriæ ſuæ minaretur.

## CAPUT XXIII.

PRima diſcordia ob impotentiam fœneratorum: quibus in terga quoque ſerviliter ſævientibus, in Sacrum montem plebs armata ſeceſſit: ægreque, nec, niſi Tribunos imperaſſet, Meneni Agrippæ facundi & ſapientis viri auctoritate revocata eſt. Extat orationis antiquæ ſatis efficax ad concordiam fabula, qua diſſediſſe inter ſe quondam humanos dixit artus,

tus, quod omnibus opere fungentibus, ſolus venter immunis ageret: deinde moribundos a ſejunctione rediiſſe in gratiam, quando ſenſiſſent, quod ejus opera, redactis in ſanguinem cibis irrigarentur.

## CAPUT XXIV.

SEcundam in Urbe media decem viratus libido conflavit. Allatas a Græcia leges decem principes lecti, jubente populo, conſcripſerant: ordinataque erat in duodecim tabulis tota juſtitia: quum tamen traditos faſces regio quodam furore retinebant. Ante ceteros Appius eo inſolentiæ elatus eſt, ut ingenuam virginem ſtupro deſtinaret, oblitus & Lucretiæ, & regum, & juris quod ipſe compoſuerat. Itaque quum oppreſſam judicio filiam trahi in ſervitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus, in medio foro manu ſua interfecit: admotiſque ſignis commilitonum, totom eam dominationem obſeſſam armis, in carcerem & catenas ab Aventino monte detraxit.

## CAPUT XXV.

TErtiam ſeditionem excitavit matrimoniorum dignitas; ut plebeji cum patriciis jungeren-

gerentur: qui tumultus in monte Janiculo, duce Canuleio Tribuno plebis, exarſit.

CAPUT XXVI.

QUartam honorum cupido, ut plebeji quoque magiſtratus crearentur. Fabius Ambuſtus duarum pater, alteram Sulpicio patricii ſanguinis dederat, alteram plebejo Stoloni. Hæc quodam tempore, quod lictoriæ virgæ ſonum ignotum penatibus ſuis expaverat, a ſorore ſatis inſolenter irriſa, injuriam non tulit. Itaque nactus tribunatum, honorum & magiſtratuum conſortium, quamvis invito ſenatui extorſit. Verum in his ipſis ſeditionibus, principem populum non immerito ſuſpexeris. Siquidem nunc libertatem, nunc pudicitiam, tum natalium dignitatem, honorum decora & inſignia vindicavit; interque hæc omnia, nullius acrior cuſtos, quam Libertatis fuit; nullaque in pretium ejus potuit largitione corrumpi; quum, ut in magno, & in dies majore populo, interim pernicioſi cives exiſterent. Spurium Caſſium, Agraria lege; Mælium, largitione ſuſpectum regiæ dominationis, præſenti morte multavit. Ac de Spurio quidem ſupplicium pater ipſius ſumpſit: hunc Quinctii Dictatoris imperio, in medio foro magiſter equitum Servilius

vilius [1] Ahala confodit. Manlium vero Capitolii vindicem, quia plerosque debitorum liberaverat, altius se & incivilius efferentem, ab illa quam defenderat, arce dejecit. Talis domi ac foris; talis pace belloque Populus Romanus, fretum illud adolescentiæ, id est, secundam imperii ætatem habuit; in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis subegit.



1. Vides hic imaginem Ahalæ.

# Liber Secundus.

## CAPUT PRIMUM.

DOmita subactaque Italia, Populus Romanus prope quingentesimum annum agens, quum bona fide adolevisset; si quod est

eſt robur, ſi qua juventas; tum ille vere robuſtus, & juvenis, & par orbi terrarum eſſe cœpit. Ita, (mirum, & incredibile dictu) qui prope quingentis annis domi luctatus eſt (adeo difficile fuerat dare Italiæ caput) his ducentis annis, qui ſequuntur, Africam, Europam, Aſiam, totum denique orbem terrarum bellis victoriiſque peragravit.

## CAPUT II.

### *Primum bellum Punicum.*

IGitur victor Italiæ Populus, quum a terra fretum uſque veniſſet, more ignis, qui obvias populatus incendio ſilvas, interveniente flumine abrumpitur, paulliſper ſubſtitit. Mox quum videret opulentiſſimam in proximo prædam, quodam modo Italiæ ſuæ abſciſſam, & quaſi revulſam; adeo cupiditate exarſit, ut quatenus nec mole jungi, nec pontibus poſſet, armis belloque jungenda, & ad continentem ſuum revocanda bello videretur. Sed ecce ultro ipſis viam pandentibus fatis, nec occaſio defuit; quum de Pœnorum impotentia fœderata Siciliæ civitas Meſſana quereretur. Affectabat autem ut Romanus, ita Pœnus Siciliam; & eodem tempore paribus uterque votis ac viribus imperium orbis agitabat. Igitur ſpecie quidem ſocios juvandi, re autem ſollicitante præda:

da; quanquam territaret novitas rei (tanta tamen in virtute fiducia eſt) ille rudis paſtorius populus, vereque terreſter, oſtendit nihil intereſſe viriutis, equis an navibus, terra an mari dimicaretur. Appio Claudio Conſule primum fretum ingreſſus eſt, fabuloſis infame monſtris, æſtuque violentum: ſed adeo non eſt exterritus, ut illam ipſam ruentis æſtus violentiam pro munere amplecteretur: ſtatimque ac ſine mora [1] Hieronem Syracuſanum regem tanta celeritate vicit, ut ille ipſe ſe prius victum, quam hoſtem videret, fateretur. Duillio Cornelioque conſulibns, etiam mari congredi auſus eſt. Tum quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ auſpicium fuit. Intra enim ſexageſimum diem quam cæſa ſilva fuerat, centum ſexaginta navium claſſis in anchoris ſtetit; ut



1 En tibi Hieronem in nummo.

non

non arte factæ, sed quodam munere deorum conversæ in naves, atque mutatæ arbores viderentur. Prœlii vero forma mirabilis: quum illas celeres volucresque hostium naves hæ graves tardæque comprehenderent. Longe illis nauticæ artes, detergere remos, & ludificari fuga rostra. Injectæ enim ferreæ manus, machinæque aliæ, ante certamen multum ab hoste derisæ: coactique hostes quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparas, mersa & fugata hostium classe, primum illum [2] maritimum egit triumphum. Cujus quod gaudium fuit? quum Duillius Imperator, non contentus unius diei triumpho, per vitam omnem ubi a cena rediret prælucere funalia, præcinere sibi tibias jussit, quasi quotidie triumpharet. Præ tanta victoria leve hujus prœlii damnum fuit. Alter consulum interceptus Asina Cornelius: qui simulato colloquio evocatus, atque ita oppressus fuit; perfidiæ Punicæ documentum. Calatino dictatore, fere omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. Trepi-

Memoriam hujus victoriæ consecravit populus Romanus posita columna rostris captarum navium ornata in foro, de qua Plin. xxxxiv, 5. Quintil. l. 13. Sil. Stal vi. Punic. Basis ejus eruta fuit Romæ superioribus hujus sæculi annis, quam hic subjeci. Est hoc omnium Latinæ linguæ monumentorum antiquissimum, ex quo videre licet, quænam illius ætatis fuerit loquendi scribendique ratio. Expositionem ejus vide apud Ciacconium, qui singulari libello hunc titulum illustravit, quamvis & alii viri eruditi in illa exponenda desudarint.


·C·D..... M·F·M·N·C.... L·..........
............S AN·O ..............
.....D·EXE MET·LECIONES·R..........
AXIMOSQVE·MACISTRATOS·L.........
.....OVEM·CASTREIS·EXFOCIONT·MACEL...
CNANDOD CEPET·ENQVE·EODEM·MACIS
MNAVEBOS·MARID·CONSOL·PRIMOS·C....
CLASESQVE·NAVALES·PRIMOS·ORNAVET·PAL
CVMQVE·EIS·NAVEBVS·CLASEIS·POENICAS·OM....
SVMAS·COPIAS·CARTACINIENSIS·PRAESENTE
DICTATORED OL...OM·IN·ALTOD·MARID·PVC....
...NQVE·NAV...ET·CVM·SOCIEIS·SEPTER....
.....OSQVE TRIREMOS QVE NAVEIS·X....
.......OM·CAP TOM·NVMEI·ↀ ↀ ↀDCC
........TOM·CAPTOM·PRAEDA·NVMEI·
CAPTOM·AES
..QVE·NAVALED·PRAEDAD·POPLON..........
.....CARTACINIENSIN......NVOS·L.........
...........FI .....CAPT...............


datum eſt ſemel circa Camerinenſium ſaltum : ſed eximia virtute Calpurnii Flammæ tribuni militum evaſimus ; qui lecta trecentorum manu, infeſtum & inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupavit, adeoque moratus hoſtem, dum exercitus omnis evaderet : ac ſic pulcherrimo exitu Thermopylarum & Leonidæ famam adæquavit : hoc illuſtrior noſter, quod expeditioni tantæ ſuperfuit & ſupervixit, licet nihil ſcripſerit ſanguine. Lucio Cornelio Scipione, quum jam Sicilia ſuburbana eſſet populi Romani provincia ; ſerpente latius bello, Sardiniam annexamque Corſicam tranſit [3] Olbiæ hic, ibi Aleriæ urbis excidio incolas terruit, adeoque omnes terra, mari Pœnos expugnavit, ut jam victoriæ nihil niſi Africa ipſa reſtaret. Marco Attilio Regulo duce jam in Africam navigabat bellum, nec deerant, qui ipſo

[3] Extat & hujus rei monumentum, quod vetuſtate proxime accedit ad Duillianum, inſcriptio ad portam Capenam effoſſa :

HONC. OINO. PLOIRVME. COSENTIONT. R. DVONORO. OPTVMO. FVISE. VIRO. LVCIOM. SCIPIONE. FILIOS. BARBATI. CONSOL. CENSOR. AIDILIS. HIC. FVET. A. HEC. CEPIT. CORSICA. ALERIAQVE. VRBE. DEDET. TEMPESTATIBVS. AIDE. MERETO.

Hoc eſt, hunc unum plurimi conſentiunt Romæ Bonorum, optimum fuiſſe virum, Lucium Scipionem. Filius Barbati, Conſul, Cenſor, Ædilis hic fuit. Hic cepit Corſicam, Aleriamque urbem. Dedit tempeſtatibus ædem merito. Pluribus hunc lapidem veterrimum illuſtravit Jacobus Sirmondus.

Punici maris nomine, ac terrore deficerent, augente insuper Tribuno Mannio metum: in quem nisi paruisset securi districta Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox ventis remisque properatum est: tantusque terror hostici adventus Pœnis fuit, ut apertis pæne portis Carthago caperetur. Prima belli præmium fuit civitas Clypea: prima enim a Punico littore quasi arx & specula procurrit. Et hæc, & trecenta amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est; quum quasi in vindictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bagradam castra vexaret. Sed omnium victor + Regulus, quum terrorem nominis sui late circumtulisset; quumque magnam vim juventutis, ducesque ipsos aut cecidisset,




4. En tibi M. Attilium Regulum ex nummo argenteo F. Ursini in imaginibus virorum illustrium descriptum.

aut

aut haberet in vinculis; classemque ingenti præda onustam,& triumpho gravem,in Urbem præmisisset; jam ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidio,ipsisque portis inhærebat. Hic paullulum circumacta fortuna est; tantum ut plura essent Romanæ virtutis insignia: cujus fere magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conversis ad externa auxilia hostibus; quum Xanthippum illis ducem Lacedæmon misisset, a viro militiæ peritissimo vincimur. Tum fœda clade, Romanisque usu incognita, vivus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec Punico carcere infractus est, nec legatione suscepta: quippe diversa, quam hostes mandaverant, censuit, ne pax fieret, nec commutatione captivorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec ultimo sive carceris, sive crucis supplicio deformata majestas; imo his omnibus admirabilior, quid aliud quam victus de victoribus, atque etiam, quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit? Populus autem Romanus multo acrior infestiorque pro ultione Reguli, quam pro victoria fuit. Metello igitur consule spirantibus altius Pœnis, & reverso in Siciliam bello, apud Panormum sic hostes cecidit, ut ne amplius eam insulam cogitarent. Argumentum ingentis victoriæ, cen-

tum circiter elephantorum captivitas; ſic quoque magna præda, ſi gregem illum non bello, ſed venatione cepiſſet. Appio Claudio conſule, non ab hoſtibus ſed a diis ipſis ſuperatus eſt, quorum auſpicia contemſerat; ibi ſtatim claſſe demerſa, ubi ille præcipitari ſ pullos juſſerat, quod pugnare ab his vetaretur. Marco Fabio Buteone conſule, claſſem hoſtium in Africo mari apud Ægimurum, jam in Italiam ultro navigantem cecidit. Quantus o tunc triumphus tempeſtate intercidit, quum opulenta præda claſſis, averſis acta ventis, naufragio ſuo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, inſularum littora implevit! Magna clades, ſed non ſine aliqua principis populi dignitate; interceptam tempeſtate victoriam, & triumphum periiſſe naufragio; & tamen, quum



ſ En tibi pullos paſcentes qui in antiqui epitaphii marmore Romæ videntur.

Punicæ

Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulisque frustarentur & fluitarent, populus Romanus & sic triumphavit, Lutatio Catu loconsule tandem bello finis impositus, apud insulas, quibus nomen Ægates. Nec major alias in mari pugna; quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis hostium classis, & in ea quasi tota Carthago: quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, levis, expedita, & quodam genere castrensis; ad similitudinem pugnæ equestris sic remis quasi habenis agebatur; & in hos vel in illos mobilia rostra speciem viventium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, ut de exscindendis hostium mœnibus non quæreretur. Supervacuum visum est in arcem murosque sævire, quum jam in mari esset deleta Carthago.

## CAPUT III.

### *Bellum Ligusticum.*

PEracto Punico bello, sequuta est brevis sane, & quasi ad recipiendum spiritum requies, argumentumque pacis, & bona fide cessantium armorum, tunc primum post Numam clausa porta Jani fuit: sed statim ac sine

mora patuit. Quippe jam Ligures, jam Insubres Galli, nec non & Illyrii lacessebant, sic desub Alpibus, id est, desub ipsis Italiæ faucibus, gentes, deo quodam assidue incitante, ne rubiginem scilicet ac situm arma sentirent. Denique utrique cotidiani, & quasi domestici hostes tirocinia militum imbuebant, nec aliter utraque gente quam si cote quadam populus Romanus ferrum suæ acuebat virtutis. Ligures imis Alpium jugis adhærentes inter Varum & Macram flumen, implicitosque dumis silvestribus, major aliquanto labor erat invenire, quam vincere. Tuti locis, & fuga, durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia, quam bella faciebat. Itaque quum diu multumque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni, tandem Fulvius latebras eorum ignibus sepsit: Bæbius in plana deduxit: Posthumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur.

## CAPUT IV.

### *Bellum Gallicum.*

GAllis Insubribus, & his accolis Alpium, animi ferarum, corpora plusquam humana erant. Sed experimento deprehensum est, quippe sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam feminarum:

rum: alpina corpora humenti cœlo educata, habent quiddam ſimile nivibus ſuis: quæ mox ut caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt; & levi motu, quaſi ſole, laxantur. Hi ſæpe & alias, ſed Britomaro duce, non prius ſoluturos ſe baltea, quam Capitolium aſcendiſſent, juraverant. Factum eſt. Victos enim Æmilius in Capitolio diſcinxit. Mox Arioviſto duce vovere de noſtrorum militum præda Marti ſuo torquem. Intercepit Juppiter votum. nam de torquibus eorum aureum tropeum Jovi Flaminius erexit. Viridomaro rege Romana arma Vulcano promiſerant. aliorſum vota ceciderunt. Occiſo enim rege, [1] Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Jovi arma ſuſpendit.




1 En tibi Marcellum quinquies Conſulem, qui anno D.XXXI. de Gallis Inſubribus triumphavit, & *ſpolia* opima Jovi Feretrio tulit, in averſa parte hujus nummi ſignata, quam quæres ſuperius ad Cap. I. Lib. I.

CAPUT

## CAPUT V.

### *Bellum Illyricum.*

ILlyrii, ſeu Liburni ſub extremis Alpium radicibus agunt, inter Arſiam, Titiumque flumen, longiſſime per totum Adriani maris littus effuſi. Hi regnante Teutana muliere, populationibus non contenti, licentiæ ſcelus addiderunt. Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant, jure agentes nec gladio quidem, ſed ut victimas, ſecuri percutiunt. præfectos navium, igni comburunt, idque quod indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cnæo Fulvio Centimalo duce, late domantur. Strictæ in principum colla ſecures, legatorum Manibus litavere.

## CAPUT VI.

### *Bellum Punicum ſecundum.*

POſt primum Punicum bellum, vix quadriennii requies, ecce alterum bellum: minus quidem ſpatio (nec enim amplius quam decem & octo annos habet) ſed adeo cladium atrocitate terribilius, ut ſi quis conferat damna utriuſque populi, ſimilior victo ſit populus qui vicit. Urebat nobilem populum ablatum mare, captæ inſulæ, dare tributa, quæ jubere con-

consueverat. Hinc ultionem puer Annibal ad aram patri juraverat: nec morabatur. Igitur in caussam belli Saguntus delecta est, vetus Hispaniæ civitas, & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum, quam in libertatem communi fœdere exceptam [1] Annibal caussas novorum motuum quærens, & suis & ipsorum manibus evertit, ut Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est: itaque ad auditum sociæ civitatis obsidium, memores icti cum Pœnis quoque fœderis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. Interim jam novem mensibus fessi fame, machinis, ferro, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis



1 Hannibalis hanc imaginem præ se fert nummus argenteus.

ferro

ferro & igni corrumpunt. Hujus tantæ cladis auctor Annibal poſcitur. Tergiverſantibus Pœnis, dux legationis: Quæ, inquit, mora eſt Fabius? In hoc ego ſinu bellum pacemque porto: Utrum eligitis? Succlamantibus; Bellum. Bellum igitur, inquit, accipite: & excuſſo in media curia togæ gremio, non ſine horrore, quaſi plane ſinu ferret, bellum effudit. Similis exitus belli initio fuit. nam quaſi has inferias ſibi Saguntinorum ultimæ diræ in illo publico parricidio incendioque mandaſſent; ita Manibus eorum vaſtatione Italiæ, captivitate Africæ ducum & regum, qui id geſſere bellum, exitio parentatum eſt. Igitur ubi ſemel ſe in Hiſpania movit illa gravis & luctuoſa Punici belli vis atque tempeſtas, deſtinatumque Romanis jam diu fulmen Saguntino igne conflavit; ſtatim quodam impetu rapta medias perfregit Alpes; & in Italiam ab illis fabuloſæ altitudinis nivibus, velut cœlo miſſa deſcendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum valido ſtatim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fuſus exercitus, ſaucius etiam ipſe veniſſet in manus hoſtium imperator, niſi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipſa morte rapuiſſet. Hic erit Scipio, qui in exitium Africæ creſcit, nomen ex malis ejus habiturus. Ticino Trebia ſuccedit. Hic ſecunda belli Punici procella deſævit, Sempronio

consule. Tunc callidissimi hostes frigidum & nivalem nacti diem, quum se ignibus prius oleoque fovissent (horribile dictu) homines a meridie & sole venientes nostra nos hieme vicerunt. Trasimenus lacus tertium fulmen Annibalis, imperatore Flaminio. ibi quoque ars nova Punicæ fraudis. quippe nebula lacus palustribusque virgultis tectus eques, terga subito pugnantium invasit. Nec de diis possumus queri. imminentem quippe temerario duci cladem prædixerant insidentia signis examina, & aquilæ prodire nolentes, & commissam aciem sequutus ingens terræ tremor: nisi illum horrorem soli, equitum virorumque discursus, & mota vehementius arma fecerunt. Quartum, id est, pæne ultimum vulnus imperii Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus: sed magnitudine cladis emersit; & quadraginta millium cæde parta nobilitas. Ibi in exitium infelix exercitus, dux, terra, cœlum, dies, tota denique rerum natura consensit. Siquidem non contentus simulatis transfugis Annibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt, insuper callidissimus imperator, patentibus in campis, observato loci ingenio, quod & Sol ibi acerrimus, & plurimus pulvis, & Eurus ab Oriente semper quasi ad constitutum, ita instruxit aciem, ut Romanis adversus hæc omnia adversis, quasi secundum cœlum tenens, vento, pulvere, Sole pugnaret. Itaque

duo


duo maximi exercitus cæsi ad hostium satietatem, donec Annibal diceret militi suo; Parce ferro. Ducum effugit alter, alter occisus est: dubium uter majore animo. Paullum puduit, Varro non desperavit. Documenta cladis cruentus aliquandiu Aufidus: pons de cadaveribus jussu ducis factus in torrente Vergelli; modii duo anulorum Carthaginem missi, dignitasque equestris taxata mensura. Dubium deinde non erit, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, si (quod Pœnum illum dixisse Adarbalem Bomilcaris ferunt) Annibal quemadmodum sciret vincere, sic uti victoria scisset. Tum quidem illum, ut dici vulgo solet, aut Fatum urbis imperaturæ, aut ipsius mens mala, & aversi a Carthagine dii in diversum abstulerunt. Quum victoria posset uti, frui maluit; relictaque Roma Campaniam Tarentumque peragrare: ubi mox & ipse, & exercitus ardor elanguit; adeo ut verum dictum sit; Capuam Annibali Cannas fuisse. Siquidem invictum Alpibus, indomitum armis, Campaniæ (quis crederet?) soles & tepentes fontibus Bajæ subegerunt. Interim respirare Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma non erant; detracta sunt templis, deerat juventus; in sacramentum militiæ liberata servitia; egebat ærarium, opes suas libens senatus

tus in medium protulit, nec præter quod in bullis ſingulisque anulis erat, quicquam ſibi auri reliquere. Eques ſequutus exemplum; imitatæque equitem tribus. Denique vix ſuffecere tabulæ, vix ſcribarum manus, Lævino Marcelloque conſulibus, quum privatæ opes in publicum deferrentur. Quid autem in deligendis magiſtratibus, quæ centuriarum ſapientia, quum juniores a ſenioribus conſilium de creandis conſulibus petivere; Quippe adverſus hoſtem totiens victorem, tam callidum, non virtute tantum, ſed ſuis etiam pugnare conſiliis oportebat. Prima redeuntis, & ut ſic dixerim, reviviſcentis imperii ſpes Fabius fuit: qui novam de Annibale victoriam commentus eſt, nolle pugnare. Hinc illi cognomen novum, & Reipublicæ ſalutare, Cunctator. Hinc illud ex populo, ut Imperii ſcutum vocaretur. Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranoſq; ſaltus ſic maceravit Annibalem, ut qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce etiam congredi auſus eſt. Cominus venit, & pepulit in Campania ſua & ab obſidione Nolæ urbis excuſſit. Auſus & Sempronio Gracho duce per Lucaniam ſequi, & premere terga cedentis: quamvis tunc (o pudor!) manu ſervili pugnaret. Nam hucuſque tot mala compulerant; ſed libertate donati, fecerant de ſervitute Romanos.

O hor-

O horribilem in tot adversis fiduciam! o singularem animum ac spiritum populi Romani! tam arctis afflictisque rebus, quum de Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diversa respicere, quumque hostes in jugulo per Campaniam Apuliamque volitarent, mediamque de Italia Africam facerent; eodem tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hispaniam, divisa per terrarum orbem arma mittebat. Sicilia mandata Marcello, nec diu restitit. Tota enim insula in una urbe superata est. Grande illud, & ante id tempus, invictum caput Syracusæ, quamvis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando cesserunt. Longe illi triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ: nisi quod hactenus profuere, ut pulchritudini victæ urbis parceretur. Sardiniam Gracchus arripuit: nihil illi gentium feritas, Insanorumque (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Sævitum in urbes, urbemque urbium Caralim, ut gens contumax, vilisque morti, saltem desiderio patrii soli domaretur. In Hispaniam missi Cnæus & Publius Scipiones, pæne totam Pœnis eripuerant; sed insidiis Punicæ fraudis oppressi rursus amiserunt, magnis quidem illi prœliis, quum Punicas opes cecidissent: sed Punicæ insidiæ alterum ferro castra metantem, alterum quum evasisset in turrim, cinctum facibus

cibus oppresserunt. Igitur in ultionem patris, ac patrui missus cum exercitu [1] Scipio, cui tam grande de Africa nomen fata decreverant, bellatricem illam, viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam Annibalis eruditricem (incredibile dictu) totam a Pyrenæis montibus in Herculis columnas & Oceanum recuperavit: nescias citius an felicius, quam velociter, quatuor anni fatentur: quam facile, vel una civitas probat, eodem quippe, quo obsessa est die, capta est? omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile victa est Hispana Carthago. Certum est tamen, ad profligandam provinciam maxime profecisse singularem ducis sanctitatem: quippe qui captivos pueros, puellasque præcipuæ pulcritudinis, barbaris restituerit;



1 Ex marmore hic Scipio Africanus major descriptus est a F. Ursino.

E ne

ne in conſpectum quidem ſuum paſſus adduci; nequid de virginitatis integritate delibaſſe ſaltem oculis videretur. Hæc inter diverſa terrarum populus Romanus: nec ideo tamen Italiæ viſceribus inhærentem ſummovere poterat Annibalem. Pleraque ad hoſtem defecerant: & dux acerrimus contra Romanos Italicis quoque viribus utebatur. Iam tamen eum pleriſque oppidis & regionibus excuſſeramus. Tarentus ad nos redierat: jam & Capua, ſedes & domus, & patria altera Annibalis tenebatur: cujus amiſſio tantum Pœno duci dolorem dedit, ut inde totis viribus Romam converteretur. O populum dignum orbis imperio! dignum omnium favore, & admiratione hominum ac Deorum! compulſus ad ultimos metus ab incepto non deſtitit: & de ſua Urbe ſollicitus Capuam tamen non omiſit; ſed parte exercitus ſub Appio conſule relicta, parte Flaccum in urbem ſequuta, abſens ſimul præſenſque pugnabat. Quid ergo miramur moventi caſtra a tertio lapide Annibali iterum ipſos Deos, Deos inquam, (nec fateri pudebit) reſtitiſſe? Tanta enim ad ſingulos illius motus vis imbrium effuſa, tanta ventorum violentia coorta eſt, ut divinitus hoſtem ſummoveri; neque cœlo, ſed ab Urbis ipſius mœnibus, & Capitolio ferri videretur. Itaque fugit, & ceſſit, & in ultimum ſe Italiæ recepit ſinum, quum

quum Urbem tantum non adoratam reliquisset. Parva res dictu, sed ad magnanimitatem populi Romani probandam satis efficax: quod illis ipsis, quibus obsidebatur diebus, ager, quem Annibal castris insederat, venalis Romæ fuit, hastæque subjectus invenit emptorem. Voluit Annibal contra fiduciam imitari; subjecitque argentarias Urbis tabernas: nec sector inventus est, ut scias etiam præsagia satis fuisse. Nihil actum erat tanta virtute, tanto favore etiam Deorum. siquidem Asdrubal frater Annibalis cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat. Actum erat proculdubio, si vir ille se cum fratre junxisset. sed hunc quoque castrametantem Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat. Nero in ultimos Italiæ angulos summovebat Annibalem. Livius in diversissimam partem, id est, in ipsas nascentis Italiæ fauces signa converterat; tanto, id est, omni, qua longissima Italia, solo interjacente. Quo consilio, qua celeritate, consules castra conjunxerint, inopinanterque hostem collatis signis compresserint, neque id fieri Annibal senserit, difficile dictu est. Certe Annibal re cognita, quum projectum fratris caput ad sua castra vidisset: Agnosco, inquit, infelicitatem Carthaginis. Hæc fuit illius viri, non sine præsagio quodam fati imminentis, prima

confeſſio. Jam certum erat Annibalem etiam ipſius confeſſione poſſe vinci: ſed tot rerum proſperarum fiducia plenus populus Romanus magni æſtimabat aſperrimum hoſtem in ſua Africa debellare. Duce igitur [1] Scipione in ipſam Africam tota mole converſus imitari cœpit Annibalem, & Italiæ ſuæ clades in Africa vindicare. Quas ille (dii boni!) Aſdrubalis copias, quos Syphacis exercitus fudit? quæ quantaque utriuſque caſtra facibus illatis una nocte delevit? denique jam non a tertio lapide, ſed ipſas Carthaginis portas obſidione quatiebat. Sic factum eſt, ut inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit maior ſub imperio Romano dies, quam ille, quum duo omnium & antea & poſtea ducum maximi, ille Italiæ,







[1] Vides hic triumphantem Scipionem de Pœnis. Anno V. C. DLII.

hic

hic Hiſpaniæ victor, collatis cominus ſignis direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipſos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione defixi. ubi de pace non convenit, ſigna cecinere. Conſtat utriuſque confeſſione, nec melius inſtrui aciem, nec acrius potuiſſe pugnari. Hoc Scipio de Annibalis, Annibal de Scipionis exercitu prædicaverunt. Sed tamen Annibal ceſſit; præmiumque victoriæ Africa fuit, & ſequutus Africam ſtatim terrarum orbis.

## CAPUT VII.

### *Bellum Macedonicum I.*

POſt Carthaginem vinci neminem puduit. Sequutæ ſunt ſtatim Africam gentes, Macedonia, Græcia, Syria, ceteraque omnia, quodam quaſi æſtu & torrente fortunæ. Sed primi omnium Macedones, affectator quondam imperii populus. Itaque quamvis tunc [1] Phi-



1 Nummus argenteus Philippi hujus imaginem nobis ſervavit apud. F. Urſinum.

lippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexandro videbantur. Macedonicum bellum nomine amplius, quam spectatione gentis fuit. Caussa cœpit a fœdere Philippi, quo rex jampridem dominantem in Italia Annibalem sibi sociaverat: postea crevit, implorantibus Athenis auxilium contra regis injurias, quum ille ultra jus victoriæ in templa, aras, & sepulcra ipsa sæviret. Placuit Senatui opem tantis ferre supplicibus. Quippe jam gentium reges, duces, populi, nationes, præsidia sibi ab hac urbe petebant. Primo igitur [2] Lævino consule populus Romanus Ionium mare ingressus, tota Græciæ littora veluti triumphanti classe peragravit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæ, Africæ præferebat: & manifestam victoriam nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum.








2. De quo exstat hic nummus apud Golzium in Fastis.

niorum. aderant Rhodii, nauticus populus: qui navibus a mari, consul a terris omnia equis virisque quatiebat. Bis victus rex, bis exutus castris: quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu: quæ non spiculis, non sagittis, nec ullo Græculo ferro, sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, ultra mortem patebant. Enimvero
3 Flaminio duce invios antea Chaonum montes, Aoumque amnem per abrupta vadentem, id est, ipsa Macedoniæ claustra penetravimus. Introisse victoria fuit. nam nunquam postea ausus congredi rex. Ad tumulos, quos Cynoscephalas vocant, uno, ac ne hoc quidem justo prælio opprimitur. Et illi quidem consul pacem dedit, regnumque concessit: mox, ne quid esset hostile, Thebas, & Eubœam, &




3 T. Quinctium Flaminium ex gemma dedit expressum, F. Ursinus in illustribus imaginibus.

grassantem sub Nabide suo Lacedæmona compescuit. Græciæ vero veterem statum reddidit, ut legibus viveret suis, & avita libertate frueretur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt, quum hoc forte Nemeæ in theatro quinquennalibus ludis a præcone caneretur? quid florum in consulem profuderunt? Et iterum iterumque præconem repetere illam vocem jubebant, qua libertas Achaiæ pronunciabatur: nec aliter illa consulari sententia, quam modulatissimo aliquo tibiarum, aut fidium cantu fruebantur.

## CAPUT VIII.

### *Bellum Syriacum regis Antiochi.*

MAcedoniam statim, & regem Philippum [1] Antiochus excepit, quodam casu, quasi



1 In numismate aureo hæc Antiochi effigies cernitur apud F. Ursinum.

in-

induſtria, ſic adgubernante fortuna, ut quemadmodum ab Africa in Europam, ſic ab Europa in Aſiam, ultro ſe ſuggerentibus cauſis, imperium procederet, & cum terrarum orbis ſitu ipſe ordo victoriarum navigaret. Non aliud formidoloſius fama bellum fuit. quippe quum Perſas & orientem, Xerxem atque Darium cogitarent; quando perfoſſi invii montes, quando velis opertum mare nunciaretur. ad hoc cæleſtes minæ territabant, quum humore continuo Cumanus Apollo ſudaret. Sed hic faventis Aſiæ ſuæ Numinis timor erat. Nec ſane viris, opibus, armis quicquam copioſius Syria: ſed in manus tam ignavi regis inciderat; ut nihil fuerit in Antiocho ſpecioſius, quam quod a Romanis victus eſt. Impulere regem in id bellum, illinc Thoas Ætoliæ princeps, inhonoratam apud Romanos querens adverſus Macedones militiæ ſuæ ſocietatem: hinc Annibal, qui in Africa victus, profugus, & pacis impatiens, hoſtem populo Romano toto orbe quærebat. Et quod illud fuiſſet periculum, ſi ſe conſiliis ejus rex tradidiſſet, id eſt, ſi Aſiæ viribus uſus fuiſſet miſer Annibal? Sed rex ſuis opibus, & nomine regio fretus, ſatis habuit bellum movere. Europa jam dubio procul jure ad Romanos pertinebat. Hic Lyſimachiam urbem, in littore Thracio poſitam a majoribus ſuis, Antiochus ut hæredario jure

re-

reposcebat. hoc velut sidere Asiatici belli mota tempestas. Et maximus regum contentus fortiter indixisse bellum, quum ingenti strepitu ac tumultu movisset ex Asia, occupatis statim insulis, Græciæque littoribus, otia & luxus tanquam victor agitabat. Eubœam insulam continenti adhærentem tenui freto reciprocantibus aquis Euripus abscidit. Hic ille positis aureis sericisque tentoriis, sub ipso freti murmure, quum inter fluenta tibiis fidibusque concineret, collatis undique, quamvis per hiemem, rosis, ne non aliquo ducem genere agere videretur, virginum puerorumque delectus habebat. Talem ergo regem jam sua luxuria debellatum populus Romanus, Acilio Glabrione consule, in insula aggressus, ipso statim adventus sui nuncio coegit ab insula fugere. Tum præcipitem apud Thermopylas assequutus, locum trecentorum Laconum speciosa cæde memorandum, ne ibi quidem fiducia loci resistentem, mari ac terra cedere coëgit. Statim & e vestigio itur in Syriam. Classis regia Polyxenidæ Annibalique commissa. nam rex prælium nec spectare poterat. Igitur duce Æmilio Regillo, adremigantibus Rhodiis, tota laceratur. Ne sibi placeant Athenæ; in Antiocho vicimus Xerxem; in Æmilio Themistoclem æquavimus; Ephesiis Salamina pensavimus. Tum con-

consule[2] Scipione, cui frater, ille modo victor Carthaginis Africanus, voluntaria legatione aderat, debellari regem placet: & jam toto cesserat mari: sed nos imus ulterius. Mæandrum ad amnem montemque Sipylum castra ponuntur. Hic rex, incredibile dictu, quibus auxiliis, quibus copiis consederat. trecenta millia peditum; equitum, falcatorumque curruum non minor numerus. Elephantis ad hoc immensæ magnitudinis, auro, purpura, argento, & suo ebore fulgentibus aciem utrinque vallaverat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua; ad hoc imbre, qui subito superfusus, mira felicitate Persicos arcus corruperat: primum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. Victo & supplici pacem atque partem regni dari placuit, Eo libentius, quod tam facile cessisset.







2 Est in hoc nummo L. Cornelius Scipio Asiaticus.

CAPUT

## CAPUT IX.

### *Bellum Ætolicum.*

SYriatico bello succeſſit, ut debebat, Ætolicum. Victo quippe Antiocho, Romanus faces Aſiatici belli perſequebatur. Ergo Fulvio Nobiliori mandata ultio eſt. Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi machinis quatit. Sequuta deditio eſt. Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodii: & memineramus auxilii. ſic placuit ignoſcere. Serpſit tamen latius in proximos bellum, omnemque late Cephaleniam, Zacynthon & quicquid inſularum in eo mari inter Ceraunios montes jugumque Maleum, Ætolici belli acceſſio fuerunt.

## CAPUT X.

### *Bellum Hiſtricum.*

HIſtri ſequuntur Ætolos: quippe bellantes eos nuper adjuverant. & initia pugnæ proſpera hoſti fuerunt, eademque exitii cauſſa. Nam quum Cnæi Manlii caſtra cepiſſent, opimæque prædæ incubarent; epulantes, ac ludibundos pleroſque ac ubi eſſent præ poculis neſcientes

ſcientes, Appius [1] Pulcer invadit. Sic cum ſanguine & ſpiritu male partam revomuere victoriam. Ipſe Rex Apulo equo impoſitus, quum ſubinde crapula, & capitis errore lapſaret, captum ſeſe vix & ægre, poſtquam experrectus eſt, didicit.





1 Hic nummus argenteus victoriam Claudii Appii Pulcri refert, in quo notabis etiam veteres P, hac quoque forma, Γ[1] conſignaſſe, uti quoque videre eſt in nummo qui P. Scipionis triumphum nobis ſervavit, & ad cap. VI. libri hujus poteſt conſpici.

## CAPUT XI.

### *Bellum Gallogræcum.*

GAllogræciam quoque Syriatici belli ruina convolvit. Fuerint inter auxilia regis Antiochi, an fuiſſe cupidus triumphi Manlius eos viſos ſimulaverit, dubium eſt. Certe negatus eſt victori triumphus; quia cauſſam belli non approbavit. Ceterum gens Gallogræ-

græcorum, ſicut ipſum nomen indicio eſt, mixtæ & adulteratæ reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce vaſtaverant Græciam; mox Orientem ſequuti, in media Aſiæ parte ſederunt. Itaque ut frugum ſemina mutato ſolo degenerant, ſic illa genuina feritas eorum, Aſiatica amœnitate mollita eſt. Duobus itaque præliis fugatique ſunt: quamvis ſub adventu hoſtis relictis ſedibus, in altiſſimos ſe montes recepiſſent, quos Toloſtobogi, Tectoſagique jam inſederant. Utrique fundis ſagittiſque acti, in perpetuam ſe pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morſibus & ore tentaſſent: quum offocandas invicem fauces præbuiſſent. Nam Orgiagontis regis uxor a centurione ſtuprum paſſa, memorabili exemplo cuſtodiam evaſit, revulſumque militis caput ad maritum ſuum retulit.

## CAPUT XII.

*Bellum Macedonicum ſecundum.*

DUm aliæ aliæque gentes Syriatici belli ſequuntur ruinam, Macedonia ſe rurſus erexit. Fortiſſimum populum memoria & recordatio ſuæ nobilitatis agitabat: ſucceſſerat Phi-

Philippo filius [1] Perſes; qui ſemel in perpetuum victam eſſe Macedoniam, non putabat ex gentis dignitate. Multo vehementius ſub hoc Macedones, quam ſub patre conſurgunt. quippe Thracas in vires ſuas traxerant: atque ita induſtriam Macedonum viribus Thracum; ferociam Thracum diſciplina Macedonum temperaverunt. Acceſſit his conſilium ducis, qui ſitum regionum ſuarum ſummo ſpeculatus Hæmo, poſitis per abrupta caſtris, ita Macedoniam ſuam armis ferroque vallaverat, ut non reliquiſſe aditum niſi a cælo venturis hoſtibus videretur. Nam Marcio Philippo conſule eam provinciam ingreſſus populus Romanus, exploratis diligenter acceſſibus per Aſtrudem paludem, per acerbos dubioſque tu-



1 Hic eſt Perſeus Rex in argenteo numiſmate Cardinalis Farneſii.

mulos

mulos, illa quæ volucribus quoque videbantur invia, accessit, regemque securum, & nihil tale metuentem, subita belli irruptione terruit. Cujus tanta trepidatio fuit, ut pecuniam omnem in mare jusserit mergi, ne periret: classem cremari, ne incenderetur. Paullo consule quum majora & crebra essent imposita præsidia, per alias vias Macedonia deprensa est; summa quidem arte & industria ducis; quum alia minatus, alia irrepsisset. Cujus adventus ipse adeo terribilis regi fuit, ut interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mandaverit. Absens ergo victus fugit in maria, insulamque Samothracen, fretus celebri religione, quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui, nec arma potuissent. Nemo regum diutius amissæ fortunæ conscientiam retinuit. Supplex quum scriberet ad imperatorem ab illo quo confugerat templo, nomenque epistolæ notaret suum, regem addidit. Sed nec reverentior captæ majestatis alius Paullo fuit. Quum in conspectum venisset hostis, in templum recepit, & conviviis adhibuit, liberosque admonuit suos, ut Fortunam, cui tantum liceret: revererentur. Inter pulcerrimos hunc quoque populus Romanus de Macedonia duxit atque [2] vidit triumphum:

2 Extat nummus antiquus ab Æmilio Lepido Triumviro in honorem Æmylii percussus, in quo vides ipsum Æmilium, & ejus tropæum de Macedonibus.




Ter triumphavit, Proprætor ex Hiſpania, Proconſul ex Liguribus, tertium de Perſeo Proconſul iterum. Hinc & vetus inſcriptionibus:

L. ÆMILIUS. L. F. PAULLUS. COS. II. CENSOR. AUGUR. TRIUMPHAVIT. TER.

quippe cujus ſpectaculo triduum impleverit. Primus dies ſigna tabulaſque: ſequens arma pecuniaſque tranſvexit: tertius captivos, ipſumque regem, attonitum adhuc, tanquam ſubito malo ſtupentem. Sed multo prius gaudium victoriæ populus Romanus, quam epiſtolis victoris perceperat. quippe eodem die, quo victus Perſes in Macedonia, Romæ cognitum eſt. Duo juvenes candidis equis apud Iuturnæ lacum pulverem & cruorem abluebant. hi nunciavere. Caſtorem & Pollucem fuiſſe creditum vulgo; quod gemini fuiſſent: interfuiſſe bello, quod ſanguine maderent: a Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.

## CAPUT XIII.

### *Bellum Illyricum.*

MAcedonici belli contagio traxit Illyrios. Ipſi quidem ut Romanum a tergo diſtringerent a Perſe rege conducti pecunia militavere. Sine mora ab Anicio Prætore ſubiguntur. Scordam caput gentis deleſſe ſuffecit. ſtatim ſequuta deditio eſt. Denique hoc bellum ante finitum eſt, quam geri Romæ nunciaretur.

## CAPUT XIV.

### *Bellum Macedonicum tertium.*

QUodam fato, quaſi ita conveniſſet inter Pœnos & Macedonas: ut tertio quoque vincerentur, eodem tempore utrique arma moverunt: ſed prior jugum excutit Macedo, aliquanto quam ante gravior, dum contemnitur. Cauſſa belli prope erubeſcenda. quippe regnum pariter & bellum vir ultimæ ſortis Andriſcus invaſerat; dubium liber an ſeruus, mercenarius certe: ſed quia vulgo ex ſimilitudine Philippi Pſeudophilippus vocabatur, regiam formam, regium nomen, animo quoque regio implevit. Igitur dum hæc ipſa contemnit populus Romanus, Juventio prætore contentus, virum non Macedonicis modo, ſed

ſed Thraciæ quoque auxiliis ingentibus validum temere tentavit: invictuſque a veris regibus ab illo imaginario & ſcenico rege ſuperatur. Sed conſule [1] Metello amiſſum cum legione Prætorem pleniſſime ultus eſt. Nam & Macedoniam ſervitute multavit, & ducem belli deditum ab eo ad quem confugerat Thraciæ regulo in Urbem in catenis reduxit, hoc quoque illi in malis indulgente fortuna, ut de eo populus Romanus quaſi de vero Rege triumpharet.







1 Nummus iſte Metelli hujus victoriam Macedonicam ſervans publicatus eſt a Golzio in faſtis.

## CAPUT XV.

*Bellum Punicum tertium.*

TErtium cum Africa bellum, & tempore exiguum, nam quadriennio patratum eſt, & in


in comparatione priorum minimum labore: non enim tam cum viris, quam cum ipſa urbe pugnatum eſt, ſed plane maximum eventu: quippe eo tandem Carthago finita eſt. Atque ſi quis trium temporum momenta conſideret, primo commiſſum bellum, profligatum ſecundo, tertio vero confectum eſt. Sed hujus cauſſa belli, quod contra fœderis legem adverſus Numidas quidem ſemel paraſſet claſſem, & exercitum, frequens autem Maſiniſſæ fines territabat. Sed huic bono ſocioque regni favebatur. Quum bellum ſederet de belli fine tractatum eſt. 1 Cato inexpiabili odio delendam eſſe Carthaginem, & quum de alio conſulere-




1. Iſte Cato in gemma apud Fulvium ſic eſt deſcriptus.

tur

tur, pronuntiabat: [2] Scipio Naſica ſervandam, ne metu ablato æmulæ urbis luxuriari felicitas urbis inciperet. Medium ſenatus elegit, ut urbs tantum loco moveretur. Nihil enim ſpecioſius videbatur quam eſſe Carthaginem, quæ non timeretur. Igitur Manilio Cenſorinoque conſulibus populus Romanus aggreſſus Carthaginem, ſpe pacis injecta, traditam a volentibus claſſem ſub ipſo ore urbis incendit. Tum evocatis principibus, ſi ſalvi eſſe vellent, ut migrarent finibus imperatum. Quod pro rei atrocitate adeo movit iras, ut extrema mallent. Comploratum igitur publice ſtatim, & pari voce clamatum eſt, ad arma: ſeditque ſententia quoquo modo rebellandum:




2 De hoc nummo vide quæ notavit Joan. Faber ad imag. illuſtrium virorum F. Urſini, & P. Seguinus, quem ante non longum tempus extinctum acerba morte lugent elegantiores homines, in Selectorum numiſmatum ſylloge.

dum: non quia ſpes ulla jam ſupereſſet, ſed quia patriam ſuam mallent hoſtium, quam ſuis manibus everti. Qui rebellantium fuerit furor vel hinc intelligi poteſt, quod in uſum novæ claſſis tecta domuſque reſciderunt: in armorum officinis aurum & argentum pro ære ferroque conflatum eſt: in tormentorum vincula matronæ crines ſuos contulerunt. Mancino deinde Conſule terra marique fervebat obſidio. Operis portus nudatus; & primus, & ſequens, jam & tertius murus, quum tamen Byrſa, quod nomen arci fuit, quaſi altera civitas reſiſtebat. Quamvis profligato urbis excidio tamen fatale Africæ nomen Scipionum videbatur. Igitur in alium [3] Scipionem converſa Reſpublica, finem belli repoſcebat. Hunc







[3] De hoc Scipione Aimyliano tropæum ſtatuente hic invenitur nummus in faſtis Golzii.

Paullo

Paullo Macedonico procreatum Africani illius magni filius in decus gentis assumpserat, hoc scilicet fato, ut quam urbem concusserat avus, nepos ejus everteret. Sed ut quam maxime mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum; sic plus negotii fuit cum semiruta Carthagine quam integra. Compulsis in unam arcem hostibus, portum quoque maris Romanus obsederat. Illi alterum ibi portum ab alia urbis parte foderunt: nec ut fugerent, sed quia nemo illos hac evadere posse credebat. Inde quasi enata subito classis erupit: quum interim jam diebus, jam noctibus nova aliqua moles, nova machina, nova perditorum hominum manus, quasi ex obruto incendio subita de cineribus flamma, prodibat. Deploratis novissime rebus, quadraginta se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Asdrubale. Quanto fortius femina, & uxor ducis? quæ comprehensis duobus liberis a culmine se domus in medium misit incendium, imitata reginam, quæ Carthaginem condidit. Quanta urbs deleta sit, ut de ceteris taceam, vel ignium mora probari potest. quippe per continuos decem & septem dies vix potuit incendium exstingui, quod domibus ac templis suis sponte hostes immiserant: ut, quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

## CAPUT XVI.

### *Bellum Achaicum.*

QUasi seculum illud eversionibus curreret, ita Carthaginis ruinam statim Corinthus excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Jonium & Ægæum quasi spectaculo exposita. Hæc (facinus indignum!) ante oppressa est, quam in numerum certorum hostium referretur. Critolaus caussa belli: qui libertate a Romanis data adversus ipsos usus est, legatosque Romanos dubium an & manu, certe oratione violavit. Igitur Metello ordinanti tum maxime Macedoniam mandata est ultio: & hinc Achaicum bellum. ac primam Critolai manum Metellus Consul per patentes Elidis campos toto cecidit Alpheo. Et uno prælio peractum erat bellum: jam & urbem ipsam terrebat obsidio: sed (fata rerum) quum Metellus dimicasset, ad victoriam Mummius venit. Hic alterius ducis Diæi late exercitum sub ipsis Isthmi faucibus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tandem ab incolis deserta civitas, direpta primum, deinde tuba præcinente deleta est. Quid signorum, quid vestium quidve tabularum raptum, incensum atque projectum est? Quantas opes & abstulerit & cremauerit hinc scias, quod quic-

quicquid Corinthii æris toto orbe laudatur incendio superfuisse comperimus. Nam & æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ urbis fecit injuria: quia incendio permistis plurimis statuis atque simulacris, æris, auri argentique venæ in commune fluxere.

## CAPUT XVII.

### *Res in Hispania gestæ.*

Ut Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia sequuta est. Nec deinde toto orbe quicquam intactum armis fuit. Post illa duo clarissima urbium incendia late atque passim, nec per vices, sed simul pariter quasi unum undique bellum fuit; prorsus ut illæ urbes, quasi agitantibus ventis, diffudisse quædam belli incendia toto orbe viderentur. Hispaniæ nunquam animus fuit adversus nos universæ consurgere: nunquam conferre vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem tueri suam publice. alioquin ita undique mari Pyrenæoque vallata est, ut ingenio situs ne adiri quidem potuerit. Sed ante a Romanis obsessa est, quam se ipsa cognosceret; & sola omnium provinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. In hac prope ducentos per annos dimicatum est, a primis Scipionibus in Cæsarem Augustum, non con-

tinue nec cohærenter, sed prout caussæ lacessierant: nec cum Hispanis initio, sed cum Pœnis in Hispania. inde contagio & series caussaque bellorum. Prima per Pyrenæum jugum signa Romana Publius & Cnæus Scipiones intulerunt: prœliisque ingentibus Annonem & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt: raptaque erat impetu Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa sua victoria oppressi Punica fraude cecidissent, terra marique victores. Igitur quasi novam integramque provinciam ultor patris & patrui Scipio ille, mox Africanus, invasit; isque statim capta Carthagine, & aliis urbibus, non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis provinciam fecit: omnem citra ultraque Iberum subjecit imperio: primusque Romanorum ducum victor ad Gades & Oceani ora pervenit. Plus est provinciam retinere, quam facere: itaque per partes jam huc, jam illuc missi duces, qui ferocissimas, & ad id temporis liberas gentes, ideo impatientes jugi, multo labore, nec incruentis certaminibus servire docuerunt. Cato ille Censorius Celtiberos, id est robur Hispaniæ, aliquot prœliis fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eosdem centum & quinquaginta urbium eversione multavit. Metellus ille, cui ex Macedonia nomen erat, & Celtiberius fieri meruit, quum & Contrebiam memorabili cepisset exemplo, & Ner-

& Nertobriges, majori gloria pepercit. Lucullus Turdulos atque Vaccæos. de quibus Scipio ille poſterior ſingulari certamine, quum rex fuiſſet provocatus, opima retulerat. Decimus Brutus aliquanto latius Celticos Luſitanoſque, & omnis Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen Oblivionis: peragratoque victor Oceani littore, non prius ſigna convertit, quam cadentem in maria Solem, obrutumque aquis ignem, non ſine quodam ſacrilegii metu & horrore deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Luſitanis fuit, & Numantinis, nec immerito. Quippe ſolis gentium Hiſpaniæ duces contigerunt. Fuiſſet & cum omnibus Celtiberis, niſi dux illius motus initio belli oppreſſus eſſet, ſummus vir aſtu & audacia, ſi res ceſſiſſet, Salondicus, qui haſtam argenteam quatiens, velut cœlo miſſam, vaticinanti ſimilis, omninm in ſe mentes converterat. Sed quum pari temeritate ſub nocte caſtra conſulis adiiſſet, juxta tentorium ipſum pilo vigilis exceptus eſt. Ceterum Luſitanos Viriatus erexit, vir calliditatis acerrimæ: qui ex venatore latro, ex latrono ſubito dux atque imperator, &, ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus, non contentus libertatem ſuorum defendere, per quatuordecim annos omnia citra ultraque Iberum & Tagum igni ferroque populatus; caſtra etiam

Præto-

prætorum & præsidum aggressus, Claudium Unimanum pæne ad internicionem exercitus cecidit, & insignia trabeis & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis tropæa fixit; tandem etiam Fabius Maximus Consul oppresserat: sed a successore Pompilio violata victoria est, qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem per fraudem & insidias, & domesticos percussores aggressus hanc hosti gloriam dedit, ut videretur aliter vinci non potuisse.

## CAPUT XVIII.

### *Bellum Numantinum.*

NUmantia quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior; ita virtutis nomine & honore par omnibus, summumque, si viros æstimes, Hispaniæ decus. quippe quæ sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium sita, quatuor millibus Celtiberorum quadraginta millium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit; nec sustinuit modo, sed sævius aliquanto perculit, pudendisque fœderibus affecit. Novissime quum invictam esse constaret, opus quoque eo fuit, qui Carthaginem everterat. Non temere, si fateri licet, ullius caussa belli injustior. Segidenses, socios & consanguineos, Romanorum manibus

manibus elapſos exceperant. habita prò eis deprecatio nihil valuit. quum ſe ab omni bellorum contagione removerent, in legitimi fœderis precium juſſi arma deponere. Hoc ſic a barbaris acceptum, quaſi manus abſcinderentur. Itaque ſtatim Megara viro fortiſſimo duce ad arma converſi, Pompejum prœlio aggreſſi. fœdus tamen maluerunt, quum debellare potuiſſent. Hoſtilium deinde Mancinum. hunc quoque aſſiduis cædibus ita ſubegerunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quiſquam ſuſtinetet. Tamen cum hoc quoque fœdus maluere, contenti armorum manubiis, quum ad internicionem ſævire potuiſſent. Sed non minus Numantini, quam Caudini illius fæderis flagrans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidem præſentis flagitii deditione Mancini expiavit: ceterum duce Scipione, Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit. Sed tunc acrius in caſtris, quam in campo; noſtro cum milite, quam cum Numantino præliandum fuit. Quippe aſſiduis & injuſtis & ſervilibus maxime operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma neſcirent; luto inquinari, qui ſanguine nollent, jubebantur. Ad hoc ſcorta, calones, ſarcinæ niſi ad uſum neceſſariæ, amputantur. Tanti eſſe exercitum, quanti imperato-

peratorem, vere proditum eſt. Sic redacto in diſciplinam milite commiſſa acies: quodque nemo viſurum ſe unquam ſperaverat factum eſt, ut fugientes Numantinos quiſquam videret. Dedere etiam ſeſe volebant, ſi toleranda viris imperarentur. Sed quum Scipio veram vellet & ſine exceptione victoriam, eo neceſſitatum compulſi, primum, ut deſtinata morte in prœlium ruerent, quum ſeſe prius epulis, quaſi inferiis, impleviſſent, carnis ſemicrudæ & celiæ; ſic vocant indigenam ex frumento potionem. Intellectum ab imperatore conſilium: itaque non eſt permiſſa pugna morituris. Quum foſſa; atque lorica, quatuorque caſtris circumdatos fames premeret; ab duce orantes prœlium, ut tanquam viros occideret, ubi non impetrabant, placuit eruptio. Sic conſerta manu plurimi occiſi: & & quum urgeret fames, aliquantiſper inde vixere. Noviſſime conſilium fugæ ſedit: ſed hoc quoque, ruptis equorum cingulis, uxores ademere, ſummo ſcelere, per amorem. Itaque deplorato exitu, in ultimam rabiem furoremque converſi, poſtremo mori hoc genere deſtinarunt: duces ſuos, ſeque, patriamque, ferro & veneno, ſubjectoque undique igne peremerunt. Macte fortiſſimam, & meo judicio beatiſſimam in ipſis malis civitatem! aſſeruit cum fide ſocios, populum orbis terra-

rum viribus fultum sua manu, ætate tam longa sustinuit. Novissime maximo duce oppressa civitas, nullum de se gaudium hosti reliquit. Unus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur. Præda ut de pauperibus nulla: arma ipsi cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine.

## CAPUT XIX.

HActenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus: reliqua seculi ut grandia æque, ita vel magis turbida & fœda; crescentibus cum ipsa magnitudine imperii vitiis: adeo ut si quis hanc tertiam ejus ætatem transmarinam, quam ducentorum annorum fecimus, dividat; centum hos priores, quibus Africam, Macedoniam, Siciliam, Hispaniam domuit, aureos (sicut Poëtæ canunt) jure meritoque fateatur: centum sequentes ferreos plane & cruentos, & si quid immanius: quippe qui Jugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis atque Germanicis, quibus cælum ipsum gloria ascendit, Gracchanas, Drusianasque cædes; ad hoc Servilia bella miscuerunt, &, ne quid turpitudini desit, Gladiatoria. Denique in se ipse conversus Marianis, atque Sullanis, novissime Pompeji, & Cæsaris manibus, quasi

per

per rabiem, & furorem, & nefas, ſemet ipſe laceravit. Quæ etſi juncta inter ſe ſunt omnia atque confuſa: tamen quo melius appareant, ſimul & ne ſcelera virtutibus obſtrepant, ſeparatim proferentur: priuſque, ut cœpimus, juſta illa & pia cum exteris gentibus bella memorabimus, ut magnitudo creſcentis in dies imperii appareat, tum ad illa civium ſcelera, turpeſque & impias pugnas revertemur.

## CAPUT XX.

### *Bellum Aſiaticum.*

VIcta ad Occaſum Hiſpania, populus Romanus ad Orientem pacem agebat; nec pacem modo, ſed inuſitata & incognita quadam felicitate, relictæ regiis hereditatibus opes, & tota inſimul regna veniebant. Attalus rex Pergamenorum, regis Eumenis filius, ſocii quondam commilitoniſque noſtri teſtamentum reliquit: Populus Romanus bonorum meorum heres eſto. in bonis regis hæc fuerant. Adita igitur hereditate, provinciam populus Romanis non quidem bello, nec armis; ſed, quod eſt æquius, teſtamenti jure retinebat. Sed hanc, difficile dictu eſt, utrum facilius amiſerit, an recuperaverit. Ariſtonicus regii ſanguinis ferox juvenis, urbes regibus

bus parere consuetas partim facile sollicitat: paucas resistentes, Myndum, Samon, Colophonem vi recepit. Crassi quoque prætoris cecidit exercitum, ipsumque cepit. Sed ille memor & familiæ, & Romani nominis, custodem sui barbarum virgula excæcat. in exitium sui, quod volebat, ita concitat. Mox a Perperna domitus, & captus, & per deditionem in vinculis habitus. Aquilius Asiatici belli reliquias confecit; mixtis (nefas!) veneno fontibus ad deditionem quarundam urbium. Quæ res ut maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe quum contra fas deum, moresque majorum, medicaminibus impuris, in id tempus sacrosancta Romana arma violasset.

# LIBER TERTIUS.

## CAPUT I.

### *Bellum Iugurthinum.*

HÆc ad Orientem: ſed non ad meridianam plagam eadem quies. Quis ſperaret poſt Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui non leviter ſe Numidia concuſſit: & fuit in [1] Iugurtha, quod poſt Annibalem timeretur. Quippe rex callidiſſimus populum Romanum armis inclytum, & invictum opibus aggreſſus eſt: & citra ſpem omnium fortuna ceſſit, ut rex fraude præcipuus fraude cape-








1. In iſto nummo a Fauſto Sullæ Perp. Dictatoris filio ſignato conſpicitur Iugurthæ imago, ut docet doctiſſimus Seguinus in ſelectis Numiſmatibus.

retur.

retur. Hic avo Masinissa & Micipsa patre per adoptionem, quum interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate, nec illos magis, quam senatum populumque Romanum, quorum in fide & clientela regnum erat, metueret; primum scelus mandat insidiis: potitusque Hiempsalis capite, quum se in Adherbalem convertisset, isque Rômam profugisset, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam Senatum. Et hæc fuit de nobis ejus prima victoria. Missos deinde, qui regnum inter illum Adherbalemque dividerent, similiter aggressus, quum in Scauro ipsos Romani imperii mores expugnasset, inchoatum nefas perfecit audacius. Sed diu non latent scelera. Corruptæ nefas legationis erupit: placuitque bello persequi parricidam. Primus in Numidam Calpurnius Bestia Consul immittitur: sed rex peritus fortius adversus Romanos aurum esse, quam ferrum, pacem emit. Cujus flagitii reus quum interveniente publica fide a Senatu arcesseretur, pari audacia & venit, & competitorem imperii Masinissæ Massivam immisso percussore confecit. Hæc altera contra regem fuit caussa bellandi. Igitur sequens ultio mandatur Albino. Sed hujus quoque (pro dedecus!) ita corrupit exercitum, ut voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur. Addito etiam turpi fœdere, in pre-
 tium

tium salutis, quem prius emerat, dimisit exercitum. Eodem tempore in ultionem non tam imperii Romani, quam pudoris, [1] Metellus assurgit: qui callidissime hostem nunc precibus, nunc minis, jam simulata, jam quasi vera fuga eludentem, artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione non contentus in ipsa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem frustra diu voluit; ceterum Thalam, gravem armis thesauroque regis diripuit. Tunc urbibus exutum regem, & jam finium suorum regnique fugitivum, per Mauros, atque Getuliam sequeba-








1 De hoc Metello hic nummus exstat apud Golzium in fastis.

tur. Poſtremo [z] Marius auctis admodum copiis, quum pro obſcuritate generis ſui capite cenſos ſacramento adegiſſet, jam fuſum & ſaucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam ſi integrum & recentem. Hic urbem Herculi conditam Capſam in media Africa tam anguibus areniſque vallatam, mira quadam felicitate ſuperavit: & ſaxeo inditam monti Mulucham urbem per Ligurem aditu arduo inacceſſoque penetravit. Mox non ipſum modo, ſed Bocchum quoque Mauritaniæ regem, jure ſanguinis Numidiam vindicantem, apud oppidum Cirtam graviter cecidit. Qui ubi diffiſus rebus ſuis alienæ cladis acceſſio fieri timet, pretium fœderis atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentiſſimus regum fraude ſoceri ſui in inſidias deductus



z Eſt hæc imago C. Marii ex Onyche, luci data a F. Urſino in imaginibus Illuſtrium Virorum.

est, & Sullæ in manum traditus; tandemque opertum catenis Jugurtham in triumpho populus Romanus aspexit: sed ille quoque, quamvis victus & vinctus vidit urbem, quam venalem, & quandoque perituram, si habuisset emptorem, frustra cecinerat. Jam, ut venalis fuisset, habuit emptorem: & quum ille non evaserit, certum erit eam non esse perituram.

## CAPUT II.

### *Bellum Allobrogicum.*

SIc ad meridiem populus Romanus. Multo atrocius, & multipliciter, & magis a Septentrione sævitum. Nihil hac plaga infestius. Atrox cælum, perinde ingenia. Omni igitur tractu violentus hostis, a dextris atque lævis, & medio Septentrionis, erupit. Prima trans Alpes arma nostra sensere Salyi, quum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima civitas Massilia quereretur. Allobroges deinde, & Arverni, quum adversus eos similes Æduorum querelæ opem & auxilium nostrum flagitarent. Varusque victoriæ testis, Isaraque, & Vindelicus amnes, & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conspicuum in triumpho, quem rex ipse

Bituitus,

Bituitus, diſcoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnaverat. Utriuſque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc exiſtimari poteſt, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus ipſis quibus dimicaverant in locis ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus tropæa fixere: quum hic mos inuſitatus fuerit noſtris. Nunquam enim populus Romanus hoſtibus domitis victoriam ſuam exprobravit.

## CAPUT III.

### *Bellum Cimbricum, Theutonicum, ac Tigurinum.*

Cimbri, Theutoni, atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, quum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quærebant: excluſique Gallia & Hiſpania, quum in Italiam remigrarent, miſere legatos in caſtra Silani; inde ad ſenatum, petentes, ut Martius populus aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium: ceterum, ut vellet, manibus atque armis ſuis uteretur. Sed quas daret terras populus Romanus agrariis legibus intra ſe dimicaturus? Repulſi igitur, quod nequiverunt precibus, armis petere conſtituunt. Sed nec primum quidem impetum barbarorum Silanus, nec ſecundum Manlius, nec tertium Cæ-

pio ſuſtinere potuerunt. Omne fugati, exuti caſtris. Actum erat niſi Marius illi ſæculo contigiſſet. Ille quoque non auſus congredi ſtatim; militem tenuit in caſtris, donec invicta illa rabies & impetus, quem pro virtute barbari habent, conſeneſceret. Receſſere igitur increpantes, & (tanta erat capiendæ Urbis fiducia) conſulentes, ſi quid ad uxores ſuas mandarent. Nec ſegnius quam minati fuerant tripertito agmine per Alpes, id eſt clauſtra Italiæ, ferebantur. Marius mira ſtatim velocitate occupatis compendiis prævenit hoſtem. prioreſque Theutonos ſub ipſis Alpium radicibus aſſequutus, in locum, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! prœlio oppreſſit? Vallem fluviumque medium hoſtes tenebant. noſtris aquarum nulla copia. conſultone id egerit imperator, an errorem in conſilium verterit dubium, certe neceſſitate aucta virtus cauſſa victoriæ fuit. Nam flagitante aquam exercitu: Viri, inquit, eſtis, en illic habetis. Itaque tanto ardore pugnatum eſt, eaque cædes hoſtium fuit, ut victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quam ſanguinis Barbarorum. Certe rex ipſe Theutobochus quaternos ſenoſque equos tranſilire ſolitus, vix unum quum fugeret aſcendit; proximoque in ſaltu comprehenſus inſigne ſpectaculum triumphi fuit, quippe vir proce-

ritatis

ritatis eximiæ super tropæa sua eminebat. Sublatis funditus Theutonis in Cimbros convertitur. Hi jam (quis crederet?) per hiemem, quæ altius Alpes levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruina descenderant. Atesim flumen non ponte, nec navibus, sed quadem stoliditate barbarica primum corporibus aggressi; postquam retinere amnem manibus & clipeis frustra tentaverant, ingesta obrutum silua transiluete: &, si statim infesto agmine Urbem petiissent, grande discrimen esset: sed in Venetia; quo fere tractu Italia mollissima est, ipsa soli cœlique clementia robur elanguit, ad hoc panis usu, carnisque coctæ, & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore aggressus est. Jam diem pugnæ a nostro imperatore petierunt, & sic proximum dedit. In patentissimo, quem Raudium vocant, campo concurrere. Millia inde ad sexaginta ceciderunt; hinc trecentis minus: per omnem diem conciditur barbarus. Istic quoque imperator addiderat virtuti dolum, sequutus Annibalem, artemque Cannarum; primum, nebulosum nactus diem, ut hosti inopinatus occurreret; tum ventosum quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur; tum acie conversa in Orientem, ut, quod ex captivis mox cognitum est, ex splendore galearum, ac repercussu, quasi ardere cælum videretur. Nec minor cum uxoribus eorum

pugna, quam cum ipsis fuit: quum objectis undique plaustris atque carpentis, altæ desuper, quasi e turribus lanceis contisque pugnarent. Perinde speciosa mors earum fuit quam pugna. Nam quum missa ad Marium legatione libertatem ac sacerdotium non impetrassent, (nec fas erat) suffocatis elisisque passim infantibus suis, aut mutuis concidere vulneribus aut vinculo e crinibus suis facto ab arboribus jugisque pependerunt. Bojorix rex in acie dimicans impigre nec inultus occubuit. Tertia Tigurinorum manus, quæ quasi subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diversa lapsi, fuga ignobili & latrociniis evanuit. Hunc tam lætum, tamque felicem liberatæ Italiæ assertique imperii nuncium non per homines, ut solebat, populus Romanus accepit; sed per ipsos, si credere fas est, deos. Quippe eodem die, quo gesta res est, visi pro æde Castoris & Pollucis, juvenes laureati Prætori litteras tradere: frequensque in spectaculo rumor, victoriæ Cimbricæ Feliciter, dixit. Quo quid admirabilius, quid insignius fieri potest? Quippe velut elata montibus suis Roma, spectaculo belli interesset, quod in gladiatorio munere fieri solet, uno eodemque momento, quum in acie Cimbri succumberent, populus in urbe plaudebat.

## CAPUT IV.

### *Bellum Thracium.*

POst Macedonas, ſi diis placet, Thraces rebellabant, ipſi quondam tributarii Macedonum: nec in proximas modo provincias contenti incurrere, Theſſaliam, atque Dalmatiam; in Adriaticum mare uſque venerunt, eoque fine contenti, quaſi interveniente natura, contorta in ipſas aquas tela miſerunt. Nihil interim per id omne tempus reſiduum crudelitatis fuit in captivos ſævientibus: litare diis ſanguinem humanum: bibere in oſſibus capitum, & cujuſque modi ludibrio fœdare mortem tam igni quam fumo: partus quoque gravidarum extorquere tormentis. Sæviſſimi omnium Thracum Scordiſci fuere: ſed calliditas quoque ad robur acceſſerat. Silvarum & montium ſitus cum ingenio conſentiebant. Itaque non fuſus modo ab his, aut fugatus, ſed (ſimile prodigio) omnino totus interceptus exercitus, quem duxerat, Cato. Didius vagos, & libera populatione diffuſos intra ſuam repulit Thraciam. Druſus ulterius egit, & vetuit tranſire Danubium. Minucius toto vaſtavit Hebro, multis quidem amiſſis, dum per perfidum glacie flumen equitatur. Piſo Rhodopen Caucaſumque penetravit. Curio Dacia tenus

tenus venit: ſed tenebras ſaltuum expavit. Appius in Sarmatas uſque pervenit: Lucullus ad terminum gentium Tanaim, lacumque Mæotim. Nec aliter cruentiſſimi hoſtium quam ſuis moribus domiti, quippe in captivos igne ferroque ſævitum eſt. Sed nihil Barbaris atrocius viſum eſt, quam quod abſciſſis manibus relicti, vivere ſuperſtites pœnæ ſuæ jubebantur.

## CAPUT V.

### *Bellum Mithridaticum.*

Ponticæ gentes ad Septemtrionem in mare ſiniſtrum jacent, a Pontico cognominatæ mari. Harum gentium atque regionum rex antiquiſſimus Æetas: poſt Artabazes, a ſeptem Perſis oriundus: inde [1] Mithridates omnium



1 Hanc Mithridatis imaginem ex nummo detradrachmo protulit F. Urſinus in imaginibus Illuſtrium virorum.

longe

longe maximus; quippe quum quatuor Pyrrho, decem & ſeptem anni Annibali ſuffecerint; ille per quadraginta annos reſtitit, donec tribus ingentibus bellis ſubactus; felicitate Sullæ, virtute Lcuulli, magnitudine Pompeii conſumeretur. Cauſſam quidem illius belli prætenderat apud Caiſium legatum, attrectari terminos ſuos a [2] Nicomede Bithynico: ceterum elatus animis ingentibus, Aſiæ totius, &, ſi poſſet, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant noſtra vitia: quippe quum civilibus bellis disjungeremur, invitabat occaſio: nudumque imperii latus oſtendebant procul Marius, Sulla, Sertorius. Inter hæc Reipubl. vulnera, & hos tumultus, repente, quaſi captato tempore, in laſſos ſimul atque



2 Nicomedes ſic conſpiciendus exhibetur in nummo argenteo F. Urſini.

diſtri-

districtos subitus turbo Pontici belli ultima veluti specula Septentrionis erupit. Primus statim impetus belli Bithyniam rapuit. Asia deinde pari terrore correpta est. Nec cunctanter ad regem ab urbibus nostris populisque descitum est. Aderat, instabat, sævitia quasi virtute utebatur. Nam quid atrocius uno ejus edicto quum omnes, qui in Asia forent, Romanæ civitatis homines interfici jussit? Tum quidem domus, templa & aræ, humana omnia atque divina jura violata sunt. Sed hic terror Asiæ Europam quoque regi aperiebat, itaque missis Archelao Neoptolemoque præfectis, excepta Rhodo, quæ pro nobis stetit, ceterum Cyclades, Delos, Eubœa, & ipsum Græciæ decus Athenæ, tenebantur. Italiam jam, ipsamque urbem Romam regius terror afflabat. Itaque [3] Lucius Sulla festinat, vir armis optimus:




3 Est hæc L. Cornelii Sullæ imago, quam ex nummo argenteo suis inseruit imaginibus F. Ursinus.

parique

parique violentia ruentem ulterius hostem quadam quasi manu repulit: primumque Athenas urbem (quis crederet?) frugum parentem, obsidione, ac fame ad humanos cibos compulit. Mox subruto Piræei portu, sex quoque & amplius muris, postquam domuerat ingratissimos, ut ipse dixit, hominum, in honorem tamen mortuorum sacris suis famæque donavit. Mox quum Eubœa atque Bœotia præsidia regis dispulisset, omnes copias uno apud Chæroneam, apud Orchomenon altero bello dissipavit: statimque in Asiam transgressus ipsum opprimit, & debellatum foret, nisi de Mithridate triumphare cito, quam vere maluisset. At tunc quidem hunc Asiæ statum Sulla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus. Recepit Bithyniam a Rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam: ac sic erat Asia rursus nostra, ut ceperat: Mithridates tantum repulsus. Itaque non fregit, ea res Ponticos, sed incendit. Quippe rex Asia & Europa quodammodo inescatus, non jam quasi alienam, sed quia amiserat, quasi raptam belli jure repetebat. Igitur ut exstincta parum fideliter incendia majore flamma reviviscunt; ita ille de integro, auctis majorem in modum copiis, tota denique regni sui mole, in Asiam rursus mari, terra, fluminibusque veniebat. Cyzicum no-
biis

bilis civitas arce, mœnibus, portu, turribusque marmoreis Asiaticæ plagæ litora illustrat. hanc ille quasi alteram Romam toto invaserat bello: sed fiduciam oppidanis resistendi nuncius fecit, docens adventare Lucullum, qui (horribile dictu!) utre suspensus, & pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pristix evaserat. Mox clade conversa, quum ex mora obsidentem regem fames, ex fame pestilentia urgeret, recedentem Lucullus assequitur: adeoque cecidit, ut Granicus & Æsapus amnes cruenti redderentur. Rex callidus Romanæque avaritiæ peritus spargi a fugientibus sarcinas & pecuniam jussit, qua sequentes moraretur. Nec felicior in mari, quam in terra fuga, quippe centum amplius navium classem, apparatuque belli gravem in Pontico mari aggressa tempestas, tam fœda strage laceravit; ut navalis belli instar efficeret: plane quasi Lucullus quodam cum fluctibus procellisque commercio debellandum tradidisse regem ventis videretur. Attritæ jam omnes validissimi regni vires erant; sed animus malis augebatur. Itaque conversus ad proximas gentes totum pæne Orientem ac Septentrionem ruina sua involvit. Iberi, Caspii, Albani, & utræque sollicitabantur Armeniæ: perque omnia & decus nomen,

nomen, & titulos 4 Pompejo suo fortuna quærebat. Qui ubi novis motibus ardere Asiam videt, aliosque ex aliis prodire reges; nihil cunctandum ratus, priusquam inter se gentium robora coirent, statim ponte navibus facto, omnium ante se primus transit Euphratem: regemque fugientem media nactus Armenia (quanta felicitas viri!) uno prœlio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, & luna in partibus. quippe quasi commilitans, quum a tergo se hostibus, a facie Romanis præbuisset, Pontici per errorem longius cadentes umbras suas quasi hostium corpora petebant. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus est. nihil enim postea valuit, quamquam omnia expertus, more anguium, qui obtrito capite postremum cauda minantur. Quippe quum effugisset ho-



4 Hanc Pompeji Magni effigiem ex gemma F. Ursinus nobiscum communicavit in imaginibus illustribus.

ſtem Colchos, Siciliæ quoque litora, & Campaniam noſtram ſubito adventu terrere voluit: Colchis tenus jungere Boſporon, inde per Thraciam, Macedoniam & Græciam tranſilire: ſic Italiam nec opinatus invadere tantum cogitavit. nam per defectionem civium, Pharnaciſque filii ſcelere præventus, male tentatum veneno ſpiritum ferro expulit. Cnæus interim Magnus rebelles Aſiæ reliquias ſequens, per diverſa gentium terrarumque volitabat. Nam ſub Orientem ſequutus Armenios, captis ipſo capite gentis Artaxatis, ſupplicem juſſit regnare Tigranem. At in Septentrionem Scythicum iter, tanquam in mari, ſtellis ſequutus, Colchos cecidit. ignovit Iberiæ. pepercit Albanis. regem Colchorum Orodem poſitis ſub ipſo Caucaſo caſtris juſſit in plana deſcendere: Arthocen, qui Iberis imperabat, & obſides liberos dare. Orodem etiam remuneratus eſt, ultro ab Albania ſua lectulum aureum, & alia dona mittentem. Nec non & in meridiem verſo agmine, Libanum Syriæ, Damaſcumque tranſgreſſus, per nemora illa odorata, per turis & balſimi ſilvas, Romana circumtulit ſigna. Arabes ſi quid imperaret præſto fuere. Hieroſolymam defendere tentavere Judæi: verum hanc quoque intravit; & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, ſub aureo uti cælo. diſſidentibuſque de regno fratribus arbiter factus,
regna-

regnare juſſit Hircanum. Ariſtobulo, quia renovabat eam rem, catenas dedit. Sic Pompèjo duce populus Romanus totam, qua latiſſima eſt, Aſiam pervagatus, quam extremam habebat imperii provinciam, mediam fecit. Exceptis quippe Parthis, qui fœdus maluerunt, & Indis, qui adhuc nos non noverant; omnis Aſia inter Rubrum mare, & Caſpium, & Oceanum, Pompejanis domita vel oppreſſa ſignis tenebatur.

## CAPUT VI.

### *Bellum Piraticum*,

INterim dum populus Romanus per diverſa terrarum diſtractus eſt, Cilices invaſerant maria: ſublatiſque commerciis, rupto fœdere generis humani, ſic maria bello, quaſi tempeſtate præcluſerant. Audaciam perditis furioſiſque latronibus dabat inquieta Mithridatis præliis Aſia: dum ſub alieni belli tumultu, exterique regis invidia, impune graſſantur, ac primum duce Iſidoro, non contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, & Achaiam, ſinumque Maleum, quod a ſpoliis aureum ipſi vocavere, latrocinabantur. miſſuſque in eos Publius Servilius, quamvis leves & fugaces myoparonas gravi & Martia claſſe turbaret, non incruenta victoria ſuperat. Sed nec mari ſubmoviſſe contentus, validiſſimas urbes

 eorum,

eorum, & diutina præda abundantes, Phaselin & Olympon evertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciæ: unde conscius sibi magni laboris, Isaurici cognomen adamavit. Non ideo tamen tot cladibus domiti terra se continere potuerunt: sed ut quædam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu impatientes soli in aquas suas resiluerunt; & aliquanto latius, quam prius. Sic ille quoque ante felix, dignus nunc victoria [1] Pompejus visus est; & Mithridaticæ provin-







1. Memoria imperii in insulas, oras maritimas, & classes populi Romani, quod Pompejo in bello piratico fuit datum, hoc denario consecrata est: in quo vides Jovis Terminalis caput, a M. Terentio, Varrone, qui unus ex XV legatis in hoc bello fuit, ut paulo post Florus docet. signatum. In aversa parte delphin, sceptrum, aquila notat imperium hoc maritimum Pompejo decretum.

ciæ

ciæ facta eſt acceſſio. Ille diſperſam toto mari peſtem ſemel & in perpetuum volens extinguere, divino quodam apparatu aggreſſus eſt. Quippe quum claſſibus ſuis, & ſocialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis utraque Ponti & Oceani ora complexus eſt. Gellius Tuſco mari impoſitus; Plotius Siculo. Gratilius Liguſticum ſinum, Pompejus Gallicum obſedit, Torquatus Balearicum, Tiberius Nero Gaditanum fretum, qua primum maris noſtri limen aperitur: Lentulus Libycum; Marcellinus Ægyptium; Pompeji juvenes Adriaticum, Varro Terentius Ægæum, & Ponticum; Pamphylium Metellus; Aſiaticum Cæpio; ipſas Propontidis fauces Porcius Cato ſic obditis navibus quaſi portam obſeravit. Sic per omnes æquoris portus, ſinus, latebras, receſſus, promontoria, freta, peninſulas, quicquid piratarum fuit, quadam indagine incluſum & oppreſſum eſt. Ipſe Pompejus in originem fontemque belli Ciliciam verſus eſt: nec hoſtes detrectavere certamen, non ex fiducia, ſed quia oppreſſi erant, auſi videbantur. ſed nihil tamen amplius, quam ut ad primum ictum concurrerent. Mox ubi circumfuſa undique roſtra viderunt, abjectis ſtatim telis re-

 miſ-

misque, plausu undique pari, quod supplicantium signum fuit, vitam petiverunt. Non alias tam incruenta victoria usi unquam sumus: sed nec fidelior in posterum reperta gens ulla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus a conspectu longe removit maris, & mediterraneis agris quasi obligavit. Eodemque tempore & usum maris navibus recuperavit, & terræ homines suos reddidit. Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod quadragesimo die parta est? an felicitatem, quod ne una quidem navis amissa est? an vero perpetuitatem, quod amplius piratæ non fuerunt?

## CAPUT VII.

### *Bellum Creticum.*

CReticum bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus; sola vincendi nobilem insulam cupiditate. favisse Mithridati videbatur.

hoc

hoc placuit armis vindicare. Primus invasit insulam Marcus Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia, adeo, ut plures catenas in navibus, quam arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. Nam plerasque naves intercepere hostes: captivaque corpora religata velis ac funibus pependere: ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigaverunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus, intra castella & urbes redegit, & Cnossum, & Erythræam, &, ut Græci dicere solent, urbium matrem Cydoneam: adeoque sæve in captivos consulebatur, ut veneno se plerique conficerent: alii deditionem suam ad Pompejum absentem mitterent. Et quum ille res in Asia gerens, eo quoque præfectum misisset Antonium, in aliena provincia inclitus fuit: eoque infestior Metellus in hostes jus victoris exercuit: victisque Lasthene, & Panare Cydoneæ ducibus, victor rediit. nec quicquam amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportavit.

## CAPUT VIII.

### *Bellum Balearicum.*

QUatenus Metelli Macedonici domus bellicis nominibus assueverat; altero ex liberis

ejus Cretico facto, mora non fuit, quin alter quoque Balearicus vocaretur. Baleares per idem tempus insulæ piratica rabie corruperant maria. Homines feros atque silvestres mireris ausos a scopulis suis saltem maria prospicere. Ascendere etiam inconditas rates, & prænavigantes subinde inopinato impetu terruere. Sed quum venientem ab alto Romanam classem prospexissent prædam putantes, ausi etiam occurrere: & primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuerunt. Tribus quisque fundis prœliatur. certos esse quis miretur ictus, quum hæc sola genti arma sint; id unum ab infantia studium; Cibum puer a matre non accipit, nisi quem ipsa monstrante percussit. Sed non diu lapidatione terruere Romanos. postquam cominus ventum est, expertique rostra, & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato petierunt fuga litora, dilapsique in proximos tumulos, quærendi fuerunt, ut vincerentur.

## CAPUT IX.

### *Expeditio in Cypron.*

ADerat fatum insularum. Igitur & Cypros recepta sine bello. Insulam veteribus divitiis abundantem, & ob hoc Veneri sacram Ptolemæus regebat. Sed divitiarum tanta erat fama, nec falso, ut gentium populus, & donare regna consuetus, Publio Clodio Tribuno duce, socii vivique regis confiscationem mandaverit. Et ille quidem ad rei famam veneno fata præcepit. ceterum [1] Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum ostium invexit. quæ res latius ærarium populi Romani, quam ullus triumphus implevit.







1 Memoriam hujus Provinciæ, quam jure prætorio, seu questor pro prætore gessit Cato servavit hic nummus.

## CAPUT X.
### *Bellum Gallicum.*

ASia Pompeji manibus ſubacta. Reliqua quæ reſtabant in Europa, fortuna in [1] Cæſarem tranſtulit. Reſtabant autem immaniſſimi gentium Galli, atque Germani: & quamvis toto orbe diviſa, tamen qui vinceret habuit Britannia. Primus Galliæ motus ab Helvetiis cœpit: qui Rhodanum inter & Rhenum ſiti, non ſufficientibus terris, venere ſedes petitum, incenſis mœnibus ſuis. hoc ſacramentum fuit, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Cæſar Rhodani ponte reſciſſo abſtuliſſet fugam; ſtatim bellicoſiſſi-




1 En tibi C. Julii Cæſaris imaginem ex denario

mam

mam gentem sic in sedes suas, quasi greges in stabula pastor, deduxit. Sequens longeque cruentior pugna Belgarum, quippe pro libertate pugnantium. Hic cum multa Romanorum militum insignia, tum illud eregium ipsius ducis, quod nutante in fugam exercitu, rapto fugientis e manu scuto, in primam volitans aciem manu prœlium restituit. Inde cum Venetis etiam navale bellum: sed major cum Oceano, quam cum ipsis navibus rixa. quippe illæ rudes & informes, & statim naufragæ, quum rostra sensissent. sed hærebat in vadis pugna, quum æstibus solitis cum ipso certamine subductus Oceanus intercedere bello videretur. Illæ quoque accessere diversitates pro gentium locorumque natura. Aquitani, callidum genus, in speluncas se recipiebant; jussit includi: Morini dilabebantur in silvas; jussit incendi. Nemo tantum feroces dixerit Gallos fraudibus agunt: Induciomarus Treviros, Ambiorix convocavit Eburones. utrique absente Cæsare conjuratione facta invenere legatos. sed ille fortiter a Dolabella summotus est, relatumque regis caput. hic insidiis in valle dispositis dolo perculit. itaque & castra direpta sunt, & aurum ablatum. Cottam cum Titurio Sabino legato ibi amisimus. Nec ulla de rege mox ultio; quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. Nec Rhenus ergo immunis, nec enim fas erat, ut liber esset

rece-

receptator hostium atque defensor. Sed prima contra Germanos illius pugna, justissimis quidem ex caussis. Hædui de incursionibus eorum querebantur. Quæ Ariovisti superbia? Quum legati dicerent, Veni ad Cæsarem; Quis est autem Cæsar? &, Si vult, veniat, inquit. &, Quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis? Itaque tantus gentis novæ terror in castris, ut testamenta passim etiam in principiis scriberentur. Sed illa immania corpora, quo erant majora, eo magis gladiis ferroque patuerunt. Qui calor in prœliando militum fuerit, nullo magis exprimi potest, quam quod elatis super caput scutis, quum se testudine barbarus tegeret, super ipsa Romani scuta salierunt: & inde in jugulos gladiis descendebant. Iterum de Germano Tencteri querebantur. Hic vero jam Cæsar ultro Mosulam navali ponte transgreditur, ipsumque Rhenum, & Hercyniis hostem quærit in silvis: sed in saltus, & paludes genus omne diffugerat. tantum pavoris incussit intra ripam subito Romana vis. Nec semel Rhenus, sed iterum quoque, & quidem ponte facto, penetratus est. Sed major aliquanto trepidatio: quippe quum Rhenum suum sic ponte, quasi jugo captum viderent, fuga rursus in silvas ac paludes: &, quod acerbissimum Cæsari fuit, non fuere qui vincerentur. Omnibus terra marique captis,
respe-

respexit Oceanum: & quasi hic Romanus orbis non sufficeret, alterum cogitavit. Classe igitur comparata Britanniam transit mira celeritate: quippe qui tertia vigilia Morino solvisset a portu, minus quam medio die insulam ingressus est. Plena erant tumultu hostico, litora & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant. Itaque trepidatio pro victoria fuit. Arma, & obsides accepit a trepidis: & ulterius iisset, nisi improbam classem naufragio castigasset Oceanus. Reversus igitur in Galliam, classe majore, auctisque admodum copiis, in eundem rursus Oceanum, eosdemque rursus Britannos, Calidonias sequutus in silvas, unum quoque e regibus Cavelanis in vincula dedit. Contentus his (non enim provinciæ, sed nomini studebatur) cum majore quam prius præda revectus est; ipso quoque Oceano tranquillo magis, & propitio, quasi imparem se fateretur. Sed maxima omnium eademque novissima conjuratio fuit Galliarum, quum omnes pariter Arvernos atque Biturigas, Carnutas simul Sequanosque contraxit, ille corpore, armis, spirituque terribilis, nomine etiam quasi terrore composito, Vercingentorix ille festis diebus, & conciliabulis, quum frequentissimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad jus pristinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæsar Ravennæ delectum agens; & hieme creverant Al-

pes:

pes: ſic interclusſum putabant iter. Sed ille, qualis erat ad nuncium rei feliciſſimæ temeritatis per invios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias & nives expedita manu emerſus occupat Galliam; & ex diſtantibus hibernis caſtra contraxit; & ante in media Gallia fuit, quam ab ultima timeretur. Tum ipſa capita belli aggreſſus, urbes; Avaricum cum quadraginta millibus propugnantium ſuſtulit: Alexiam ducentorum quinquaginta millium juventute ſubnixam flammis adæquavit. Circa Gergoviam Arvernorum tota belli moles fuit: quippe quum octoginta millia muro, & arce, & abruptis defenderent; maximam civitatem vallo, ſudibus & foſſa, inductoque foſſæ flumine, ad hoc decem & octo caſtellis, ingentique lorica circumdatam, primum fame domuit: mox audentem eruptiones in vallo gladiis ſudibuſque concidit: noviſſime in deditionem redegit. Ipſe ille rex maximum victoriæ decus, ſupplex quum in caſtra veniſſet, tum & phaleras, & ſua arma ante Cæſaris genua projecit: Habes, inquit, fortem virum, vir fortiſſime, viciſti.

## CAPUT XI.

### *Bellum Parthicum.*

DUm Gallos per Cæſarem in Septentrione debellat, interim ad Orientem grave vulnus a Parthis populus Romanus accepit. Nec de fortuna queri poſſumus. caret ſolatio clades. Adverſis & diis & hominibus cupiditas conſulis [1] Craſſi; dum Parthico inhiat auro, undecim ſtrage legionum, & ipſius capite multata eſt. Et tribunus plebis Metellus exeuntem ducem hoſtilibus diris devoverat: & quum Zeugma tranſiſſet exercitus, rapta ſubitis ſigna turbinibus hauſit Euphrates: & quum apud Nicephorum caſtra poſuiſſet, miſſi ab Orode rege legati denunciavere, percuſſorum cum




1 Hunc Craſſi nummum in faſtis attulit Golzius.

Pom-

Pompejo fœderum Syllaque meminiſſet. Regiis inhians ille theſauris nihil, ne imaginario quidem jure, ſed Seleuciæ ſe reſponſurum eſſe reſpondit. Itaque dii fœderum ultores nec inſidiis, nec virtuti hoſtium defuerunt. Jam primum, qui ſolus & ſubvehere commeatus, & munire poterat a tergo, relictus Euphrates. tum ſimulato transfugæ cuidam Mazavæ Syro creditur, dum in mediam camporum vaſtitatem eodem duce ductus exercitus undique hoſti exponeretur. Itaque vix dum venerat Carras, quum undique præfecti regis, Sillaces & Surenas oſtendere ſigna auro ſericeiſque vexillis vibrantia. Tum ſine mora circumfuſi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum denſa pariter tela fuderunt. Sic miſerabili ſtrage deletus exercitus. Ipſe in colloquium ſollicitatus, ſigno dato, vivus hoſtium manus incidiſſet, niſi tribunis reluctantibus fugam ducis barbari ferro occupaſſent. Sic quoque relatum caput ludibrio hoſti fuit. Filium ducis pæne in conſpectu patris eiſdem telis operuere. Reliquiæ infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque diſtractæ, vix nuncium cladis retulerunt. Caput ejus reciſum cum dextera manu ad regem reportatum ludibrio fuit, neque indigno. Aurum enim liquidum in rictum oris infuſum eſt; ut, cujus animus arſerat auri cupiditate,

ditate, ejus etiam mortuum & exſangue corpus auro uteretur.

## CAPUT XII.
### *Anacephalæosis.*

HÆc eſt illa tertia ætas populi Romani transmarina, qua Italia progredi auſus orbe toto arma circumtulit. Cujus ætatis ſuperiores centum anni ſancti, pii, &, ut diximus, aurei, ſine flagitio, ſine ſcelere, dum ſincera adhuc & innoxia paſtoriæ illius ſectæ integritas, dumque Pœnorum hoſtium imminens metus diſciplinam veterem continebat. Poſtremi centum, quos a Carthaginis, Corinthi, Numantiæque excidiis, & Attali regis Aſiatica hereditate deduximus in Cæſarem & Pompejum, ſequutumque hos, de quo dicemus, Auguſtum, ut claritate rerum bellicarum magnifici, ita domeſticis cladibus miſeri & erubeſcendi. Quippe ſicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, Cappadociam, uberrimas validiſſimaſque provincias, Armenios etiam & Britannos, ut non in uſum, ita ad imperii ſpeciem magna nomina acquiſiiſſe pulcrum atque decorum: ita eodem tempore dimicaſſe domi cum civibus, ſociis, mancipiis, gladiatoribus, totoque inter ſe ſenatu, turpe atque miſerandum. Ac neſcio an ſatius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa contento

 fuiſſe,

fuiſſe, aut his etiam ipſis carere, dominanti in Italia ſua, quam eo magnitudinis creſcere, ut viribus ſuis conficeretur. Quæ enim res alia furores civiles peperit, quam nimia felicitas? Syria prima nos victa corrupit: mox Aſiatica Pergameni regis hereditas, illæ opes atque divitiæ afflixere ſæculi mores: merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, rempublicam peſſumdedere. Unde enim populus Romanus a tribunis agros & cibaria flagitaret, niſi per famem, quam luxu fecerat? Hinc ergo Gracchana, & prima & ſecunda, & illa tertia Apulejana ſeditio. Unde regnaret judiciariis legibus divulſus a ſenatu eques, niſi ex avaritia, ut vectigalia reipublicæ, atque ipſa judicia in quæſtu haberentur? Hinc rurſus & promiſſa civitas Latio, & per hoc arma ſociorum. Quid autem bella ſervilia? unde nobis, niſi ex abundantia familiarum? Unde gladiatorii adverſus dominos ſuos exercitus, niſi ad conciliandum plebis favorem effuſa largitio, quum ſpectaculis indulget, ſupplicia quondam hoſtium artem facit? Jam ut ſpecioſiora vitia tangamus, nonne ambitus honorum ab iiſdem divitiis incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syllana tempeſtas. Aut magnificus apparatus conviviorum, & ſumptuoſa largitio, nonne ab opulentia paritura mox egeſtatem? Hæc Catilinam patriæ ſuæ impegit. Denique illa ipſa principatus & dominan-

minandi cupido, unde, nisi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæsarem atque Pompejum furialibus in exitium reipublicæ facibus armavit. Hos igitur populi Romani omnes domesticos motus separatos ab externis justisque bellis ex ordine prosequemur.

## CAPUT XIII.

### *Caussa Seditionum tribunicia potestas.*

SEditionum omnium caussas Tribunicia potestas excitavit: quæ specie quidem plebis tuendæ, cujus in auxilium comparata est, re autem dominationem sibi acquirens, studium populi ac favorem agrariis, frumentariis, judiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam justum, quam recipere plebem jus suum a patribus? ne populus gentium victor, orbisque possessor, extorris aris ac focis ageret. Quid tam æquum, quam inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquandæ magis efficax, quam ut senatu regente provincias, ordinis equestris auctoritas saltem judiciorum regno niteretur? Sed hæc ipsa in perniciem redibant: & misera respublica in exitium suum merces erat. Nam & a senatu in equitem translata judiciorum potestas vectigalia, id est, imperii patrimonium, supprimebat: & emptio fru-

menti ipsos Reipublicæ nervos exhauriebat ærarium. Reduci plebis in agros unde poterat sine possidentium eversione? qui ipsi pars populi erant, & tamen relictas sibi a majoribus sedes, ætate, quasi jure hereditario possidebant.

## CAPUT XIV.

### *Seditio Tiberii Gracchi.*

PRimam certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, genere, forma eloquentia facile princeps. Sed hic, sive Mancinianæ deditionis, quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens, & inde popularis: sive æquo, & bono ductus, quia depulsam agris suis plebem miseratus est, ne populus gentium victor, orbisque possessor extorris aris ac focis suis exsularet, quacunque mente, rem ausus ingentem. Postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine rostra conscendit: nec deerat obvia manu tota inde nobilitas, & tribuni in partibus. Sed ubi intercedentem legibus suis Cnæum Octavium videt Gracchus, contra fas collegii, jus potestatis, injecta manu depulit rostris: adeoque præsenti metu mortis exterruit, ut abdicare se magistratu cogeretur. Sic triumvir creatus dividendis agris. Quum ad perpetranda cœpta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, obvia nobilium manu, eo-

rum-

rumque quos agris moverat, cædes a foro cœpit. Inde quum in Capitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suæ, manu caput tangens, hortaretur, præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis: atque ita duce [1] Scipione Nasica concitato in arma populo, quasi jure oppressus est.




[1] Hanc Scipionis Nasicæ imaginem ex numismate æreo prodidit F. Ursinus.

## CAPUT XV.

### *Seditio Caji Gracchi.*

STatim & mortis, & legum fratris sui vindex non minore impetu incaluit Cajus Gracchus. qui cum pari tumultu atque terrore plebem in avitos agros arcesseret; & recentem Attali hereditatem in alimenta populo polliceretur;

jamque nimius & potens altero tribunatu, ſecunda plebe volitaret: obrogare auſo legibus ſuis Minucio tribuno, fretus comitum manu, fatale familiæ ſuæ Capitolium invaſit. Inde proximorum cæde pulſus, quum ſe in Aventinum recepiſſet; inde quoque obvia ſenatus manu, ab Opimio conſule oppreſſus eſt. Inſultatum quoque mortis reliquis & illud ſacroſanctum caput Tribuni plebis percuſſoribus auro penſatum eſt.

## CAPUT XVI.
### *Seditio Apulejana.*

NIhilominus Apulejus Saturninus Gracchanas aſſerere leges non deſtitit. Tantum animorum viro Marius dabat. qui nobilitati ſemper inimicus, conſulatu ſuo præterea confiſus, occiſo palam comitiis Annio competitore Tribunatus, ſubrogare conatus eſt in ejus locum Cajum Gracchum, hominem ſine tribu, ſine nomine: ſed ſubdito titulo in familiam ipſe ſe adoptabat. Quum tot tantiſque ludibriis exſultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, ut Senatum quoquè cogeret in verba jurare; quum abnuentibus aqua & igni interdicturum ſe minaretur. Unus tamen exſtitit qui mallet exilium. Igitur poſt Metelli fugam omni nobilitate perculſa, quum

jam

jam tertium annum dominaretur, eo vesaniæ progressus est, ut consularia quoque comitia nova cæde turbaret. Quippe ut satellitem furoris sui Glauciam, consulem faceret, Cajum Memmium competitorem interfici jussit: & in eo tumultu regem ex satellitibus suis se appellatum lætus accepit. Tum vero jam conspiratione Senatus, ipso quoque jam Mario consule, quia tueri non poterat, adverso; directæ in foro acies. expulsus inde Capitolium invasit. Sed quum abruptis fistulis obsideretur, Senatuique per legatos pœnitentiæ fidem faceret, ab arce degressus, cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi eum facta irruptione populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit.

## CAPUT XVII.

### *Drusiana seditio.*

POstremo Livius Drusus non tribunatus modo viribus, sed ipsius etiam Senatus auctoritate, totiusque Italiæ consensu, easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflavit incendium, ut ne prima illius flamma posset sustineri; & subita morte correptus, hereditarium in posteros suos bellum propagaret. Judiciaria lege Gracchi diviserant populum Romanum, & bicipitem ex una fe-

cerant civitatem: Equites Romani tanta poteſtate ſubnixi, ut qui fata fortunaſque principum haberent in manu, interceptis vectigalibus peculabantur ſuo jure rempublicam: Senatus exilio Metelli, damnatione Rutilii debilitatus omne decus majeſtatis amiſerat. In hoc ſtatu rerum pares opibus, animis, dignitate. (unde & nata Livio Druſo æmulatio acceſſerat) equitem Servilius Cœpio, Senatum Livius Druſus aſſerere. Signa, & aquilæ, & vexilla aderant: ceterum ſic urbe in una quaſi in binis caſtris diſſidebatur. Prior Cæpio in ſenatum impetu facto, reos ambitus Scaurum & Philippum, principes nobilitatis elegit. His motibus ut reſiſteret Druſus, plebem ad ſe Gracchanis legibus, eiſdem ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit. Exſtat vox ipſius, Nihil ſe ad largitionem ulli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cœnum dividere vellet, aut cælum. Aderat promulgandi dies; quum ſubito tanta vis hominum undique apparuit, ut hoſtium adventu obſeſſa civitas videretur. Auſus tamen obrogare de legibus conſul Philippus: ſed apprehenſum faucibus viator non ante dimiſit, quam ſanguis in ora & oculos redundaret. Sic per vim latæ, juſſæque leges: ſed pretium rogationis ſtatim ſocii flagitavere, quum interim imparem Druſum, ægrumque rerum temere motarum, matura, ut in tali diſcrimine, mors abſtulit. nec

ideo

ideo minus ſocii promiſſa Druſi a populo Romano repoſcere armis deſierunt.

## CAPUT XVIII.
### *Bellum Sociale.*

SOciale bellum vocetur licet; ut extenuemus invidiam: ſi verum tamen volumus, illud civile bellum fuit. quippe quum populus Romanus Etruſcos, Latinos, Sabinoſque miſcuerit, & unum ex omnibus ſanguinem ducat; corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus eſt. nec minore flagitio ſocii intra Italiam quam intra urbem cives rebellabant. Itaque quum jus civitatis, quam viribus auxerant, ſocii juſtiſſime poſtularent, ad quam ſpem eos cupidine dominationis Druſus erexerat; poſtquam ille domeſtico ſcelere oppreſſus eſt, eadem fax, quæ illum cremavit, ſocios in arma & oppugnationem Urbis accendit. Quid hac clade triſtius? quid calamitoſius? quum omne Latium atque Picenum, Etruria omnis atque Campania, poſtremo Italia contra matrem ac parentem ſuam Urbem conſurgeret. quum omne robur fortiſſimorum fideliſſimorumque ſociorum ſub ſuis quiſque ſignis haberent municipalia illa prodigia, Popedius Marſos, & Latinos Afranius; Umbros totus ſenatus & conſules; Samnium Lucaniamque Teleſinus: quum regum & gen-

tium arbiter populus ipſum ſe regere non poſſet, ut victrix Aſiæ Europæque a Corſinio Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte conſilium, ut feſto die Latinarum Julius Cæſar, & Martius Philippus conſules, inter ſacra & aras immolarentur. Poſtquam id nefas proditione diſcuſſum eſt, Aſculo furor omnis erupit, in ipſa quidem ludorum frequentia trucidatis, qui tum aderant ab Urbe, legatis. hoc fuit impii belli ſacramentum. Inde jam paſſim ab omni parte Italiæ, duce & auctore belli diſcurſante Popedio, diverſa per populos & urbes ſigna cecinere. Nec Annibalis, nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio. Ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Feſulæ, ecce Carſeoli; Reate, Nuceria & Picentia cædibus, ferro & igne vaſtantur. Fuſæ Rutilii copiæ, fuſæ Cæpionis. Nam ipſe Julius Cæſar exercitu amiſſo, quum in Urbem cruentus referretur, miſerabili funere mediam etiam Urbem per viam fecit. Sed magna populi Romani fortuna, & ſemper in malis major, totis denuo viribus inſurrexit: aggreſſique ſinguli populos; Cato diſcutit Etruſcos; Gabinius Marſos; Carbo Lucanos; Sylla Samnites. Strabo vero Pompejus omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Aſculi everſione, manibus tot exercituum conſularium, direptarumque urbium diis litaretur.

## CAPUT XIX.

### *Bellum servile.*

UTcunque, etsi cum sociis (nefas!) cum liberis tamen, & ingenuis dimicatum est. quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella servorum? Primum Servile bellum inter initia Urbis Herdonio Sabino duce in ipsa Urbe tentatum est: quum occupata tribunitiis seditionibus civitate, Capitolium obsessum est, & a consule captum: sed hic tumultus magis fuit quam bellum. Mox imperio per diversa terrarum occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius servili, quam Punico bello esse vastatam? Terra frugum ferax, & quodammodo suburbana provincia, latifundiis civium Romanorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergastula, catenatique cultores, materiam bello præbuere. Syrus quidam nomine Eunus (magnitudo cladium facit, ut meminerimus) fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ comas jactat, ad libertatem & arma servos, quasi numinum imperio concitavit; idque ut divinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure, & igne stipaverat, leniter inspirans, flammam inter verba fundebat. Hoc miraculum primum duo millia ex obviis; mox jure belli refractis ergastulis, sexaginta amplius

amplius millium fecit exercitum: regiisque, ne quid malis deesset, decoratus insignibus, castella, oppida, vicos, miserabili direptione vastavit. Quin illud quoque (ultimum belli dedecus) capta sunt castra Prætorum; nec nominare ipsos pudebit, castra Manilii, Lentuli, Pisonis, Hypsæi. Itaque qui per fugitivarios, retrahi debuissent, prætorios duces, profugos prœlio, ipsi sequebantur. Tandem Perperna Imperatore supplicium de eis sumptum est. Hic enim victos, & apud Ennam novissime obsessos, quum fame quasi pestilentia consumpsisset, reliquias latronum compedibus & catenis religavit, crucibusque punivit. fuitque de servis ovatione contentus, ne dignitatem triumphi servili inscriptione violaret. Vixdum respiraverat insula, quum statim servi, & a Syro reditur ad Cilicem. Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat. Ipse veste purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimita, non minorem, quam ille fanaticus prior, conflat exercitum, acriusque multo, quasi & illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in servos infestius, quasi in transfugas, sæviebat. Ab hoc quoque Prætorii exercitus cæsi; capta Servilii castra, capta Luculli. Sed Aquilius Perpernæ usus exemplo interclusum hostem commeatibus ad extrema

trema compulit, communitaſque copias armis fame facile delevit: dedi diſſentque ſe, niſi ſuppliciorum metu voluntariam mortem prætuliſſent. Ac ne de duce quidem ſupplicium exigi potuit, quamvis in manus venerit. quippe dum circa deprehendendum eum multitudo contendit, intet rixantium manus præda lacerata eſt.

## CAPUT XX.
### *Bellum Spartacium.*

ENimvero ſervilium armorum dedecus feras: Nam & ipſi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quaſi ſecundum hominum genus ſunt & in bona libertatis noſtræ adoptantur: bellum Spartaco duce concitatum quo nomine appellem neſcio. quippe quum ſervi militaverint, gladiatores imperaverint, illi infimæ ſortis homines, hi peſſimam auxere ludibrio calamitatem. Spartacus, Crixus, Oenomaus, effracto Lentuli ludo, cum triginta haud amplius ejuſdem fortunæ viris eruperunt Capua; ſerviſque ad vexillum vocatis, quum ſtatim decem amplius millia coiſſent hominum, non modo effugiſſe contenti jam vindicari volebant. Prima velut arena viris mons Veſuvius placuit. Ibi quum obſiderentur a Clodio Glabro, per fauces cavi montis vitigineis delapſi vinculis ad imas ejus deſcen-

descendere radices: & exitu invio, nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuere. inde alia castra. Deinceps coram, totamque pervagantur Campaniam. nec villarum atque vicorum vastatione contenti, Nolam atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum terribili strage populantur. Affluentibus in diem copiis, quum jam esset justus exercitus; e viminibus, pecudumque tegumentis inconditos sibi clipeos; e ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus justo deesset exercitui, domitis obviis gregibus paratur equitatus, captaque de prætoribus insignia & fasces ad ducem detulere. Nec abnuit ille de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, deinde in honore virium gladiator. qui defunctorum quoque prælio ducum funera imperatoriis celebravit exequiis, captivosque circa rogum jussit armis depugnare: quasi plane expiaturus omne præteritum dedecus, si de gladiatore munerator fuisset. Inde jam Consulares quoque aggressus in Apennino Lentuli exercitum percecidit: apud Mutinam Caji Cassii castra delevit. Quibus elatus victoriis, de invadenda urbe Romana (quod satis est turpitudini nostræ) deliberavit. Tandem etiam totis imperii viribus contra mirmillonem consurgitur: pudoremque Romanum Licinius Crassus asseruit. a quo pulsi fugatique (pudet dicere)

dicere ) hoſtes in extrema Italiæ refugerunt. Ibi circa Bruttium angulum cluſi, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia ſuppeterent, rateſque ex cratibus, & dolia connexa virgultis in rapidiſſimo freto fruſtra experirentur; tandem eruptione facta, dignam viris obiere mortem: & quod ſub gladiatore duce oportuit, ſine miſſione pugnatum eſt. Spartacus ipſe in primo agmine fortiſſime dimicans, quaſi imperator occiſus eſt.

CAPUT

## CAPUT XXI.

### *Bellum civile Marianum.*

HOc deerat unum populi Romani malis, jam ut ipse intra se parricidiale bellum domi ſtringeret; in urbe media ac foro, quaſi harena, cives cum civibus ſuis, gladiatorio more concurrerent. Æquiore animo utcunque ferrem, ſi plebeji duces; aut ſi nobiles, mali ſaltem ducatum ſceleri præbuiſſent: quum vero, pro facinus, qui viri! qui imperatores! decora & ornamenta ſæculi ſui [1] Marius, [2] & Sulla, peſſimo facinori ſuam etiam dignitatem præbuerunt. Tribus, ut ſic dixerim, ſideribus agitatum eſt: primo & levi, & modico, tumultu magis quam bello, intra ipſos armorum duces ſub-






1. 2. Vides in his duobus nummis Marium & Sullam expreſſos.

ſiſten-

ſiſtente ſævitia: mox atrocius, & cruentius per totius viſcera ſenatus graſſante victoria. ultimum non civicam modo, ſed hoſtilem quoque rabiem ſupergreſſum eſt; quum armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eo uſque odiis ſævientibus, donec deeſſent, qui occiderentur. Initium & cauſſa belli, inexplebilis honorum Marii fames, dum decretam Syllæ provinciam Sulpicia lege ſollicitat. Sed impatiens injuriæ ſtatim Sylla legiones circumegit: dilatoque Mithridate, Eſquilina, Collinaque porta geminum agmen Urbi infudit. Unde quum conſulto Sulpicius, & Albinovanus objeciſſent catervas, ſudeſque & ſaxa undique a mœnibus ac tela jacerentur; ipſe quoque jaculatus incendio viam fecit, arcemque Capitolii, quæ Pænos quoque, Gallos etiam Senones evaſerat, quaſi captivam victor inſedit. Tum ex conſulto ſenatus adverſariis hoſtibus judicatis, in præſentem tribunum, aliosque diverſæ factionis, jure ſævitum eſt. Marium ſervilis fuga exemit; imo fortuna alteri bello reſervavit Cornelio [3] Cin-






3 Hic nummus honori Cinnæ flatus exſtat apud Golzium in faſtis.

 na,

na, Cnæo Octavio consulibus, male obrutum resurrexit incendium: & quidem ab ipsorum discordia, quum de revocandis, quos senatus hostes judicaverat, ad populum referretur. Cincta quidem gladiis concione, sed vincentibus quibus pax & quies potior, profugus patria sua Cinna confugit ad partes. Redit ab Africa Marius clade major. siquidem carcer, catenæ, fuga, exilium, horrificaverant dignitatem. Itaque ad nomen tanti viri late concurritur: servitia (pro nefas!) & ergastula armantur: & facile invenit exercitum miser imperator. Itaque vi patriam reposcens, unde vi fuerat expulsus, poterat videri jure agere, nisi caussam suam sævitia corrumperet. Sed quum diis hominibusque infestus rediret, statim primo impetu cliens & alumna Urbis Ostia nefanda strage diripitur. mox in urbem quadruplici agmine intratur. divisere copias Cinna, Marius, Corbo, Sertorius. Hic postquam manus omnis Octavii depulsa Janiculo est, statim ad principum cædem signo dato, aliquanto sævius, quam aut in Punica, aut in Cimbrica urbe, sævitur. Octavii consulis caput pro Rostris exponitur; Antonii consularis in Marii ipsius mensis: Cæsar, & Fimbria in penatibus domorum suarum trucidantur: Crassi pater & filius in mutuo alter alterius aspectu: Bæbium atque Numitorium per

per medium forum unci traxere carnificum: Catulus se ignis haustu ludibrio hostium exemit: Merula flamen Dialis in Capitolio Jovis ipsius oculos venarum cruore respersit: Ancharius ipso vidente Mario confossus est, qui fatalem illam scilicet manum non porrexerat salutanti. Hæc tot senatus funera intra calendas & idus Januarii mensis septima illa Marii purpura dedit. Quid futurum fuit, si annum consularis implesset? Scipione & Norbano Quinto consulibus, tertius ille turbo civilis insaniæ toto furore detonuit. quippe quum hinc octo legiones, & quingentæ cohortes starent in armis, inde ab Asia cum victore exercitu Sylla properaret. Et sane quum tam ferus in Syllanos Marius fuisset; quanta sævitia opus erat, ut Sylla de Mario vindicaretur? Primum apud Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt: & statim Norbani fusus exercitus. statim omnes Scipionis copiæ, ostentata spe pacis, oppressæ. Tum Marius juvenis, & Carbo consules, quasi desperata victoria, ne inulti perirent, in antecessum sanguine senatus sibi parentabant, obsessaque curia, sic de senatu quasi de carcere, qui jugularentur educti. Quid funerum in foro, in circo, in patentibus templis? Nam Quinctus Mucius Scævola pontifex Vestales amplexus aras tantum non eodem igne sepelitur. Lam-

ponius atque Telesinus Samnitum duces, atrocius Pyrrho & Annibale Campaniam Etruriamque populantur: et sub specie partium se vindicant. Apud Sacriportum Collinamque portam debellatæ omnes hostium copiæ. Ibi Marius, hic Telesinus oppressi. Nec idem tamen cædium, qui belli finis fuit. Stricti enim & in pace gladii: animadversumque in eos, qui se sponte dediderant. Minus est, quod apud Sacriportum, & apud Collinam portam septuaginta amplius millia Sylla concidit. bellum erat. Quatuor millia deditorum inermium civium in villa publica interfici jussit. Isti tot in pace, non plures sunt. quis autem illos potest computare, quos in Urbe passim, quisquis voluit, occidit? donec admonente Furfidio, Vivere aliquos debere, ut essent quibus imperarent; proposita est ingens illa tabula, & ex ipso Equestris ordinis flore ac senatus, duo millia electi, qui mori juberentur. novi generis edictum. Piget post hæc referre, ludibrio habita fata Corbonis, fata Sorani Prætoris, atque Venuleji: Bæbium sine ferro, ritu ferarum, inter manus laniatum: Marium ducis ipsius fratrem apud Catuli sepulcrum, oculis, manibus, cruribusque defossis, servatum aliquandiu, ut per singula, membra moreretur. Positis singulorum hominum fere pœnis, municipia Italiæ splendissima,

ſima, ſub haſta venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneſte, Florentia. Nam Sulmonem, vetus oppidum ſocium atque amicum (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obſides jure belli, & modo morte damnati duci jubentur: ſic damnatam civitatem juſſit Sylla delere.

## CAPUT XXII.

### *Bellum Sertorianum.*

BEllum Sertorianum quid aliud, quam Syllanæ proſcriptionis hereditas fuit? hoſtile potius, an civile dixerim, neſcio; quippe quod Luſitani Celtiberique Romano geſſerint duce. Exſul & profugus feralis illius tabulæ; vir ſummæ quidem, ſed calamitoſæ virtutis, malis ſuis maria terraſque permiſcuit: & jam Africæ, jam Balearibus inſulis fortunam expertus, miſſuſque in Oceanum, Fortunatas inſulas penetravit: tandem Hiſpaniam armavit. Viro cum viris facile convenit. Nec alias magis apparuit Hiſpani militis vigor, quam Romano duce. Quamquam ille non contentus Hiſpania, ad Mithridatem quoque Ponticoſque reſpexit, regemque claſſe juvit. Et quid futurum fuit? ſatis tanto hoſti uno imperatore reſiſtere res Romana non potuit. additus Metello Cnæus Pompejus. hi copias viri

diu & ancipiti semper acie attrivere: nec tamen prius bello, quam suorum scelere & insidiis, exstinctus est. Copias ejus prope tota Hispania persequuti, diu & ancipiti semper acie domaverunt. Prima per legatos certamina habita, quum hinc Domitius & Thorius; inde Herculeji proluderent: mox his apud Segoviam, illis apud Anam flumen oppressis; ipsi duces cominus invicem experti, apud Lauronem, atque Sucronem æquavere clades. Tum illis ad populationem agrorum, his ad urbium excidia conversis, misera inter Romanos duces Hispania discordiæ pœnas dabat: donec oppresso domestica fraude Sertorio, victo deditoque Perperna, ipsæ quoque in Romanam fidem venere urbes, Osca, Termes, Tutia Valentia, Auxima, & in fame nihil non experta Calaguris. Sic recepta in pacem Hispania. Victores duces externum id magis quam civile bellum videri voluerunt, ut triumpharent.

## CAPUT XXIII.

### *Bellum civile sub Lepido.*

MArco Lepido, Quincto Catulo consulibus, civile bellum pene citius oppressum est quam inciperet. sed quantum, lateque fax illius motus ab ipso Syllæ rogo exarsit! Cupidus namque rerum novarum per insolen-

ſolentiam Lepidus, acta tanti viri reſcindere parabat: nec immerito, ſi tamen poſſet ſine magna clade Reipublicæ. Nam quum jure belli Sylla dictator proſcripſiſſet inimicos: qui ſupererant, revocante Lepido, quid aliud, quam ad bellum vocabantur? quumque damnatorum civium bona, addicente Sylla, quamvis male capta, jure tamen, repetitio eorum proculdubio labefactabat compoſitam civitatem. Expediebat ergo quaſi ægræ ſauciæque Reipublicæ requieſcere quomodocumque, ne vulnera curatione ipſa reſcinderentur. Ergo quum turbidis concionibus, velut claſſico civitatem terruiſſet, profectus in Etruriam, arma inde & exercitum Urbi admoverat. Sed jam Milvium pontem, collemque Ianiculum Lutatius Catulus, Cnæuſque Pompejus, Syllanæ dominationis duces atque ſigniferi, alio exercitu inſederant. A quibus primo ſtatim impetu retro pulſus, hoſtiſque a ſenatu judicatus, incruenta fuga Etruriam, inde Sardiniam receſſit: ibique morbo & pænitentia interiit. Victores, quod non temere alias in civilibus bellis, pace contenti fuerunt.



# LIBER QUARTUS.

## CAPUT I.

### *Bellum Catilinarium.*

CAtilinam luxuria primum, tum hinc conflata egeſtas rei familiaris, ſimul occaſio, quod in extremis finibus mundi arma Romana peregrinabantur, in nefaria conſilia opprimendæ patriæ ſuæ compulere; Senatum confodere, conſules trucidare, diſtringere incendiis Urbem, diripere ærarium, totam denique rempublicam funditus tollere, & quicquid nec Annibal videretur optaſſe, quibus (o nefas!) ſociis aggreſſus eſt? Ipſe patricius? ſed hoc minus eſt: Curii, Porcii, Syllæ, Cethegi, Antronii, Varganteji atque Longini quæ familiæ? quæ ſenatus inſignia? Lentulus quoque cum maxime prætor? hos omnes immaniſſimi facinoris ſatellites habuit. Additum eſt pignus conjurationis ſanguis humanus: quem circumlatum pateris bibere ſummum nefas, niſi amplius eſſet, propter quod biberunt. Actum erat de pulcerrimo imperio, niſi

nisi illa conjuratio in [1] Ciceronem & Antonium consules incidisset: quorum alter industria rem patefecit, alter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fulviam emersit, vilissimum scortum, sed parricidii innocens. Tum Consul habito senatu, in præsentem reum Cicero peroravit: sed non amplius profectum, quam ut hostis evaderet, seque palam professo incendium suum restincturum ruina minaretur. Et ille quidem ad præparatum a Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus Urbi. Lentulus destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad præstitutum a Catilina diem urbe tota viros, faces, tela disponit. Nec civili conspiratione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma sollicitatis,




a Hæc est Ciceronis, quum ætate floreret, imago, in nummo æreo descripta.

iisset ultra Alpes furor, nisi altera proditione Vulturcii, Prætoris literæ tenerentur. Statim Ciceronis imperio injecta est barbaris manus. Palam Prætor in senatu convincitur. De supplicio agentibus, Cæsar parcendum dignitati; Cato animadvertendum pro scelere censebat. Quam sententiam sequutis omnibus, in carcere parricidæ strangulantur. Quamvis parte conjurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina non destitit: sed infestis ab Etruria signis patriam petens, obvio Antonii exercitu opprimitur. Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. nemo hostium bello superfuit. quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est; pulcerrima morte, si pro patria sic concidisset.

## CAPUT II.

### *Bellum Cæsaris & Pompeji.*

JAm pene toto orbe pacato, majus erat imperium Romanum, quam ut ullis externis viribus opprimi posset. Itaque invidens fortuna principi gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit. ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intra Urbem proluserat, quasi experiretur. Syllana tempestas latius,

tius, intra Italiam tamen, detonuerat. [1] Cæſaris furor atque Pompeji Urbem, Italiam, gentes, nationes totum denique qua patebat imperium, quodam quaſi diluvio, & inflammatione corripuit: adeo ut non recte tantum civile dicatur; ac ne ſociale quidem; ſed nec externum: ſed potius commune quoddam ex omnibus, & plus quam bellum. Quippe ſi duces ejus inſpicias; totus ſenatus in partibus. ſi exercitus, hinc undecim legiones, inde decem & octo, flos omnis & robur Italici ſanguinis. ſi auxilia ſociorum; hinc Gallici Germanique delectus: inde Dejotarus, Ariobarzanes, Tarchondimotus, Cothus, omne Thraciæ Cappadociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Ætoliæ, totiuſque robur Orientis. ſi moram belli; quatuor anni, & pro clade rerum




1 En tibi ex nummo vetere C. Julium Cæſarem.

breve

breve tempus. si locum & spacium ubi commissum est, intra Italiam: inde se in Galliam Hispaniamque deflexit: reversumque ab occasu totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Ægyptum subito transsiliit: inde respexit Asiam: inde Africæ incubuit: postremo in Hispaniam regyravit, & ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius quievere, quam in Urbe ipsa, medio senatu; eorum qui victi erant odia victoris sese cæde satiarent. Caussa tantæ calamitatis eadem quæ omnium nimia felicitas. Siquidem Quincto Metello, Lucio Afranio consulibus, quum Romana majestas toto orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompejanis theatris Roma cantaret, nimia Pompeji potentia apud ociosos, ut solet, cives movit invidiam. Metellus ob imminutum Cretæ triumphum; Cato adversus potentes semper obliquus, detrectare Pompejum, actisque ejus obstrepere. Hinc dolor transversum egit: & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, divitiis, dignitate florebat: vellet tamen auctiores opes: Cajus Cæsar eloquentia, & spiritu, ecce jam & consulatu allevabatur: Pompejus tamen super utrumque eminebat. Sic igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompejo retinere cupientibus, om-

nibusque

nibuſque pariter potentiæ cupidis, de invadenda Republica facile convenit. Ergo quum mutuis viribus in ſuum quiſque decus niteretur, Galliam Cæſar invadit, Craſſus Aſiam, Pompejus Hiſpaniam: tres maximos exercitus: & jam ſic orbis imperium ſocietate trium principum occupatur. Decem annos traxit iſta dominatio. Exinde, quoniam mutuo metu tenebantur, Craſſi morte apud Parthos, & morte Juliæ Cæſaris filiæ, quæ nupta Pompejo, generi ſocerique concordiam matrimonii fœdere tenebat, ſtatim æmulatio erupit. Jam Pompejo ſuſpectæ Cæſaris opes, & Cæſari Pompejana dignitas gravis. Nec hic ferebat parem, nec ille ſuperiorem. Nefas! ſic de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcelloque conſulibus, rupta prima conjurationis fide, de ſucceſſione Cæſaris ſenatus, id eſt Pompejus agitabat: nec ille abnuebat, ſi ratio ſui proximis comitiis haberetur. Conſulatus abſenti, quem decem tribuni plebis, favente Pompejo, nuper decreverant, tum diſſimulante eodem negabatur. Veniret, & peteret majorum more. ille contra flagitare decreta: ac niſi in fide permanerent, non ſe remittere exercitum. Ergo ut in hoſtem decernitur. His Cæſar agitatus, ſtatuit præmia armorum armis defendere. Prima civilis belli

arena,

arena Italia fuit; cujus arces levibus præsidiis Pompejus insederat: sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa cecinerunt. tum pulsus Etruria Libo, Umbria Thermus, Domitius Corfinio. Et peractum erat bellum sine sanguine, si Pompejum Brundisii opprimere potuisset. & cœperat. sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga evasit. Turpe dictu! modo princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum a se mare lacera & pene inermi nave fugiebat. Nec Pompejus ab Italia, quam senatus ab Urbe, fugatur prior. quam pene vacuam metu, Cæsar ingressus consulem se ipse facit. Ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, jussit effringi: censumque & patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium. Pulso fugatoque Pompejo, maluit prius ordinare provincias, quam ipsum sequi. Siciliam & Sardiniam, annonæ pignora, per legatos habet. Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat. sed ad Hispanienses Pompeji exercitus transeunti per eam duci portas claudere ausa Massilia est. Misera dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit: sed quia tutis muris erat, vinci eam sibi jussit absenti. Græcula civitas, non pro mollitie nominis, & vallum rumpere, & incendere machinas ausa, & congredi navibus: sed Brutus,

cui

cui mandatum erat bellum, victos terra marique perdomuit. Mox dedentibus sese ablata omnia, præter, quam potiorem omnibus habebant, libertatem. Anceps, variumque, & cruentum in Hispania bellum cum legatis Cnæi Pompeji Petrejo & Afranio: quos Ilerdæ castra habentes, apud Sicorim amnem obsidere, & ab oppido intercludere aggreditur. Interim obundatione verni fluminis commeatibus prohibetur. sic fame castra tentata sunt: obsessorque ipse quasi obsidebatur. sed ubi pax fluminis rediit, populationibus & pugnæ campos aperuit, iterum ferox instat, & cedentes ad Celtiberian consequutus, aggere & vallo, ac per hæc siti ad deditionem compulit. Sic citerior Hispania recepta est; nec ulterior moram fecit. Quid enim una post quinque legiones? Itaque ultro cedente Varrone, Gades, fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam; quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur. Quippe quum fauces Adriatici maris jussi occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Curictico litore castra posuissent; jam maria late tenente Pompejo repente legatus ejus Octavius & Libo ingentibus copiis classicorum, circumvenit utrumque. Deditionem fames extorsit Antonio. Missæ quoque a Basilo

ſilo in auxilium ei rates, quales inopia navium fecerat, nova Pompejanorum arte Cilicum, actis ſub mare funibus captæ, quaſi per indaginem. Duas tamen æſtus explicuit. una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæſit, memorandumque poſteris exitum dedit. Quippe vix mille juvenum manus, circumfuſi undique exercitus per totum diem tela ſuſtinuit. & quum exitum virtus non haberet, tamen ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vultejo, mutuis ictibus in ſe concucurrit. In Africa quoque par & virtus, & calamitas Curionis fuit: qui ad recipiendam provinciam miſſus, pulſo fugatoque Varo jam ſuperbus, ſubitum Jubæ regis adventum, equitatumque Maurorum ſuſtinere non potuit. Patebat victo fuga, ſed pudor ſuaſit, ut amiſſum ſua temeritate exercitum morte ſequeretur. Sed jam debitum par fortuna flagitante, ſedem bello Pompejus Epiron elegerat. nec Cæſar moratur. quippe ordinatis a tergo omnibus, quamvis hiems media prohiberet tempeſtate, ad bellum navigavit. poſitiſque od Oricum caſtris, quum pars exercitus ob inopiam navium cum Antonio relicta, Brundiſii moram faceret; adeo impatiens erat, ut ad arceſſendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, ſpeculatorio navigio, ſolus ire tentaverit. Exſtat ad trepidum tanto diſcrimine gubernatorem vox ipſius: Quid times? Cæſa-

Cæsarem vehis. Contractis in unum undique copiis, positisque cominus castris, diversa erant ducum consilia. Cæsar pro natura ferox, & conficiendæ rei cupidus, ostentare aciem, provocare, lacessere; nunc obsidione castrorum, quæ sedecim millium vallo obduxerat; (sed quid his obesset obsidio, qui patente mari omnibus copiis abundarent;) nunc expugnatione Dyrrhachii irrita; (quippe quam vel situs inexpugnabilem faceret.) ad hoc assiduis in eruptionem hostium prœliis; (quo tempore egregia virtus Scævæ centurionis emicuit; cujus in scuto centum atque viginti tela sedere.) jam vero direptione urbium sociarum quum Oricum, & Gomphos, & alia castella Thessaliæ vastaret. Pompejus adversus hæc nectere moras, tergiversari, simul ut hostem interclusum undique inopia commeatuum tereret, utque ardentissimi ducis consenesceret impetus. Nec diutius profuit duci salutare consilium. milites ocium, socii moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic præcipitantibus fatis, prœlio sumpta est Thessalia, & Philippicis campis Urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt. Nunquam ullo loco tantum virium populi Romani, tantum dignitatis fortuna vidit. Trecenta amplius millia hinc vel illinc, præter auxilia regum, & Senatus. Nunquam imminentis ruinæ manifestiora prodigia: fuga victimarum; examina in

 signis;

ſignis; interdiu tenebræ; dux ipſe & nocturna imagine theatri ſui audiens plauſum in modum planctus circumſonare; & mane cum pullo (nefas!) apud principia conſpectus. Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæſaris fuit. Inde claſſica prius, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Craſtini pilum: qui mox adacto in os gladio, ſic inter cadavera repertus, libidinem ac rabiem qua pugnaverat, ipſa novitate vulneris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus belli. Quippe quum Pompejus adeo equitum copia abundaret, ut facile circumventurus ſibi Cæſarem videretur; circumventus ipſe eſt. Nam quum diu æquo Marte contenderent, juſſuque Pompeji fuſus a cornu erupiſſet equitatus; repente hinc ſigno dato, Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, ut illi eſſe pedites, hi venire in equis viderentur. Hanc ſtragem fugientis equitatus levis armaturæ ruina comitata eſt. Tunc terrore latius dato, turbantibus invicem copiis, reliqua ſtrages quaſi una manu facta eſt. nec ulla res magis exitio fuit, quam ipſa exercitus magnitudo. Multus in eo prœlio Cæſar fuit, mediuſque inter Imperatorem & militem. Voces quoque obequitantis exceptæ, altera cruenta, ſed docta, & ad victoriam efficax; Miles faciem feri: altera ad jactationem compoſita; Parce civibus: quum ipſe ſequeretur. Felicem

cem utcunque in malis Pompejum, ſi eadem ipſum, quæ exercitum ejus fortuna traxiſſet! Superſtes dignitatis ſuæ vixit, ut cum majore dedecore per Theſſalica Tempe equo fugeret, ut una navicula Lesbon applicaretur: pulſus Syedris in deſerto Ciliciæ ſcopulo fugam in Parthos, Africam vel Ægyptum agitaret: ut denique in Peluſio littore, imperio viliſſimi regis, conſiliis ſpadonum, &, ne quid malis deſit, Septimii deſertoris ſui gladio trucidatus, ſub oculis uxoris ſuæ liberorumque moreretur. Quis non peractum eſſe cum Pompejo crederet bellum? atqui acrius multo atque vehementius Theſſalici incendii cineres recaluere. Et in Ægypto quidem adverſus Cæſarem ſine partibus bellum. Quippe quum Ptolomæus rex Alexandriæ, ſummum civilis belli ſcelus peregiſſet, fœduſque amicitiæ cum Cæſare, medio Pompeji capite ſanxiſſet; ultionem tanti viri manibus quærente fortuna; cauſſa non defuit. [a] Cleopatra regis ſoror affuſa Cæſaris genibus,






[a] Hunc nummum communicavit nobiſcum Celeberrimus Vir Carolus Patinus in ſylloge pulcherrima numiſmatum Imperatorum ex ære.

 partem

partem regni repoſcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quod talis paſſa videbatur injuriam. odium ipſius regis, qui Pompeji cædem, partium fato, non Cæſari dederat; haud dubie idem in ipſum auſurus, ſi expediſſet. Quam ubi Cæſar reſtitui juſſit in regnum, ſtatim ab eiſdem percuſſoribus Pompeji obſeſſus in regia, quamvis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute ſuſtinuit. Ac primum ædificiorum proximorum, atque navalium incendio, infeſtorum hoſtium tela ſubmovit: mox in peninſulam Pharon ſubitus evaſit: inde depulſus in maria mira felicitate ad proximam claſſem enatavit: relicto quidem in fluctibus paludamento, ſeu fato; ſeu conſilio, ut illud ingruentibus hoſtium telis ſaxiſque peteretur. Tandem receptus a claſſicis ſuis, undique ſimul hoſtes adortus, de imbelli ac perfida gente, juſta generi Manibus dedit. quippe & Theodotus magiſter, auctorque totius belli, & ne virilia quidem portenta Pothinus atque Ganymedes, diverſa per mare & terras fuga & morte conſumpti. Regis ipſius corpus obrutum limo repertum eſt in aureæ loricæ honore. In Aſia quoque novus rerum motus a Ponto: plane quaſi de induſtria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, ut a Pompejo pater, a Cæſare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis diſcordiæ noſtræ fiducia, quam virtu-

tis

tis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat: sed hunc Cæsar aggressus, uno, &, ut sic dixerim, non toto prœlio, obtrivit; more fulminis, quod uno eodemque momento venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris; ante victum hostem esse, quam visum. Sic cum exteris. at in Africa cum civibus multo atrocius, quam in Pharsalia. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris æstus expulerat: nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis, quam oppressæ vires erant. Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatotis: nec degenerabat ducum successio. quippe satis ample sonabant in Pompejani nominis locum Cato & Scipio. Accessit copiis Mauritaniæ rex Juba, videlicet ut latius vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Pharsaliam, & Thapson, nisi quod amplior, eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit, indignantium post Pompejum crevisse bellum. Denique, quod alias nunquam ante imperium ducis, sua sponte signa cecinerunt. Strages a Juba cœpit. ejus elephanti bellorum rudes, & nuper a silva, consternati subito clangore. statim & in fugam exercitus, & duces fortius, quam ut fugerent, non in conspicua tamen morte omnium. Jam Scipio nave fugiebat: sed assecutis eum hostibus, gladium per viscera exegit: & ubi esset quodam requirente, respondit hoc ipsum; Bene se

 habet

habet imperator. Juba quum ſeſe recepiſſet in regiam, magnifice epulatus, poſtero die cum Petrejo fugæ comite, ſuper menſas & pocula interficiendum ſe ei præbuit. ille & regi ſuffecit & ſibi: quum interim ſemeſi in medio cibi, & parentalia fercula regio ſimul Romanoque ſanguine madebant. Cato non interfuit bello: poſitiſque apud Bagradam caſtris, Uticam, velut altera Africæ clauſtra, ſervabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, ut ſapiente dignum erat, mortem etiam lætus accivit. Nam poſtquam filium comiteſque ab amplexu dimiſit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paullulum quievit. tum circa primam vigiliam ſtricto gladio revelatum manu pectus ſemel iterumque percuſſit. Auſi poſt hoc virum medici violare fomentis. ille paſſus dum abſcederent. Reſcidit plagas, ſequutaque vis ſanguinis moribundas manus in ipſo vulnere reliquit. Quaſi non eſſet uſquam dimicatum, ſic arma rurſus & partes. quantoque Africa ſupra Theſſaliam, tanto Africam ſuperabat Hiſpania. Plurimum quantum favoris partibus dabat fraternitas ducum, & pro uno duos ſtare Pompejos. Itaque nuſquam atrocius, nec tam ancipiti Marte concurſum eſt. Primum in ipſo oſtio Oceani Varus Didiuſque legati conflixere: ſed acrius fuit cum ipſo mari, quam inter

ſe

ſe navibus bellum. ſiquidem velut furorem civicum caſtigaret Oceanus, utramque claſſem naufragio cecidit. Quinam ille horror, quum eodem tempore fluctus, procellæ, viri, naves, armamenta confligerent? adde ſitus ipſius formidinem; vergentia in unum, hinc Hiſpaniæ, inde Mauritaniæ litora; mare & inteſtinum & externum; imminenteſque Herculis ſpeculas; quum omnia undique ſimul prœlio, & tempeſtate ſævirent. Mox circa obſidiones urbium utrimque diſcurſum eſt: quæ miſeræ inter hos atque illos duces ſocietatis Romanæ pœnas dabant. Omnium poſtrema certaminum Munda. hic non pro cetera felicitate, ſed anceps, & diu triſte prœlium: ut plane videretur neſcio quid deliberare fortuna. Sane & ipſe ante aciem mœſtior non ex more Cæſar, ſive reſpectu fragilitatis humanæ; ſive nimiam proſperorum ſuſpectam habens continuationem; vel eadem timens, poſtquam idem eſſe cœperat, quod Pompejus. Sed in ipſo prœlio, quod nemo unquam meminerat, quum diu pari Marte acies nihil aliud quam occiderent, in medio ardore pugnantium ſubito ingens inter utroſque ſilentium, quaſi convenisset. hic omnium ſenſus erat Noviſſime illud inuſitatum Cæſaris oculis nefas, poſt quatuordecim annos probata veteranorum manus gradum retro dedit. quod & ſi nondum

fugerat, apparebat tamen pudore magis, quam virtute resistere. Itaque ablegato equo, similis furenti, primam in aciem procurrit. Ibi prensare fugientes, confirmare; per totum denique agmen oculis, manibus, clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione & de extremis agitasse secum, & ita manifesto vultu fuisse quasi occupare manu mortem vellet; nisi cohortes hostium quinque per transversam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus castris subsidio miserat, fugæ speciem præbuissent. hoc aut ipse credidit, aut dux callidus arripuit in occasionem: & quasi in fugientem invectus, simul & suorum erexit animos, & hostis perculit. nam hi dum se putant vincere, fortius sequi; Pompejani dum fugere credunt suos, fugere cœperunt. Quanta fuerit hostium cædes, ira, rabiesque victoribus, sic æstimari potest. Hoc a prœlio profugi quum se Mundam recepissent, & Cæsar obsideri statim victos imperasset, congestis cadaveribus agger effectus est, quæ pilis jaculisque confixa inter se tenebantur. foedum etiam inter barbaros! Sed videlicet victoriam desperantibus Pompeji liberis, Cnæum prœlio profugum, crure saucio deserta & avia petentem, Cesonius apud Lauronem oppidum consecutus, pugnantem (adeo nondum desperabat) interfecit. Sextum fortuna in Celtiberiam interim

abscon-

abſcondit; aliisque poſt Cæſarem bellis reſervavit. Cæſar in patriam victor invehitur. Primum de Gallia triumphum tranſmiſerat Rhenus, & [1] Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus: [2] altera laurus Ægyptia. tunc in ferculis Nilus, Arſinoe, & ad ſimulacrum ignium ardens Pharus. [3] Tertius de Pharnace currus, & Ponto. [4] Quartus Jubam & Mauros, & bis










1. 2. 3. 4. Quatuor hos triumphos hi quatuor nummi oſtentant.

ſubactam oſtendebat Hiſpaniam. Pharſalia & Thapſos, & Munda nuſquam, & quanto majora erant, de quibus non triumphabat! Hic aliquando finis armis fuit. reliqua pax incruenta: penſatumque clementia bellum. Nemo cæſus imperio præter Afranium. ſatis ignoverat ſemel. & Fauſtum Syllam. didicerat generos timere. filiamque Pompeji cum patruelibus ex Sylla. hic poſteris cavebatur. Itaque non ingratis civibus, omnes, unum in principem congeſti honores: circa templa imagines, in theatro ʕ diſtincta radiis corona; ſug-




ʕ En tibi caput radiatum ex argenteo nummo.

geſtus

gestus in curia; [6] fastigium in domo; mensis in cælo; ad hoc pater ipse patriæ perpetuusque dictator; novissime, dubium an ipso volente, oblata pro Rostris ab Antonio consule, regni insignia. Quæ omnia velut insulæ in destinatam morti victimam congerebantur. Quippe clementiam principis vicit invidia. gravisque erat liberis ipsa beneficiorum potentia.








6 Fastigia templorum ornamenta propria, in his duobus nummis conspicere licet & infinitis aliis. Itaque SCto, quo tale fastigium Cæsaris ædibus quoque decernebatur, divinus honor ei tribuebatur, ut quasi pro Deo haberetur, & ejus domus templi instar esset.

Nec

Nec diutius dilatio donata eſt: ſed 7 Brutus & 8 Caſſius, aliique patricii conſenſerunt in cædem principis. Quanta vis fati! manaverat










7 En tibi nummum, in quo M. Junii Bruti caput, & in adverſa parte dies cædis C. Julii Cæſaris notatur, cum pileo libertatis ſigno, & duobus pugionibus, de quo Dio Caſſius: *Numiſmati quod cudit ſuam imaginem incidit, cum pileo & duobus pugionibus.*

8 Caſſii quidem imago hic non eſt, nec quod memini in nummis reperitur, eſt tamen hic cum nonnullis aliis, quos vide apud Urſinum in familia Caſſia, in memoriam hujus facinoris flatus.

late

late conjuratio. libellus etiam Cæsari datus. eodem die nec perlitare centum victimis potuerat. venit in curiam tamen, expeditionem Parthicam meditans. ibi in curuli sedentem eum senatus invasit: tribusque & viginti vulneribus ad terram datus est. Sic ille, qui terrarum orbem civili sanguine impleverat, tandem ipse sanguine suo curiam implevit.

## CAPUT III.

### *Cæsar Augustus.*

POpulus Romanus, Cæsare & Pompejo trucidatis, rediisse in statum pristinæ libertatis videbatur: & redierat, nisi aut Pompejus liberos, aut Cæsar heredem reliquisset: vel, quod utroque perniciosius fuit; si non collega quondam, mox æmulus Cæsarianæ potentiæ, fax & turbo sequentis seculi, superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari: dum Octavius mortem patris ulciscitur, iterum fuit movenda Thessalia: dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatræ desciscit in regem. nam aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione

est

eſt, quod potiſſimum ad Octavium [1] Cæſarem Auguſtum ſumma rerum rediit: qui ſapientia ſua atque ſollertia perculſum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus: quod ita haud dubie nunquam coire & conſentire potuiſſet, niſi unius præſidis nutu, quaſi anima & mente regeretur. Marco Antonio, Publio Dolabella conſulibus, imperium Romanum jam ad Cæſares transferente fortuna, varius & multiplex civitatis motus fuit. quodque in annua cæli converſione fieri ſolet, ut mota ſidera tonent, ac ſuos flexus tempeſtate ſignificent; ſic cum Romanæ dominationis, id eſt humani generis converſione, penitus intremu-






1. Auguſti caput hic ſe conſpiciendum offert, cum ſtatua equeſtri, quam ei decrevit Senatus, cum XIX. annum ingreſſus Antonio iret obviam, excitis veteranis, de qua vide Vell. Pater c. II, 61.

it,

it, omnique genere diſcriminum, civilibus, terreſtribus, ac navalibus bellis, omne imperii corpus agitatum eſt.

## CAPUT IV.

### *Bellum Mutinenſe.*

PRima civilium motuum cauſſa teſtamentum Cæſaris fuit, cujus ſecundus heres Antonius prælatum ſibi Octavium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi juvenis ſuſceperat bellum. quippe quum intra decem & octo annos tenerum, obnoxium, & opportunum injuriæ juvenem videret, ipſe plenæ ex commilitio Cæſaris dignitatis; lacerare furtis hereditatem, ipſum inſectari probris, cunctis artibus cooptationem Juliæ gentis inhibere non deſineret: denique ad opprimendum juvenem palam arma moliri: & jam parato exercitu in Ciſalpina Gallia reſiſtentem motibus ſuis Decimum Brutum obſidebat: Octavius Cæſar ætate & injuria favorabilis, & nominis majeſtate, quod ſibi induerat, revocatis ad arma veteranis, privatus (quis crederet?) conſulem aggreditur: obſidio Mutinæ liberat Brutum: Antonium exuit caſtris. Tum quidem etiam manu pulcer apparuit. nam cruentus & ſaucius aquilam a moriente ſignifero traditam ſuis humeris in caſtra referebat.

## CAPUT V.


### *Bellum Perusinum.*

ALterum bellum concitavit agrorum divisio; quos Cæsar veteranis in castris pretium militiæ persolvebat. Semper alias Antonii pessimum ingenium Fulvia, gladio cincta virilis militiæ, uxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando iterum in arma ierat. Hic vero jam non privatis, sed totius senatus suffragiis judicatum hostem Cæsar aggressus, intra Perusiæ muros redegit, compulitque ad extrema deditionis turpi & nihil non experta fame.

## CAPUT VI.

### *Triumviratus.*


QUum solus etiam gravis Reipublicæ esset Antonius, quasi ignis incendio [1] Lepidus




1 En tibi Lepidum Triumvirum.

accessit.

acceſſit. Quid contra duos exercitus neceſſe fuit venire in cruentiſſimi fœderis ſocietatem? Diverſa omnium vota. Incendit [1] Lepidum divitiarum cupido, quarum ſpes ex turbatione Reipublicæ: [2] Antonium ultiones de his, qui ſe hoſtem judicaſſent. [3] Cæſarem inultus pater, & Manibus ejus graves Caſſius & Brutus agitabant. In hoc velut fœdus pax inter










1 En tibi Lepidum Triumvirum.

2 3 Vides hic etiam Cæſarem Octavianum & M. Antonium Triumviros.

M 4 tres

[4] tres duces componitur. Apud Confluentes inter Perusiam & Bononiam [5] jungunt manus, & exercitus consalutant. Nullo bono more Triumviratus invaditur. oppressaque armis Republica redit Syllana proscriptio: cujus atrocitas nihil in se minus habet, quam numerum centum quadraginta senatorum. Exitus fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. pro quibus quis pro dignitate rei ingemiscat, quum Antonius Lucium Cæsarem avunculum suum, Lepidus Lucium Paullum







4 In isto nummo capita sunt Triumvirorum junctim C. Mario Proquæstore signata.

5 Vides hic junctas dextras triumvirorum cum caduceo orbis globo, & fascibus, quibus significant ex hac conjunctione & concordia III. Virorum pacem, felicitatem, & abundantiam justitiæ, & religionis cultum in orbe terrarum instauratum esse.

suum

ſuum fratrem proſcripſerit? Romæ capita cæſorum proponere in Roſtris jam uſitatum erat: verum ſic quoque civitas lacrymas tenere non potuit, quum reciſum Ciceronis caput in illis ſuis Roſtris videretur: nec aliter ad videndum eum, quam ſolebat ad audiendum, concurreretur. Hæc ſcelera in Antonii Lepidique tabulis. Cæſar percuſſoribus patris contentus fuit. Hæc quoque, niſi multa fuiſſet, etiam juſta cædes haberetur.

## CAPUT VII.

### *Bellum Caſſii & Bruti.*

BRutus & Caſſius ſic Cæſarem, quaſi Tarquinium regem, depuliſſe regno videbantur: ſed libertatem, quam maxime reſtitutam voluerunt, illo ipſo parricidio perdidere. Igitur cæde perfecta, quum veteranos Cæſaris, nec immerito, timerent, ſtatim e curia in Capitolium confugerant. Nec illis ad ultionem deerat animus, ſed ducem non habebant. Igitur quum appareret, quæ ſtrages Reipublicæ immineret, diſplicuit ultio cum conſulis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos ferrent, in provincias ab illo ipſo, quem occiderant, Cæſare datas, Syriam & Macedoniam, conceſſerunt. Sic vindicta Cæſaris dilata potius quam

oppressa est. Igitur ordinata magis ut poterat, quam ut debebat, republica, relicto ad Urbis præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. Illi comparatis ingentibus copiis, eandem illam, quæ fatalis Cnæo Pompejo fuit, arenam insederant. Sed nec tum imminentia cladis destinatæ signa latuere. Nam & assuetæ cadaverum pabulo volucres, castra quasi jam sua circumvolabant: & in aciem prodeuntibus obvius Æthiops nimis aperte ferale signum fuit. Ipsique Bruto per noctem, quum illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit: & quæ esset interrogata; Tuus, inquit, malus genius. Hoc dixit, & sub oculis mirantis evanuit. Pari in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia aves victimæque promiserant: sed nihil illo præsentius, quod Cæsaris medicus somnis admonitus est, ut Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat: ut factum est. Acie namque commissa, quum pari ardore aliquandiu dimicatum foret:&,quamvis duces non essent præsentes, quorum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignavia subduxissent; staret tamen pro partibus invicta fortuna & ultoris, & qui vindicabatur; primum adeo anceps fuit, & par utrimque discrimen, ut exitus prœlii docuit. Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Cassii. Sed quanto efficacior

est

est fortuna quam virtus! & quam verum est, quod moriens, efflavit, Non in re, sed in verbo tantum esse virtutem! Victoriam illi prœlio error dedit. Cassius inclinato cornu suorum, quum captis Cæsaris castris, rapido impetu recipientes se videret equites, fugere arbitratus, evadit in tumulum: inde puluere & strepitu, etiam nocte vicina eximentibus gestæ rei sensum, quum speculator quoque in id missus tardius renunciaret; transactum de partibus ratus, uni de proximis auferendum præbuit caput. Brutus quum in Cassio etiam suum animum perdidisset, ne quid ex constituti fide resignaret (ita enim par superesse bello convenerat) ipse quoque uni comitum suorum confodiendum præbuit latus. Quis sapientissimos viros non miretur ad ultimum non suis manibus usos? nisi si hoc quoque ex persuasione defuit, ne violarent manus, sed in abolitione sanctissimarum piissimarumque animarum, judicio suo, scelere alieno, uterentur.

## CAPUT VIII.

### *Bellum cum Sexto Pompejo.*

SUblatis percussoribus Cæsaris supererat Pompeji domus. [1] Alter juvenum in Hispania occiderat, alter fuga evaserat: contractisque infelicis belli reliquiis, quum insuper erga-







1 Publicavit in hoc nummo suum caput Sextus Pompejus, cum inscriptione MAGNUS PIUS IMP. ITER. & in adversa parte PRÆF. CLASS. ET. ORAE. MARITIMÆ. EX. SC. Magni cognomen hereditarium ei fuit a patre: Pii adoptavit, quod patris necem ultus est, & quod ad eum proscriptis asilum pateret.

stula

ſtulâ armaſſet, [2] Siciliam, Sardiniamque habebat. Jam & claſſe medium mare inſederat, ô quàm diverſus a patre! Ille Cilicas extinxerat: hic ſecum piratas navales agitabat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto juvenis oppreſſus eſt: magnique famam ducis ad inferos ſecum tuliſſet, ſi nihil tentaſſet ulterius: niſi quod magnæ indolis ſignum eſt, ſperare ſemper. Perditis enim rebus profugit; Aſiamque velis petit, venturus ibi in manus hoſtium & catenas, &, quod miſerrimum eſt fortibus viris, ad hoſtium arbitrium ſub percuſſore moriturus. Non alia poſt Xerxem miſerabilior fuga. quippe modo trecentarum quinquaginta







2 Ad hujus inſulæ imperium ſignificandum feriit nummum hunc, in quo Scylla ſuperiore parte virgo, interius ſuccincta canibus, ut ab Homero & Virgilio deſcribitur, oculis hominum exponitur. Scylla autem eſt freti Siculi ſcopulus.

navium dominus, cum ſex ſeptemve fugiebat. extincto prætoriæ navis lumine, anulis in mare abjectis, pavens atque reſpectans, & tamen non timens ne periret.

## CAPUT IX.

### *Bellum Parthicum duce Ventidio.*

QUamvis in Caſſio & Bruto partes ſuſtuliſſet; in Pompejo totũ partium nomen aboleſſet: nondum tamen ad pacis ſtabilitatẽ profecerat Cæſar, cum ſcopulus, & nodus & mora publicæ ſecuritatis ſupereſſet Antonius. Nec ille defuit vitiis, quin periret, immo omnia expertus ambitu & luxuria, primum hoſtes, deinde cives, tandem etiam terrore ſui ſæculum liberavit. Parthi clade Craſſiana altius animos erexerant; Civilesque populi Romani diſcordias læti acceperant: itaque ut prima adfulſit occaſio, non dubitaverunt & erumpere, ultro quidem invitante Labieno. qui miſſus a Caſſio Brutoque (quis furor ſcelerum!) ſollicitaverat hoſtes in auxilium: & illi Pacoro duce, regio juvene, diſſipant Antoniana præſidia. Saxa legatus, ne veniret in poteſtatem, a gladio ſuo impetravit. Denique ablata Syria, emanabat latius malum, hoſtibus ſub auxilii ſpecie ſibi vincentibus; niſi Ventidius, & hic legatus Antonii, incredibili felicitate & Labieni copias,

as, ipſumque Pacorum, & omnem Parthicum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem ſinu late cecidiſſet. Viginti amplius milium fuit. nec ſine conſilio ducis. qui ſimulato metu adeò paſſus eſt hoſtem caſtris ſuccedere, donec abſumto jactus ſpatio, adimeret uſum ſagittarum. Rex fortiſſime dimicans cecidit. Mox circumlato ejus per urbes quæ deſciverant capite, Syria ſine bello recepta. Sic Craſſianam cladem Pacori cæde penſavimus.

## CAPUT X.

### *Bellum Parthicum cum Antonio.*

EXpertis invicem Parthis atque Romanis, quum Craſſus atque Pacorus utrinque virium mutuarum documenta feciſſent; pari rurſus reverentia integrata amicitia: & quidem ab ipſo fœdus Antonio cum rege percuſſum. Sed immenſa vanitas hominis, dum titulorum cupidine, Araxem & Euphratem ſub imaginibus ſuis legi concupiſcit; neque cauſſa, nec conſilio, ac ne imaginaria quidem belli indictione, quaſi hoc quoque ex arte ducis eſſet, obrepere; relicta repente Syria in Parthos impetum facit. Gens præter armorum fiduciam callida ſimulat trepidationem, & in campos fugam: hic ſtatim quaſi victor ſequebatur: quum ſubito nec magna hoſtium manus ex improviſo,

& jam in fessos via sub vespere velut nimbus erupit, & missis undique sagittis duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis, quæ in posterum diem imminebat, nisi intervenisset deum miseratio. Unus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat, & salute Latine data, quum fidem ipso fecisset, quid immineret edocuit; jam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retro, peterentque montes; sic quoque hostem fortasse non defore. Atque ita sequuta est minor vis hostium quam imminebat. Adfuit tamen; deletæque reliquæ copiæ forent, nisi urgentibus telis in modum grandinis, quadam forte, quasi docti, procubuissent in genua milites, &, elatis super capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. deinde Romani quum se rursus extulissent, adeo res miraculo fuit, ut unus ex barbaris miserit vocem; ite & bene valete Romani, merito vos victores gentium fama loquitur, qui Parthorum tela fugistis. Non minor ex aqua postea, quam ab ostibus clades. infesta primum siti regio. tum quibusdam Salinacidis fluvius infestior. novissime quia ab invalidis & avide hauriebantur, noxiæ etiam dulces fuere. Mox & ardores per Armeniam: & nives per Cappadociam; & utriusque cæli subita mutatio pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de sedecim legio-

legionibus reliqua, quum argentum ejus passim [1] dolabris concideretur; & subinde inter moras mortem a gladiatore suo efflagitasset egregius imperator; tandem perfugit in Syriam. Ibi incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est, quasi vicisset qui evaserat.



1 Hanc dolabram ex Trajana columna excerpsimus, ubi plures conspiciuntur.

## CAPUT XI.


### *Bellum cum Antonio & Cleopatra.*

FUror Antonii quatenus ambitu non interiret, luxu & libidine extinctus est. Quippe post Parthos quum exosus arma in o-

tio


tio ageret, captus amore [1] Cleopatræ, quasi bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia, ab ebrio imperatore, pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius: quasi facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare, nec tacite: sed patriæ, nominis, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum illud ut mente, ita animo quoque & cultu desciverat. Aureum in manu baculum; ad latus acinaces; purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis; diadema aderat, ut regina rex ipse frueretur. Ad primam novorum motuum famam Cæsar a Brundisio trajecerat, ut venienti bello occurreret, positisque in Epiro castris, Leucadem in-




1. Est in hoc nummo caput Antonii, cum tiara, qua Reges utuntur Armeniæ, post victum fraude Artuasdem, seu Arthabacum, ut a Dione vocatur. In averso latere vides Cleopatram cum inscriptione: REGINÆ REGUM FILIORUM REGUM CLEOPATRA. Appellata enim fuit ab Antonio Regina Regum, & ejus filius, Ptolemæus Cæsario, Rex Regum. Vide Dionem lib. 48.

ſulam, montemque Leucaten, & Ambracii ſinus cornua, claſſe ſuccinxerat. Nobis quadringentæ amplius naves; ducentæ non minus hoſtium: ſed numerum magnitudo penſabat. Quippe a ſenis in novenos remorum ordinibus: ad hoc turribus, atque tabulatis allevatæ, caſtellorum, & urbium ſpecie, non ſine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur. quæ quidem ipſa moles exitio fuit. Cæſaris naves a [2] triremibus in ſenos, non amplius ordines creverant. Itaque habiles in omnia quæ uſus poſcebat, ad impetus & recurſus fle-



2 En tibi triremem ex columna Trajana, ut dehinc de illius forma, & verſibus remigum nemo poſſit dubitare. Vides enim hic θαλαμίτας remiges imos, propiores aquæ, & ſupremos θρανίτας non longe a foris, aut in ipſis foris, & medios inter utroſque ζυγίτας, quod dudum recte doctiſſimi viri obſervaunt.

xuſque

xuſque capiendos, illas graves, & ad omnia præpeditas, ſingulas plures adortæ, miſſilibus ſimul, tum roſtris, ad hæc ignibus jactis, ad arbitrium diſſipavere. Nec ulla re magis hoſtilium copiarum apparuit magnitudo, quam poſt victoriam. Quippe immenſa claſſis, naufragio belli facto, toto mari ferebat Arabumque, & Sabæorum, & mille aliarum gentium Aſiæ ſpolia. Purpuram aurumque in ripam aſſidue mota ventis maria revomebant. Prima dux fugæ regina, cum aurea puppe, veloque purpureo, in altum dedit. Mox ſequutus Antonius: ſed inſtare veſtigiis Cæſar. Itaque nec præparata in Oceanum fuga; nec munita præſidiis utraque Ægypti cornua, Parætonium, atque Peluſium profuere. prope manu tenebantur. Prior ferrum occupavit Antonius. Regina ad pedes Cæſaris provoluta, tentavit oculos ducis fruſtra. Nam pulcritudo intra pudicitiam principis fuit. Nec illa de vita quæ offerebatur, ſed de parte regni laborabat. Quod ubi deſperavit a principe, ſervarique ſe triumpho vidit, incautiorem nacta cuſtodiam, in Mauſoleum ſe (ſepulcra regum ſic vocant) recipit. ibi maximos, ut ſolebat, induta cultus, in differto odoribus ſolio, juxta ſuum ſe collocavit Antonium admotiſque ad venas ſerpentibus, ſic morte quaſi ſomno ſoluta eſt.

CAPUT

## CAPUT XII.

### *Bella adversus gentes exteras.*

HIc finis armorum civilium, reliqua adversus exteras gentes: quæ, districto circa mala sua imperio, diversis orbis oris emicabant. Nova quippe pax: nec dum assuetæ frenis servitutis tumidæ gentium inflatæque cervices ab imposito nuper jugo resiliebant. Ad Septentrionem conversa ferme plaga ferocius agebat; Norici, Illyrii, Pannonii, Dalmatæ, Mysi, Thraces & Daci, Sarmatæ atque Germani. Noricis animos dabant Alpes atque nives, quo bellum non posset ascendere: sed omnes illius cardinis populos, Brennos, Senones atque Vindelicos per privignum suum [1] Claudium







1 Effigiem Claudii Drusi, qui postea dictus fuit Germanicus, ipse nummus exprimit cum arca triumphali de Germanis, de quorum victoria paullo inferius agit.

Drusum

Druſum perpacavit. Quæ fuerit callidarum gentium feritas facile vel mulieres oſtendere; quæ deficientibus telis, infantes ipſos afflictos humo in ora militum adverſa miſerunt. Illyrii quoque ſub Alpibus agunt, imaſque valles earum, ac quædam quaſi clauſtra, cuſtodiunt, abruptis torrentibus impliciti. in hos expeditionem ipſe ſumpſit; fierique pontes imperavit. Hic ſe & aquis & hoſte turbantibus, cunctanti ad aſcenſum militi ſcutum de manu rapuit: & in via primus, tunc agmine ſequuto, quum Illyricus multitudine pontem ſuccidiſſet, ſaucius manibus ac curibus, ſpecioſior ſanguine, & ipſo periculo auguſtior, terga hoſtium percecidit. Pannonii duobus ſaltibus, ac tribus fluviis, Dravo, Savo, Iſtroque vallabantur. populati proximos intra ripas ſe recipiebant. in hos domandos Vibium miſit. cæſi ſunt in utriſque fluminibus. Arma victorum non ex more belli cremata; ſed capta ſunt, & in profluentes data: ut ceteris, qui reſiſtebant, victoria ſic nunciaretur. Dalmatæ plerumque ſub ſilvis agunt; inde in latrocinia promptiſſimi. Hos jam quidem Marcius incenſa urbe Delminio quaſi detruncaverat. poſtea Aſinius Pollio gregibus, agris armis, multaverat (hic ſecundus orator) ſed Auguſtus perdomandos Vibio mandat; qui efferum genus fodere terras coegit, aurumque venis repurgare: quod

alioquin

alioquin gens omnium cupidissima, studiosa diligentia anquirit: ut illud in usus suos servare videatur. Mysi quam feri, quam truces fuerint, quam ipsorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu est. Unus ducum ante aciem postulato silentio: Qui vos, inquit, estis? Responsum invicem: Romani gentium domini. Et illi: Ita, inquiunt, fiet, si nos viceritis. Accepit omen Marcus Crassus. Illi statim ante aciem immolato equo concepere votum, ut cæsorum extis ducum & litarent, & vescerentur. Deos audisse crediderim. nec tubam sustinere potuerunt. Non minimum terroris incussit barbaris Domitius centurio, satis barbaræ, efficacis tamen apud pares homines stoliditatis, qui foculum gerens super cassidem, suscitatam motu corporis flammam, velut ardenti capite fundebat. Ante hos Thracum maxime populus desciverat. Ille barbarus & signis militaribus, & disciplina, armis etiam Romanis assueverat: sed Pisone perdomiti, in ipsa captivitate rabiem ostendere, quippe quum catenas morsibus tentarent, feritatem suam ipsi puniebant. Daci montibus inhærent. Cotisonis regis imperio, quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, decurrere solebant, & vicina populari. Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Lentulo,
 ultra

ultra ulteriorem repulit ripam. citra præsidia constituit. Sic tunc Dacia non victa, sed summota, atque dilata est. Sarmatæ patentibus campis inequitant. & hos per eundem Lentulum prohibere Danubio satis fuit. Nihil præter nives rarasque silvas habent. Tanta barbaries est, ut pacem non intelligant. Germaniam quoque utinam vincere tanti non putasset. magis turpiter amissa est, quam gloriose acquisita. sed quatenus sciebat patrem suum Cæsarem, bis trajecto ponte Rheno, quæsisse bellum, in illius honorem concupiit facere provinciam. Et factum erat, si barbari tam vitia nostra, quam imperia ferre potuissent. Missus in eam provinciam Drusus, primos domuit Usipetes: inde Tenctheros percucurrit, & Cattos. Nam Marcomanorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in tropæi modum excoluit. Inde validissimas nationes, Cheruscos Suevosque & Sicambros pariter aggressus est: qui viginti centurionibus incrematis, hoc velut sacramento sumpserant bellum, adeo certa victoriæ spe, ut prædam in antecessum pactione diviserint. Cherusci equos; Suevi aurum & argentum; Sicambri captivos elegerant; sed omnia retrorsum. Victor namque Drusus equos, pecora, torques eorum, ipsosque præda divisit, & vendidit. præterea in tutelam provinciarum præsidia

ſidia atque cuſtodias ubique diſpoſuit; per Moſam flumen; per Albim; per Viſurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius caſtella direxit. Bonnam & Geſoniam cum pontibus junxit, claſſibuſque firmavit. Inviſum atque inacceſſum in id tempus Hercynium ſaltum patefecit. Ea denique in Germania pax erat, ut mutati homines, alia terra, cælum ipſum mitius molliuſque ſolito videretur. Denique non per adulationem, ſed ex meritis, defuncto ibi fortiſſimo juvene, ipſi quod nunquam alias, ſenatus cognomen ex provincia dedit. Sed difficilius eſt provincias obtinere, quam facere. viribus parantur, jure retinentur. Igitur breve id gaudium. Quippe Germani victi magis, quam domiti erant: moreſque noſtros magis, quam arma ſub imperatore Druſo ſuſpiciebant: poſtquam vero ille defunctus, Vari Quinctili libidinem ac ſuperbiam, haud ſecus quam ſævitiam odiſſe cœperunt. Auſus ille agere conventum: & in caſtris jus dicebat, quaſi violentiam barbarorum & lictoris virgis & præconis voce poſſet inhibere: at illi, qui jam pridem rubigine obſitos enſes, inerteſque quererent equos, ut primum togas, & ſæviora armis jura viderunt, duce Arminio arma corripiunt. quum interim tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne prædicta quidem, & prodita per Sege-

ſtem unum principum conjuratione commoveretur. Itaque improvidum, & nihil tale metuentem improviſo adorti, quum ille, (ô ſecuritas!) ad tribunal citaret, undique invadunt, caſtra rapiunt, tres legiones opprimuntur. Varus perditas res eodem, quo Cannenſem diem Paullus, & fato eſt, & animo ſequutus. Nihil illa cæde per paludes, perque ſilvas cruentius: nihil inſultatione barbarorum intolerantius, præcipue tamen in cauſarum patronos. aliis oculos, aliis manus amputabant: unius os ſutum, reciſa prius lingua, quam in manu tenens barbarus, tandem, inquit, vipera, ſibilare deſiſte. Ipſius quoque conſulis corpus, quod militum pietas humi abdiderat, effoſſum. Signa & aquilas duas adhuc barbari poſſident. tertiam ſignifer prius quam in manus hoſtium veniret evulſit; merſamque intra baltei ſui latebras gerens in cruenta palude ſic latuit. Hac clade factum, ut imperium, quod in littore Oceani non ſteterat, in ripa fluminis ſtaret. Hæc ad Septentrionem. Sub Meridiano tumultuatum magis, quam bellatum eſt. Muſulanios atque Gætulos accolas Syrtium, Coſſo duce compeſcuit: unde illi Gætulici nomen. Latius victoria patet. Marmaridas atque Garamantas Curinio ſubigendos dedit. Potuit & ille redire Marmaricus; ſed modeſtior in æſtimanda victoria fuit.

fuit. Ad Orientem plus negotii cum Armeniis. huc alterum ex Cæsaribus, nepotibus suis, misit. Ambo fato breves; sed alter inglorius. Massiliæ quippe Lucius morbo solvitur: in Syria [1] Cajus ex vulnere, quum Armeniam ad Parthos se subtrahentem recipit. Armenios, victo rege Tigrane, in hoc unum servitutis genus Pompejus assueverat, ut rectores a nobis acciperent. Intermissum ergo jus per hunc recuperatum, non incruento, nec inulto tamen certamine. Quippe Domnes, quem rex Artaxatis præfecerat, simulata proditione, adortus virum intentum libello, quem, ut thesaurorum rationes continentem, ipse porrexerat; strictus ac recreatus ex vulnere in







1 In hoc nummo a Græcis cuso refertur effigies Caji & Lucii Cæsarum. Illum edidit Patinus in συλλογῇ nummorum æreorum.

tempus. Ceterum barbarus undique infesto exercitu oppressus, gladio, & pyra, in quam se percussus immisit, superstiti etiam num
[2] Cæsari satisfecit. Sub Occasu pacata fere omnis Hispania, nisi quam Pyrenæi desinentis scopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus. Hic duæ validissimæ gentes, Cantabri & Astures, immunes imperii agitabant. Cantabrorum & pejor, & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit; qui non contenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant, Vaccæosque, & Curgionios, & Autrigonas crebris incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehementius agere nunciabantur, non mandata expeditio, sed sumpta est. Ipse venit Segisamam; castra posuit; inde partito exercitu totam







[2] In honorem Cæsaris & hujus victoriæ istum fiarunt nummum.

in diem amplexus Cantabriam, efferam gentem, ritu ferarum quasi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies, quum infesta classe ipsa quoque terga hostium cæderentur. Primum adversus Cantabros sub mœnibus Belgicæ prœliatus est. Hinc fuga in eminentissimum Vinnium montem, quem maria prius Oceani, quam arma Romana ascensura esse crediderant, Tertio Aracillum oppidum magna vi repugnat. Captum tamen postremo fuit. Medulli montis obsidio (quem perpetua quindecim millium fossa comprehensum cinxit, undique simul adeunte Romano) postquam extrema barbari vident; certatim igne, ferro inter epulas venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxeis exprimitur, præcepere mortem: seque pars major a captivitate, quæ videbatur, vindicavere. Hæc per Antistium, Furnium, [3] Agrippam legatos, hibernans in






3 Agrippam hic nummus exhibet præfectum oræ maritimæ.

Tarraconis maritimis Cæsar accepit. Ipse præsens hos deduxit montibus: hos obsidibus astrinxit: hos sub corona jure belli venum dedit. Digna res lauro, digna curru senatui visa est: sed jam Cæsar tantus erat, ut posset triumphos contemnere. Astures per idem tempus ingenti agmine a montibus suis descenderant. nec temere sumptus, ut barbaris, impes: positis castris apud Asturam flumen, trifariam diviso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi parant. Fuisset & anceps & cruentum, & utinam mutua clade certamen, tunc tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus, nisi Trigæcini prodidissent. a quibus præmonitus Carisius, cum exercitu adveniens oppressit consilia. sic quoque tamen nòn incruento certamine. Reliquias fusi exercitus validissima civitas Lancia excepit. ubi adeo certatum est, ut, quum in captam urbem faces poscerentur, ægre dux impetrarit veniam, ut victoriæ Romanæ stans potius esset, quam incensa monumentum. Hic finis Augusto bellicorum certaminum fuit; idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides, & æterna pax; cum ipsorum ingenio, in pacis partes promptiore; tum consilio Cæsaris, qui fiduciam montium timens, in quos se recipiebant, castra sua, sed quæ in plano erant, habitare & incolere jussit. Ingentis esse consilii illud

illud obſervari cœpit. Natura regionis circa ſe omnis aurifera, miniique & chryſocollæ, & aliorum colorum ferax. Itaque exerceri ſolum juſſit. Sic Aſtures & latentes in profundo opes ſuas atque divitias, dum aliis quærunt, noſſe cœperunt. Omnibus ad Occaſum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septentrionem quoque, duntaxat intra Rhenum atque Danubium, item ad Orientem intra Cyrum & Euphratem, illi quoque reliqui qui immunes imperii erant, ſentiebant tamen magnitudinem; & victorem gentium populum Romanum reverebantur. Nam & Scythæ miſere legatos, & Sarmatæ, amicitam petentes. Seres etiam, habitanteſque ſub ipſo ſole Indi, cum gemmis, & margaritis, elephantes quoque inter munera trahentes, nihil magis, quam longinquitatem viæ imputabant, quam quadrienno impleverant; & ipſe hominum color ab alio venire cælo fatebatur. Parthi quoque, quaſi victoriæ pœniteret, rapta clade Craſſiana [1] ultro ſigna retu-







[1] His duobus nummis memoriam receptorum ſignorum & civium conſecrarunt.

lere. Sic ubique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Auſuſque tandem Cæſar Auguſtus ſeptingenteſimo ab Urbe condita anno, Janum Geminum cludere, bis ante ſe cluſum; ſub Numa rege; & victa primum Carthagine. Hinc converſus ad pacem, pronum in omnia mala & in luxuriam fluens ſeculum gravibus, ſeveriſque legibus multis coërcuit. Ob hæc tot facta ingentia Dictator perpetuus, & Pater patriæ dictus. Tractatum etiam in ſenatu, an quia condidiſſet imperium, Romulus vocaretur; ſed ſanctius & reverentius viſum eſt nomen Auguſti; ut ſcilicet jam tum, dum colit terras, ipſo nomine & titulo conſecraretur.

FINIS.

# JOANNIS GEORGII GRAEVII ANIMADVERSIONES IN L. ANNAEI FLORI PRAEFATIONEM.

Generis humani facta] Codex vetus, quem Christoph. Puteanus, & Regius, quem Samuel Sciassius, nec non Serenissimæ Suecorum Reginæ CHRISTINAE, quem olim Antwerpiæ vidi, *Generis humani fata*, scribunt, hoc est qui populi Romani res gestas cognovit, omnium regnorum & rerum publicarum fortunam cognovit, ceterarum gentium, & populorum fortunam & statum novit. Non nego vulgatam lectionem posse defendi & exponi, sed hæc vetustorum librorum scriptura elegantior est, & ingenio hujus Scriptoris accommodatior. Lib. IV. cap. 2. *Philippicis campis Urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt*, Sic & alibi loquitur.

Cum præcipue hoc quoque sicut cetera, operę pretium sit cognoscere.] Retinet quidem liber Ryckianus has duas voces, *sicut cetera*, sed cum nec Vinetus, in suis libris, nec Puteanus nec Sciassius in Regio, nec Salmasius in omnium optimo & antiquissimo Nazariano illas repererit, merito censuerunt homines doctissimi delendas esse, quibus adstipulor. Nec sic tamen locus hic est perpurgatus. Nam binæ hæc voculæ perperam inculcatæ præbuerunt ansam majorem labem aliis adspergendi. Codex Ryckianus: *quare cum tam de si præcipue hoc quoque sicut cetera operæ pretium sit cognoscere: sigillatim tamen.* Vocem *sigillatim* memini quoque præ se ferre membranas pervetustas Augustæ CHRISTINAE Serenissimæ Suecorum Reginæ. Manus Flori fuit: *Quare cum præcipua quæque operæ pretium sit*

*cognoſcere ſigillatim , tamen quia ipſa ſibi obſtat magnitudo.* Vides deterſis ſordibus , quas invexerant aut librarii, aut ſcioli, omnia nunc liquida eſſe. Cum intruſiſſent *ſicut cetera*, interponendum etiam *hoc* fuit, & *quæque* transformandum in *quoque*, ut & *præcipua* in *præcipue* ne ſenſu omni careret hic locus. Sic vara vibiam ſequitur.

Si pariter atque inſemet univerſam ejus magnitudinem oſtendero] pro *inſemet*, quod & Ryckian. retinet, recte repoſuerunt *inſimul*. Dicitur enim eadem forma qua *incoram*, *inante*, *inſemet*. Nec mirum *pariter* ac *inſimul* συνώνυμα conjungi ab Annæo , cum hoc iſti ſcriptori ut & aliis non ſit infrequens , ut oſtendit ὁ πάνυ Salmaſius. Codicum tamen veterum lectionem tuendam cenſet vir magnæ dignitatis, ingenii & doctrinæ Marquardus Gudius , cujus judicio in primis multum tribuo. *In ſemet* autem oſtendi magnitudinem , cum tanquam hominis in brevi tabella tota ejus imago oſtendatur , ut ſic ſtatim in ſemet poſſit conſpici , qualis ſit.

Hoc fuit tempus viris armiſque incitatiſſimum] Ryckianus ſine copula : *hoc fuit tempus viris armis incitatiſſimum.* Eſt hoc priſcæ elegantiæ. Cic. Philipp. VIII : *Putabam fore ut omnes inflammati odio, excitati dolore, armis, equis, viris Decimo Bruto ſubveniremus.* Idem IX. ad fam. 7: *Nunc cum confecta ſint omnia , dubitandum non eſt quin equis viris.* Hic jam ipſa juventa imperii] Quis ille *hic* ? Nam ut de adverbio cogites cum nonnullis editoribus nihil eſt , cum id in ſententia hujus loci Latinæ reſpuant aures. Repone ex Ryckiano ſine mora : *Hæc ipſa juventa imperii*, ut ante ; *Hæc erit ejus infantia.* Et : *Hoc fuit tempus viris armiſque incitatiſſimum.* Inferius lib. III,12 : *Hæc eſt illa tertia ætas populi Romani tranſmarina.*

Decoxit] non eſt , ut doctiſſimo placet Freinshemio, decoctum eſt : ſed decoxit ſuas vires, hoc eſt minuit, detrivit Populus Romanus, ſicut *decoxiſſe* dicitur qui opes ſuas decoxit, hoc eſt perdidit, & dilapidavit. Sæpe caſui quarto additur. Perſ. Sat. V.

*Hic*

*Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille*
*In Venerem putret.*

Quintil. II, 4: *Materiam primam eße volo vel abundantiorem, atque ultra quam oporteat fusam. Multum inde decoquent anni, multum ratio limabit, aliquid vel usu ipso deteretur.* Symmachus: *Senectus nihil decoquit firmitatis.* Sæpe casus omittitur. Colum. XI, I: *Nam quamvis interdum emendatum sit perperam vel imprudentia vel negligentia, res tamen ipsa jam domino decoxit.* scilicet fructus ei debitos. Plin. XXXIII, 10. *Postea divites cognominati, dummodo notum sit, eum, qui primus accepit cognomen, decoxisse creditoribus suis*, scilicet pecuniam quam illis debebat. Est translatio a liquidis quę decoquendo minuuntur. Nota est decocta Neronis apud Suetonium. Non hæc tot verbis persecutus essem, nisi viris insignibus hic aquam hæsisse vidissem.

## CAPUT I.



Oc de se sacerdos gravida confessa est] Nullam huic lectioni controversiam moveo munitæ prȩsidio veterum librorum, quotquot ipse aliive inspexerunt. Non tamen de nihilo est, quod apud Jornandem, qui Flori ipsa verba descripsit, legatur. *Hoc sese Vestæ sacerdos gravidatam confessa est.* Non hæc ex Jornandis penu. Gravidare pro implere, gravidum reddere vox est optimi seculi, sed vulgo minus nota. Cicero II. de natura Deorum: *Profecto ipsa terra eadem vi continetur arte naturæ: quippe quæ gravidata seminibus, omnia pariat & fundat ex sese.* Cȩcilius Titthe apud Nonium: *Per mysteria hic inhoneste gravidavit probro.* Ubi Nonius: *Gravidavit, implevit*, nimirum puellam. Hanc locutionem in Floro cum non intelligerent, mutarunt eam in sibi magis familiarem, qui rudibus illis seculis istum scriptorem aut descripserunt, aut ad captum suum interpolarunt.

Regis Paſtor] Reg. Gud. Prim. Excerpta Put. Ryck. æque ut Nazar. & Pal. *gregis paſtor.* Nimirum altera vox propter affinitatem litterarum intercidit, quam ſervavit Jornandes, in quo recte ſcribitur, *regii gregis paſtor.*

Ab his Amulius jam bis ſeptima ſobole regnabat] In hanc ſcripturam conſpirant omnes libri veteres Annæi. Ineptam tamen eam eſſe & non convenientem Latinæ civitati, qui animum advertet Latine doctus non inficiabitur. Quis enim diceret: *Ab his quarto decimo filio regnat Amulius*? Jam pridem vidi legendum eſſe *ſoboles*, & hanc lectionem a multis annis probavi hominibus doctiſſimis. Nunc tamen cum hiſce notis conſcribendis manum admoveo, deprehendo ſic Jornandem recte legiſe: *Ab his jam bis ſeptima ſoboles regnabat*, hoc eſt, quartus decimus erat rex, ad quem ab Ænea & Julo regnum per ordinem ſucceſſionis deſcenderat. Quin ſic legi apud Jornandem video notaſſe doctiſſimum Vinetum, quod miror non advertiſſe tot viros ſummæ doctrinæ, qui in hoc edendo & corrigendo ſcriptore deſudarunt.

Adhibuere piacula] Nullus dubitavi ſubmovere hanc lectionem nullius ſententiæ, jam pridem damnatam a doctis editionibus, quamvis pro illa pugnent veteres libri. Repoſui autem quæ in Jornande Epiſcopo, qui melioribus uſus eſt codicibus, quam nunc ſuperſunt, reperiuntur, verba, *adhibere placuit Deos*, hoc eſt Deos conſulere per aves. Id enim ſimpliciter *adhibere* notat eleganter, ut oſtendi, & plurimis hanc lectionem aſſerui olim in notis ad Luciani Solœciſtam.

Idque increpat ſaltu] Male Vinetus hunc locum exponit, nec ſatis accurate maximus Salmaſius, qui ait, cum vallum nimis anguſtum irrideret Remus, ἅμα ἔπος, ἅμα ἔργον ſaltu etiam tranſilivit, ſimul verbo increpans, & re ipſa demonſtrans eas valli anguſtias, ut etiam levi ſaltu tranſiliri poſſent. Sententiam quidem vidit; ſed *increpare* minus recte refert ad verba. Nam *increpare ſaltu* eſt tranſiliendo oſtendere reprehendi hoc vallum & contemni licet nulla vo-

vocula contemtum præ se ferens emittatur. Venuste meliores apud scriptores quæ sunt orationis traducuntur ad res, seu facta. Sic apud Propert. *increpare boves stimulo.* Tibull. I. Eleg. I.

*Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentem,*
*Aut stimulo tardos increpuisse boves.*

Sic & objurgamus voce, ferulis tamen & flagris objurgare dixit Sueton. Cal. 20: *Eos autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari, aut flumine proximo mergi voluissent.* Oth. 2: *A prima adolescentia prodigus ac procax, adeo ut sæpe flagris objurgaretur a patre.* Et *solea rubra objurgare* apud Pers. Sat. v. Aspernamur & laudamus ore & verbis, Tacitus tamen dixit *fremitu aspernari & armis laudare.* De moribus Germ. 12: *Si displicuit sententia, fremitu aspernantur, sin placuit, frameas concutiunt. Honoratissimus assensus genus est, armis laudare.* Admonere quoque orationis est, Columella tamen dixit *admonere flagello*; & Virgilius *admonere telo.* Refutare & confutare est redarguere verbis. Cic. tamen de Provinciis Consularibus: *Semper illas nationes nostri Imperatores refutandas potius bello, quam lacessendas putaverunt.* Idem in Tuscull. Quæst. *refutetur ac rejiciatur Philocteteus ille clamor.* id est reprimatur. Cato apud Gell. VII, 3: *Ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res confutet.*

Populum Romanum ipse fecit] Hic Freinshem. notavit: Ut ingenue fatear, ignoro quid faciam hoc loco, nec enim mendo vacare certo persuasum habeo, miror que intactum huc usque mansisse. Hæc ille. Difficultas non est in sententia totius loci, sed in hac locutione *facere populum*, quam tamen probam esse, & idem significare quod *colligere populum*, ut *exercitum facere* apud Sallust. olim ostendimus in lectionibus nostris Hesiodeis. Sic *corpus facere*, est copulentum fieri apud Phædrum, ut contra *corpus amittere* apud Cic. in epist. est macilentum fieri. & *ventrem facere* ICtis dicitur paries cum corrumpitur & incipit pro-

 mine-

minere. Non eſt ergo ut hic locus inpoſterum ulli ſit ſuſpectus mendæ.

Præda fuere: & hæc ſtatim cauſſa bellorum] Plane Ryckianus *Præda fuere, & ſtatim cauſſa bellorum.* ut Salmaſius volebat. Recte. Excerpta. Put. *Prædæ fuerunt, & hæc ſtatim cauſſa bellorum.* Paullo ante Reg: *Simulatis equeſtribus.* quod ferri poteſt. Sic *in equeſtribus ſedere* ſc. ſubſelliis ſeu locis.

Pulſi fugatique Vejentes] Vir doctus, qui emendat *pulſi fugatique vi hoſtes*, non eſt audiendus. Florus ipſe confundit bellum Vejens cum bello, quod cum Sabinis, Ceninenſibus, Cruſtumerinis & Antemnatibus geſſit Romulus. Cum Fidenatibus & Vejentibus multis annis poſt Sabinum bellum Romanis res fuit, longeque alia fuit hujus belli cauſſa. Vide Plutarchum in Romulo & Livium libro primo.

Sabinis proditæ portæ per virginem] Una ſaltem porta prodita fuit Sabinis, imo, ſi credimus Dionyſ. Halicarnaſſ. portula tantum poſtica. φυλάσσουσα τὰς ὑποσχέσεις ἡ Ταρπηΐα τοῖς μὲν πολεμίοις ἀνέῳξε τὴν συγκειμένην πυλίδα. *Servans promiſſa Tarpeia hoſtibus condictam portulam aperuit.* Clare Plutarchus in vita Romuli: Συνθεμένου δὲ τοῦ Τατίου νύκτωρ ἀνοίξασα πύλην μίαν, ἐδέξατο τοὺς Σαβίνους. *Pacta cum Tatio unam noctu reſeravit portam, qua recepit Sabinos.* Hinc & Chriſt. Puteanus conjicit hic legendum eſſe *Sabinis prodita porta.* Poteſt tamen omnium librorum lectio defendi & retineri, quia Dionyſ. Halicarnaſſ. in eodem loco commemorat portulam quidem illam fuiſſe apertam, ſed non per illam admiſſos hoſtes, ſed Tarpejam cuſtodes illius loci excitaſſe, portamque apertam oſtendiſſe, ſimulque ſignificaſſe arcem eſſe captam, quemque ſuæ, qua ratione poſſet, debere ſaluti conſulere. Διαφυγόντων δὲ τούτων, τοὺς μὲν Σαβίνους ἀνεῳγμένας εὑρόντας τὰς πύλας κατασχεῖν τὸ φρούριον ἔρημον φυλάκων. *His dilapſis Sabinos inveniſſe portas apertas occupaſſe arcem ſine cuſtodibus.*

Puella pretium rei, quam gerebant in ſiniſtris, petierat.] du-

dubium clypeos an armillas] Clypei & armillæ non ſunt pretium rei quam gerebant in ſiniſtris, ſed ipſa res, quam gerebant in ſiniſtris. Pretium rei pro pretium proditionis nemo dixerit. Imo licet ſic loquerentur idonei ſcriptores hic tamen eſſet ineptum. Quid enim poterat dici ineptius, puella petierat pretium rei, rem quam gerebant in ſiniſtris. Nihil igitur certius emendatione magni Doctoris mei Joannis Friderici Gronovii, quam olim adoleſcens ab eo accepi, qui ſic legebat: *puella pretium rem, quam gerebant in ſiniſtris, petierat.* Eſt ἐπεξήγησις, quæ ſæpe occurrit. Juſtin. II, 4: *Hercules poſt victoriam Menalippen captivam ſorori reddidit, & pretium arma reginæ accepit.* Flor. IV, 2: *Pretium libidinum Romanum imperium petit.* Mox *intra mœnia* firmat quoque Ryckianus. Et ſtatim *oraret ut fœdam* tuetur idem codex. Ceterum armillæ, quibus olim viri utebantur, dicebantur proprie *viriolæ*. Iſidor. XIX, 3. *Armillæ proprie virorum ſunt collatæ victoriæ cauſſa militibus ob armorum virtutem. Unde & quondam viriolæ dicebantur.* Nam Romani quoque utebantur armillis. Hinc inter dona erant militaria, & ſæpe legimus in antiquis inſcriptionibus *donis donato, torquibus, armillis, phaleris.*

Tandem ſævientibus intervenere raptæ] De hoc loco quid ſentiat Vir & amicus ſummus Nicolaus Heinſius ex ejus ad me datis litteris accipe: Tò *ſævientibus* Freinshemium, ut video, offendit. atqui refer ad *atrocem pugnam*; Jornandes tamen *funeribus* nec male. Ita enim & Plutarchus in Romulo. Ante quem locum inſpectum mirabar cur Florus, cum agat de *laceris Sabinarum comis*, de lugubri ſive ſciſſa illarum veſte nihil addat, uti Livius, Naſo, Dionyſius Halicarnaſſenſis in eadem narratione, quare ſuſpicio erat ſcripſiſſe Florum *in funebribus ſupervenere, laceris comis.* Sic *lugubria* pro veſte lugubri apud Naſonem Metam. XI.

*Surge age, da lacrymas, lugubriaque indue.*

Propert. *Nunquam mater lugubria ſumpſi.*

*In lugubribus* igitur ut infra cap. I. hujus libri *ſicut in trabeis erant*, & apud Valer. Flaccum:

*Seu venit in vittis, longaque in veſte ſacerdos.*

Ovid. III. Faſt. in hac de Sabinis narratione,

*Crineſque reſolvunt*
*Mœſtaque funerea corpora veſte tegunt.*

Nunc vero aut *ſævientibus*, aut *funeribus* amplector. Hæc ὁ πάνυ.

Ad ſubita belli excubaret] Omnino hic cum Salmaſio revocandum ex Nazariano *ut*, niſi velis orationem claudicare, & revocavi ſane, ſed turpi lapſu librariorum editum eſt *aut*. In fine capitis clare Ryckianus, ut Palatinus ſecundus, & editio Stadii & Freinshemii: *Quirinum in cælo vocari placitum Diis. Ita gentium Roma potiretur.* Recte ita ſcribi ne dubitari poteſt a quoquam Latinæ linguæ perito. Senſus eſt ſi pro Numine haberent colerentque Quirinum ſe conceptis quaſi verbis promittere ac jurare Romam Orbis imperium conſecuturam. Eſt ſolemnis formula qua ſolebant uti in jure jurando. Plancus ad Ciceronem x. Epiſt. 9: *Ita ab imminentibus malis reſpublica me adjuvante liberetur.* Vide quæ ibi notavi. N. Heinſius ex Nazar. in quo ſcribitur *placitum deſiſtat gentium*, colligit præterea τὸ *eſſe* excidiſſe, legendumque: *Placitum Diis eſſe, ut Roma gentium potiretur.* Paullo ante in codice Regio recte ſcribitur: *Cum concionem haberet apud Capreæ paludem e conſpectu ablatus eſt*, quod & firmant Putean. Excerpta, ipſo probante Puteano.

## CAPUT II.

CEteraque ſacerdotia] Ryck. cum aliis: *Ceteroſque per ſacerdotia.* Nihil Salmaſii emendatione *ceteraque P. R. ſacerdotia* eſt certius, quam recepi.

CA-

## CAPUT III.

ABstulit virtus parricidam] Hæc veterum codicum omnium, quos docti viri viderunt, lectio est. Nullus *parricidium*, quod doctissimo Pontano placebat. Pro *virtus abstulit parricidam*, Cicero dixisset, virtus eripuit parricidam. Nam rei eleganter dicuntur eripi, qui aut vi aut auctoritate ac gratia potentiorum hominum absolvuntur. Cic. Act. II. in Verr. lib. 1: *Non est is reus, non id tempus, non id consilium (metuo ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere) ne actor quidem is est, cui reus tam nocens, tam perditus, tam victus, aut occulte surripi, aut impune eripi possit.* Pro quo paulo ante dixerat: *Ex manibus populi Romani eripi. Nam quis hoc non intelligit, istum absolutum Diis hominibusque invitis, tamen ex manibus populi Romani eripi nullo modo posse.* In eod. lib. *Tum vero quod pronunciatum est, non per Neronem judicatum, sed per Dolabellam ereptum existimabatur.* hoc est extortum a Dolabella. Sueton. August. c. 56: *Cunctari se, ne, si superesset, eriperet legibus reum.* quod aliis Scriptoribus est *eripere* hoc Floro *auferre*. Virtuti vero non invenuste tribuit, quod alii de gratiosis ac potentibus hominibus dicunt, in quorum gratiam rei damnandi absolvuntur.

## CAPUT IV.

REx callidus ubi inclinare socios ad hostem videt] Nazar. *Rex callidus subinclinare socios ad hostem videt.* Quod damnat Salmasius, sed merito vindicat Nicolaus Heinsius, prefatus, sic *subdiffidere*, & *subdifficilis*, & mille talia apud Ciceron. inveniri. *Subdeficiens quassa adhuc voce* apud Curtium lib. VII, c. 7. apud Paterculum lib. II. *subrefectus primo aspectu carissimi sibi capitis*, de Augusto, cum graviter jacenti supervenisset Tiberius. refectum dicere non potuit, cum morbus iste Augusto esset letalis. *Subimpetrare* Tacito, *subinfluere* Senecæ in Naturalib. Quæstion. *Subexhibere* Arnobio. Non percepta fuit vis & elegantia illius verbi.

 CA-

## CAPUT V.

CEnturiis tribus auxit, quatenus Attius Navius numerum augeri prohiberet] Exercuit hic locus viros eruditos. Difficultas inde oritur. Quomodo Florus potuerit tradere Tarquinium tribus voluiſſe augere, cum alii rerum Romanarum ſcriptores teſtentur equitum centurias, ſeu equeſtrem ordinem illum conſtituiſſe augere. Sic ſane Livius lib. I. c. 36. ſic Aurelius Victor aliique. Flori tamen ſententiam, quod obſervavit doctiſſimus Rupertus, tuetur Dionyſius Halicarnaſſ. lib. III. οὗτος ὁ Νέβιος βουλομένῳ ποτὲ τῷ Ταρκυνίῳ τρεῖς φυλὰς ἑτέρας ἀποδεῖξαι ἐκ τῶν ὑπ' αὐτοῦ πρότερον κατειλεγμένων ἱππέων, καὶ ποιῆσαι τὰς ἐπιθέτους φυλὰς ἑαυτοῦ τε καὶ τῶν ἰδίων ἑταίρων ἐπωνύμους, μόνος ἀντεῖπε κατὰ τὸ καρτερὸν, οὐκ ἐῶν κινεῖν τῶν ὑπὸ Ῥωμύλου κατασταθέντων οὐδέν. *Idem Nevius, cum aliquando Tarquinius ad veteres tribus e delectis a ſe recens equitibus tres novas addere vellet, easque tribus additias a ſe atque ab amicis ſuis denominare, ſolus fortiter contradixit, non ſinens hic quidquam eorum, quæ a Romulo inſtituta eſſent mutari.* Sed hic etiam locus obſcurus eſt, & intellectu difficilis, non minus ac Flori. Dicit is quidem Tarquinium voluiſſe tribus augere, ſed non niſi equitibus quos ex civibus reliquis modo elegerat. Hoc qui intelligi poteſt ab hiſtoriæ Romanæ non imperito, qui novit quid illo tempore, & ſequentibus quoque tribus fuerint. Non poteſt ſane vocabulum φυλαὶ ſive tribus accipi in ea ſignificatione hoc loco, qua Dionyſius libro II. uſus eſt, & mille aliis locis, cum dicit populum diviſiſſe Romulum in tres majores partes, quas dixerit tribus tribum autem Græcorum lingua dici φυλὴν τριττύα. Quis autem credat ex ſolis equitibus recens a ſe dilectis voluiſſe novas tribus conſcribere Tarquinium. Hoc tamen Dionyſius dicit. Sed nullæ equeſtres fuerunt tribus, ſed ex omnibus civibus conficiebantur tribus: Ex ſingula tribu vero centuriam equitum excerpſerat Romulus. Nulla unquam tribus fuit nec illarum quas Romulus inſtituit, nec

nec quæ poftea iis acceſſerunt, quæ ex folis equitibus fuerit conflata. Nulla autem alia ratio hunc nodum expediendi patet, quam Florum & Dionyſium ipſas centurias equitum, quæ retinuerunt antiqua trium Romulearum tribuum nomina, dixiſſe tribus. Romulus cum omnem populum deſcripſiſſet in tres tribus, unam dixit Lucerum, alteram Ramnetum, tertiam Titienſium. Ex ſingula tribu ſelegit centuriam equitum, quibus ſolis adhæſerunt ſequenti tempeſtate nomina tribuum, ut equitum centuriæ dicerentur Luceres, Titienſes, Ramnenſes: Hinc a Dionyſio & Floro equeſtres centuriæ tribus dictæ ſint, quod vetus tribuum nomen illis ſolis poſtea fuit datum, quamvis perquam dure.

Nam qui accurate loquetur, & qui norit quæ fuerint tributa Romanorum comitia, qui in exercitu tribuni militum, qui decuriones, qui alarum præfecti, nunquam centurias equeſtres tribus dixerit. Tribunus enim dicebatur proprie qui tribui præerat, hinc in copiis tribunus legionis, qui legioni, hoc eſt peditibus, decurio vero, qui turmæ, & præfectus qui alæ preerat. Omnis civis adſciptus erat alicui tribui. Ipſi equites quoque ſinguli ſuam tribum habebant. Nunquam vero tribum conficiebant ſoli equites. Iſidorus tamen ſic quoque loquitur lib. IX. Orig. cap. 3: *Turma triginta equites ſunt. Romani enim equites in una tribu trecenti.* hoc eſt in unaquaque Titienſium, Ramnenſium Lucerum centuria erant tempore Romuli trecenti. Nam Romulus primo legerat ex qualibet tribu centum Celeres, ſeu equites, poſtea T. Tatio in urbem recepto centurias illas auxit, ut ſingulæ eſſent trecentorum, & totus equeſtris ordo nongentorum capitum, ut ex Livio emendato & Dionyſio Halicarnaſſenſi pluribus aſſerit contra diſſentientes Gronovius Obſervat. III, 25. Hi ſunt illi trecenti, quas in una tribu, hoc eſt centuria fuiſſe Iſidorus ſcribit. Tarquinus non tribus, hoc eſt tres centurias nongentorum capitum a Romulo inſtitutas auxit, ut decrerat facere, & illis centuriis de ſe & ſuis amicis nomina imponere, ſed relicto trium veterum centuriarum numero, capita duplicavit, ut ſingulæ

gulæ centuriæ essent sexcentorum hominum. hoc est quod Florus dicit Tarquinium tribus auxisse centuriis, singulam enim tribum, hoc est centuriam Romuleam auxit trecentorum hominum numero, quia Navius numerum tribuum augeri prohibuerat. Hoc tamen Tarquinius effecit, ut, quia novas equitum centurias, quibus nova nomina imponeret, conscribere non licebat, adjecti à se prioribus centuriis dicerentur secundi Titienses, Luceres, Ramnes, sicuti a Romulo creati, dicebantur primi Titienses, Luceres, Ramnes, ut ex Festo viri docti pridem ostenderunt. Ceterum ut Florus aliique abusi sunt voce *tribus* pro centuria equitum, quia prima illa tribuum appellatio postea apud solas equestres centurias remansit, sic vice versa propter eandem rationem Livius 1, 13. tradit centurias tres equitum a Romulo conscriptas dictas fuisse Ramnenses, Titienses, Luceres: *Eodem tempore*, inquit, *& centuriæ tres equitum conscriptæ sunt, Ramnenses ab Romulo, ab Tito Tatio Titienses appellati. Lucerum nominis & originis caussa incerta est*, cum tamen non solum ex aliis Scriptoribus gravissimis, sed ex ipso Livio constet a Romulo non centurias equitum, sed tres partes populi, in quas illum discreverat, quæ tribus nominabantur, dictas esse Ramnenses, Titienses, Luceres. Nam lib. x, c. 6. ostendit olim tres tantum augures fuisse Romæ, singulam tribum unum habuisse: *Ut tres*, ait, *antiquæ tribus Ramnes, Titienses, Luceres, suum quæque augurem habeant.* Non possunt hic antiquæ tribus de centuriis illis equitum intelligi, de quibus in primo libro loquitur, alioqui soli equites habuissent augures, sed de toto populo in tres tribus illas distincto, quarum singulæ suus fuerit augur. Hæc prolixius quam harum notularum ratio fert, sum executus, quoniam viris eruditissimos hic cespitasse video, & non ita pridem cum homine perdocto de hoc loco mihi fuerit contendendum.

CA-

## CAPUT VI.

CUriis atque collegiis distributus] Si sic Florus scripsit vehementer hallucinatus est. Nam curias instituit Romulus. Nec decuriæ, quas ex Jornande nonnulli exsculpunt, hic locum habent. Sed tamen huic loco mendum insidere inde licet colligere. Nihil certius emendatione Gronovii τ͂ πάνυ, qui legendum monuit: *Centuriis atque collegiis.* Nam populum Romanum secundum possessionum & facultatum modum descripsit Servius in quinque classes; singulas classes vero in suas centurias. Hinc comitia centuriata, in quibus populus centuriatim conveniebat, & suffragia ferebat, quæ Servius Tullius instituit, sicuti curiata comitia, in quibus curiatim populus suffragia ferebat, suam debent originem Romulo. Istis comitiis omnia ad rempublicam pertinentia ad Servii usque tempora gerebantur. Sed post Serv. Tullium quicquid majoris erat momenti in comitiis centuriatis peragebatur. In his creabantur omnes Magistratus majores, ferebantur leges, pax bellumve jubebatur. Itaque non potuit Florus præterire tam celebrem populi divisionem in centurias, a quibus centuriata comitia.

## CAPUT VII.

CUi Gabiis, ut voluerat, recepto] Nihil hic moverem, nisi Ryckianus liber aliam scripturam mihi offerret. In illo enim scribitur: *Cui a gabiis, ut voluerat, recepto.* Lege: *Cui a Gabinis, ut voluerat, recepto.*

## CAPUT VIII.

NOn nihil imo vel plurimum profuit] Ryck. *Non nihil imo plurimum profuit*, omisso *vel.* Calci hujus capitis subjicitur in eodem libro: *Finit liber*

*pri-*

*primus & prima ætas. incipit liber ſecundus & prima ætas populi Ro.* Sed lapſa eſt manus ſcribæ, pro *prima ætas populi Ro.* enim ſcribendum erat *ſecunda ætas populi Ro.*

## CAPUT IX.

MUtato tamen & jure & nomine] Ryck. *mutato tamen nomine & judice.* Sed *jure* recte Salmaſius repoſuit ex Jornande. Ordo verborum eſt perverſus in vulgatis, legendum enim ut codex vetus monet: *mutato tamen nomine & jure.* Sequentia id verba oſtendunt, quæ pertinent ad proxime præcedens *jure. Quippe ex perpetuo annuum placuit.*

Ad augendam populi majeſtatem.] Ryck. *ad augendum populi majeſtatem.* Sic autem veteres locutos eſſe conſtat. Juſtin. XXII. *Poſthæc Pœni ad perſequendum belli reliquias, duces in Siciliam miſerunt.* Virg. XI. Æn: *Pacem Trojano a Rege petendum.* Plura ad Ciceronem notavi exempla.

## CAPUT X.

QUi niſi in annalibus forent] Hanc libri Nazariani ſcripturam aſſerit quoque Ryckianus: Eſt familiaris optimis ſcriptoribus locutio. Terent. *ſcelus qui me perdidit.*

Fruſtrato circa purpuratum ejus ictu] Sic plane Ryckianus cum vulgatis, & rectius quam omnes alii, quos Salmaſius evolvit. Senſus eſt, eum non vulneraſſe & occidiſſe regem, ut volebat, ſed regium miniſtrum.

Sed ne quis ſexus a laude ceſſaret] Nazar. *Sed ne quid ſexus a laude ceßaret.* Quod tuetur Salmaſius, docens ſexum pro muliebri ſexu ſæpius dici, ſed hoc plurium, non unius gloſſarii auctoritate firmandum erat. Verius N. Heinſius vidit ſcribendum eſſe: *Sed, ne quid is ſexus a laude ceßaret, ecce & virginum virtus.* Ad ſequentia enim referendum *is ſexus*, perinde ac Florus ſcripſiſſet: *Sic quidem viri; Sed ecce & virginum virtus, ne quid is ſexus a laude ceßaret.*

Planc

Plane quasi adulterum ad inferos usque sequeretur] Melior est & auctior libri Ryckiani scriptura: *Plane quasi adulterum ad inferos usque insequeretur.* Est enim insequi ad ulciscendum persequi. Cic. pro Sextio c. XI: *Hi non modo negando, sed etiam irridendo amplissimum quemque illius ordinis insequebantur.* Sic *insequi stricto gladio* apud eundem legitur.

## CAPUT XI.

ÆMulatione & invidia] Ryck: *Æmulatione & invidia pulsos.* Male mox idem codex *apud Regilum lacum*, pro *Regillum lacum.* Sic Cicero, Livius, aliique Scriptores idonei semper hunc lacum appellant, non *Regilli* ut editi hic & apud Victorem. Livius lib. II: *A. Posthumius Dictator, T. Æbutius magister equitum, magnis copiis peditum equitumque profecti ad lacum Regillum, in agro Tusculano agmini hostium occurrerunt.* Cicero II. de nat. Deorum: *Apud Regillum lacum bello Latinorum.* Apud Græcos Ῥηγίλλη λίμνη Potest vulgata defendi, si ita accipiatur ut mons Soractis, Flumen Rheni. Sequentia *uti peteretur cursu*, merito sunt suspecta Freinshemio. Nullum enim currentium spatium erat: Forte legendum: *uti peteretur incursu*, hoc est impressione facta in hostilem exercitum magna vi; in quem jaculatus erat signum Posthumius. Propter eanden causam non nunquam signa in hostilia oppida fuerunt projecta, ut impetus militum muris subeuntium incenderetur & acrior redderetur. Piaculum enim erat Romano militi signa in hostium potestate relinquere, quia sancta habebantur, & erant quasi Dii quidam Castrenses.

Quasi stipendium] Rotundiora hæc essent & planiora si deleretur *diis.* Forte hæc vox irrepsit ex interpretatione magistri, qui adscripserat voci *commilitonibus* Τὸ *diis*, ut tyronibus ostenderet, quinam fuissent illi commilitones quibus hoc stipendium dedit. Sed quoniam veteres libri omnes retinent *diis*, distinctione & levi transpositione possemus huic loco mederi, scribentes, *& reddidit, plane quasi commilitionibus, stipendium diis.* No-

Nomini indueret] Ryckii quoque Codex æque ut Nazarianus & Vineti Msſ: *nomini induceret*, quod probat Salmaſius. Utraque locutio *induere* & *inducere nomini captum oppidum*, ſatis inſolens. *induere adulationem*, *ſimulationem*, *dubitationem* apud Tacitum & Livium leguntur non infrequenter. Sed hoc de ipſis dicitur qui ſimulant, aut adulantur. Nemo vero ſic loquitur induit alteri ſimulationem, adulationem. Eſt ergo hæc Flori cacozelia. Meliores ſcriptores dixiſſent, capti oppidi nomen induit, quod in tyronum gratiam moneo.

## CAPUT XII.

AB Etruria fuere Vejentes] Recepi hanc lectionem, quam veteres libri, & inter eos Ryckianus, nec non editiones priſtinę propugnant. *Fuere* perperam expunxiſſe Gruterum recte Salmaſius monuit.

Satis ſuperque idonea clades. Cæſi apud Cremerum trecenti, patricius exercitus, & ſcelerato ſignata nomine, quæ proficiſcentes in prœlium porta dimiſit] Nic. Heinſius ſic legi jubet & diſtingui: *Satis ſuperque idonea clades, cæſi apud Cremeram trecenti, patricius exercitus: & ſcelerato ſignata nomine, quæ proficiſcentes in prœlium porta dimiſit.* Sic lib. II. cap. II. diſtinguit idem: *Præ tanta victoria leve hujus prœlii damnum*, (tolle fuit) *alter conſulum interceptus*, &c. *atque ita oppreſſus eſt.*

Eo denique viſa prædę magnitudo, ut ejus decimæ] *Cujus decimæ* bene ſcripti, inquit idem vir Summus, N. Heinſius, additque: Τὸ *viſa* ſuſpectum, cum modo præceſſerit *mira viſa eſt fides imperatoris.* Puto, *ea denique diviſæ prædæ magnitudo, cujus decimæ Apollini Pythio mitterentur.*

In tegra dignitate pareretur] Ryck. cum multis aliis & edd. *integra dignitate pararetur.* Mox idem Ryck. *direptionem urbis convocaretur*, pro vulgato, *ad direptionem urbis vocaretur.*

CAP.

## CAPUT XIII.

UT in experimentum illatum putem divinitus] Hæc minime sunt expungenda cum Grutero, cujus manus parcior fuit in hoc scriptore sanando quam in secando & urendo. Est acuta sententia quam hausit Florus ex Silio Italic. lib. 3. ubi Jupiter ad Venerem de bellis Carthaginiensium cum Romanis gerendis:

*Hac ago Martis*
*Mole viros spectare paro, atque expendere bello.*

Hoc est, hoc bello experiar num Romani sint digni orbis imperio. Ejusdem sententiæ est quod idem Poëta eodem in libro canit:

*Tum pater omnipotens gentem exercere periclis*
*Dardaniam, & fama sævorum tollere ad astra*
*Bellorum meditans, priscosque referre labores*
*Præcipitat.*

Ceterum N. Heinsius quia Nazar. pro *illatam* præ se fert *inlatumam* arbitratur forte Florum scripsisse, *cumulatam.* quia multa adversa simul concurrebant. Mox malebat: *ad hoc ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeoque omni genere terribilis fuit.* Sallustii, adjicit, illa respexit ex historiis apud Quintilianum: *Mithridates corpore ingenti, perinde armatus*, ubi perperam Colerus, *animatus.*

Per Italiam vagabantur] Non vagabantur tantum sed infestabant cum maxime Italiam inquit N. Heins. Recte Jornandes legebat *bacchabantur.* Poëtice. Sic Claudianus:

*Vilis cum Spartacus omne*
*Per latus Italiæ ferro bacchatus & igne,*

Hanc vocem alibi quoque Floro restituendam esse & ipsi ostendemus inferius.

Tum Clusium obsidebant] Ryck. æque ut Nazar. *Tum Clusium urbem obsidebat*, nisi quod *tunc* in illo scribatur. & mox idem: *Missi ex more legati*, quod ex Nazar. quoque

notavit Salm. dein legendum ex eodem codice, & vetustioribus editionibus: *ferocius agunt, movent, & inde certamen.* Salmasius vidit etiam scribendum: *& inde certamen.* Non fuit expungendum *movent*, quamvis in suis libris hanc vocem se non invenisse testetur Vinetus. In aliis tamen extitisse & editi & Ryckianus ostendit. Audita legatione longe, inquit Florus, superbius se gesserunt, & statim movent infesta signa in Romanos, inde manus conseruerunt cum illis. Non intellexerunt hanc vocem, qui eam delevere. Inferius 11, 8. *Cum ingenti strepitu ac tumultu movisset ex Asia.* & 11, 6: *Igitur ubi semel in Hispania movit illa gravis & luctuosa Punici belli vis atque tempestas.* Sic Mss. editi: *ubi semel se in Hispania movit.* Sueton. Cæs. 60: *Prælia non tantum destinato, sed ex occasione sumebat: ac sæpe ab itinere statim, interdum spurcissimis tempestatibus, cum minime quis moturum putaret.* vide quę notavi ad epistolum 12. lib. v. Ciceronis ad Atticum.

Ad Alliam fluvium] Ryck. Ad *Aliam fluvium* ut in vetustissimis quibusque libris hoc nomen scribi pridem docti pręceperunt, ut & veteres Grammatici.

Majores natu, amplissimis usi honoribus] Ryck. *Majores natu amplissimi, usi honoribus.* Nihil muta.

Sedentes in curulibus sellis pręttextatos senes] Perplacet lectio veterum codicum a Salmasio probata, & Ryck. auctoritate firmata: *Sedentes in curulibus suis prætextatos senes.* Probat etiam. N. Heinsius, qui tamen totam hanc periodum refingebat hoc modo: *ibi* (sic alibi passim) *sedentes in curulibus suis prætextatos senes, velut Deos, geniosque venerari; mox eosdem ubi homines esse liquebat, alloqui nihil respondere dignantes pari vecordia mactant, facesque tectis injiciunt, totam urbem ferro, igne, manibus exæquant.* Nam *solo* abest a scriptis.

C

# CAPUT XIV.

QUum jus civitatis, partem imperii] Bellum indixit his verbis *jus civitatis* Salmasius ὁ πάνυ, præfatus non jus civitatis petiisse Latinos, sed tantum consortium imperii & magistratuum. Sed hoc ipsum est *jus civitatis*. Sine jure civitatis nemo poterat Consul aut ullus Magistratus creari. Nam nemo nisi erat jure optimo civis, hoc est qui jus suffragii ferendi habebat in comitiis, poterat petere magistratus, aut aliis dare. Ubi enim Latinus crearetur Romanus Prætor aut Consul? Num in municipiis aut coloniis Latinis fiet, & Romam ibi creatus mittetur, ut illius Urbis magistratum gerat? Nugæ. Recte Livius dicit in omnibus æquari voluisse Latinos Romanis. Nolebant diutius esse socii Latini nominis, sed cives Romani, & hac quidem lege, ut alter Consulum esset Latinus; hoc est quod Livius dicit, ut alter a Latinis Consul daretur, sicut plebs dabat Consulem, cum Patriciis extorserant jus Consulare, & effecerunt ut ex plebe alter Consulum crearetur. Nec obstat huic sententiæ quod Antium fuerit colonia. Non omnes enim coloniæ jus civitatis habebant, sed erant quæ jus Latii Italiæve tantum habebant, ut nemo paullo humanior ignorare potest. Præterea Antium toties rebellaverat, ut merito jure civitatis, si id habuerat, exciderit, ut ex Livio constat. Non igitur hic peccavit Florus, aut ejus scriptura est immutanda. Sed quod paucis verbis dixit Livius, hoc Florus pluribus exposuit. Cum dixisset ille jus civitatis petiisse Latinos, id quasi pluribus verbis hic explicat, vocatque partem imperii & magistratuum. Nam qui petit consortium magistratuum Romæ gerendorum petit etiam jus civitatis. Codex Nazarian; *cum jus civitatis partem imperii ac magistratuum poscerent, apud quam amplius, quam congredi auderent.* quod non temere sper-

nendum esse Nic. Heinsius putat, & censet ex omnium optimi & vetustissimi libri vestigiis sic rescibendum esse hunc locum. *Cum jus civitatis, partem imperii, ac magistratuum caput poscere ( quanto amplius quam congredi!) auderent.* Similis locutio apud Liv. IV, 3: *Civitatem, quod plus quam connubium est, hostibus etiam victis dedimus. Caput magistratuum* est Consulatus, ut Senatus *caput publici consilii* apud Liv. V, 39. ita sub ipsis loquebantur Imperatoribus: Naso in Ponticis de Sexto Pompejo Consule:

*Quanquam Martia nullum*
*Altius imperium Consule Roma vides.*

Quis cessisse hostem mirabitur] Istam scripturam non impugno. Non possum tamen quin moneam in Ryckiano haberi: *quis cecidisse hostem mirabitur.* Plaut. Amphit. *Crebrique hostes cadunt.* Ovid. VII. Metam. *Civilique cadunt acie.* Quint. *Cecidere pro patria.* Mox idem codex *occideret*, pro quod in vulgatis est, *occiderit.*

In confertissima se hostium tela jaculatus] Tuetur hujus loci scripturam contra Salmasium non modo Claudianus, judice Nic. Heinsio, sic enim is in Panegyrico de Consulatu Mallii Theodori:

*Vel qui more avium sese jaculatus in auras*

Pro quo *amentare* dixit paullo post in eodem Panegyrico v. 321.

*Quorum compositam puer amentatus in arcem*

ut ibi ille ipse vir magnus restituit: Sed & Florus l. 1. c. 13: *Signum in hostes jaculari*, & lib. 1. c. 11. *jaculari se in hostem.* Sed nimis poëticum, inquit Salmasius, quo loquendi modo solus usus sit Manilius, si illi credimus. At locus ille quem tangit non apud Manilium extat, sed apud Claudianum de Consulatu Mallii Theodori. Quid faciemus igitur A. Gellio, qui libro XVI. cap. 19. in Ario-

nis

nis historia, quam ex Herodoto transfert, sed liberrimo orationis filo, in noctes suas Atticas, hoc inter alia ponit: *Tum inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus se in mare jaculaverat, exstitisse.*

## CAPUT XV.

IMmemores factæ sub Tito Tatio affinitatis] N. Heinsius legendum esse contendit; *pactæ sub Tito Tatio affinitatis.* firmatque hanc conjecturam Liv. XXXIV, 32: *cum nostro Philippo hoste non societatem solum, sed affinitatem etiam pepigisti.* sic etiam apud Vellejum II, 65. *pacta affinitas* scribendum esse conjecit. Naso in Fastis de Castore &. Polluce: *Leucippo fieri pactus uterque gener.* Vell. I, I, *Quod pactæ ejus Hermiones nuptias occuparat.* Dubitat etiam annon scribendum sit apud Florum lib. I. cap. I. *pax pacta, & fœdus pactum* alibi pro *factum.* Subjicit idem, sic ad Nasonem in Papinio olim recte se correxisse *connubia cœlo pacta*, ubi scripti libri constanter, sed male, *facta.* Sed & apud ipsum Nasonem similes mendas complures se sustulisse testatur. Hinc & *pacta nuptialia.* Ovid. in fab. Cephali

*Alter agebatur post pacta jugalia mensis.*

Sic hunc locum correxit cum optimus codicum *acta* præferret, vulgati *sacra.*

Qua Nar. ambit fontesque Velini] Non potest ferri hæc lectio. Scribendum enim fuisset, *quem Nar ambit, fontesque Velini.* Recepi Nazariani libri a Ryckiano quoque firmatam, & Salmasio probatam scripturam: *qua Nar amnis fontesque Velini.* Nec eam tamen esse integram facile mihi persuadeor. Sed cum Grutero ex vestigiis Jornandis apud quem habetur: *loca a Varanio fonte*, & veterum librorum Flori, in quibus scribitur: *qua Naranio fonte Velini* legendum: *qua Nar, Anio, fontesque Velini.* His enim finibus Sabini circumscrebebantur. Plin. III. Hist. 13: *Sabini, ut quidam existimavere a religione & deorum cultu Seveni appellati: Velinos accolunt lacus, roscidis collibus. Nar amnis exhaurit illos sulphureis aquis. Tiberim ex his petens*

*replet, & monte Fiſcello labens juxta Vacunæ nemora & Reate in eoſdem conditus. At ex alia parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus tres amœnitate nobiles, qui nomen dedere Sublaqueo, defert in Tiberim.* Ceterum in hoc bello deſcribendo Florus hallucinatur non tantum in ratione temporis, ut Salmaſius oſtendit, ſed & in locorum ſitu, cum ſcribit Sabinorum terras a Nare, Anione & Velino fuiſſe vaſtatas ad mare Hadriaticum uſque, cum illarum ager pertineret tantum ab his amnibus ad Apenninum, terras vero ab Apennino uſque ad Hadriaticum tenuerint Galli Senones. Rectius itaque auctor de viris Illuſtribus in M' Curio Dentato: *Manius Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphavit: quos uſque ad mare ſuperum perpacavit.* Subjicit de his tantum agri, & hominum cepiſſe Curium, de quo & Florus loquitur. Poſtea ſubnectit, illum de Sabinis quoque triumphaſſe. Samnites tunc armorum ſocietate juncti erant Umbris, Gallis & Etruſcis: a Romanis fuſi ſunt in Senonum agro, in quem & poſtea coloniam duxerunt, quæ Sena dicitur. Hunc errorem Flori primus animadvertit Ph. Cluverius Ital. antiqu. lib. II. cap. VIII, & pluribus refellit. Ceterum Nicol. Heinſius conjicit legendum eſſe *qua Nar abit fonteſque Velini.* Is enim fluvius, inquit, ortus in Fiſcello monte agrum Sabinum atque Umbrum dividens, in Tiberim ſe tandem decurrens exonerat, auctus lacu Velino.

## CAPUT XVI.

SAmnites invadit] Ryck. *Samnitas* quod & Naz. & Jornandes præ ſe ferre teſtatur Salmaſius; Sane ſic veteres ſæpe ſcripſiſſe alibi pluribus exemplis oſtendi. Idem codex Ryck. eodem modo paullo poſt: *Samnitas invaſit.*

Hoc Campani ſanctius & prius omnium ſuorum deditione fecerunt] Duo in his Flori verbis reprehendit vir incomparabilis, quod deditionem vocet fœdus, & quod fœdus Campanorum dicat prius fuiſſe fœdere Samnitium. Sed nihil

nihil hic in ſe admiſit Florus, cujus accuſari merito poſſit. Nam deditionem quoque fœdus eſſe, ſed omnium iniquiſſimum, id clare Menippus, Antiochi Legatus apud Livium docet xxxiv, 57. ubi ait: *Eſſe tria genera fœderum, genera quibus inter ſe paciſcerentur amicitias civitates regeſque, unum cum bello victis darentur leges. ubi enim omnia ei, qui armis plus poſſet, dedita eßent, quæ ex iis habere victor, quibus multari velit, ipſius jus arbitriumque eſſe; alterum cum bello pares æquo fœdere in pacem atque amicitiam venirent: tunc enim repeti reddique per conventionem res, & ſi quarum turbata bello poßeſſio ſit, eos ex formula juris antiqui, aut ex partis utriuſque commodo componi: tertium, cum, qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coëunt, eos neque dicere neque accipere leges, id enim victoris & victi eße.* Eſt igitur inter fœdera deditio, ſed iniquiſſima. Hoc Livius etiam docet lib. ix, *Theates Appuli impetraverunt, ut fœdus daretur: neque æquo tamen fœdere, ſed ut in ditione populi Romani eßent,* hoc eſt ut eſſent dedititii. Sic & Samnites apud eundem lib. viii, 2. *Sidicinos nec ut Samnites in pace, amicitiam, nec, ut Campani, auxilium in bello petiſſent, nec in fide populi Romani, nec ditione eſſent.* Hoc eſt, qui nec æquo fœdere ut Samnites, nec deditione, ut Campani, in amicitiam populi Romani veniſſent. Nam hę erant dedentium ſe ſollemnes formulæ Plaut. Amph. 1, 1.

*Dedunt ſe divina humanaque omnia*
*In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano populo.*

Et apud Liv. lib. 1. *deditis ne vos populumque, Urbem, agros, aquam, terminos, delubra, utenſilia, divinaque omnia in meam populique Romani ditionem.* Proprie ergo in ditione eſſe deditionem ſignificat, quod fœdus Livius vocat, ſed non æquum. quia vero omnium fœderum erat iniquiſſimum, ut non longe abeſſet a ſervitute ſumma, hinc

fœderi nonnunquam deditio opponitur, ut apud Livium eodem in loco: *Campanorum aliam conditionem, qui non fœderi, ſed per deditionem in fidem veniſſent.* Qui locus forte Ἰω πάνυ impoſuit, ut affirmaret deditionem nunquam fuiſſe fœdus, ſed facile huic loco poteſt occurri ſi recte explicetur. Hoc enim Latini ajunt, Campanos non fœdere, nimirum æquo, ut ſcilicet Latini, ſed deditione, hoc eſt fœdere iniquiſſimo, in Romanorum ſocietatem veniſſe. Primum crimen diluimus, alterum longe levius eſt, & minore negotio poteſt amoveri a Floro. Cum dicit Campanos ſuum feciſſe fœdus ſanctius & prius Latinorum fœdere, non vult tempore Campanorum fœdus præceſſiſſe Latinorum, ſed deditione ſuorum omnium feciſſe, ut illi fœderi, quod cum Latinis fecerant Romani, præferretur, & anteponeretur. Quo ſenſu dicitur *nihil prius & antiquius habere*, hoc eſt omnibus rebus anteferre. Phædrus lib. I. *Si vocem haberes nulla prior ales foret*, omnibus avibus anteferreris. Horat. IV. Carm.

*Qui color eſt puniceæ flore prior roſæ.*

Quod autem in hic Florus de Romanis, id Livius lib. VI. c. 10. de Nepeſinis narrat, illis nimirum deditionis quam ſocietatis fidem ſanctiorem fuiſſe. Romanos ſane jure deditios præpoſuiſſe ſociis, rationibus poſſit oſtendi facile, niſi has partes jam pridem occupaſſent homines juris divini humanique peritiſſimi.

Omnium non modo Italia, ſed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt] Ryck. *Omnium non modo Italiæ, ſed tot orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga eſt.* Mox idem: *Veſevus* non *Veſuvius*, ut plerumque vetuſtiſſima monumenta.

Quædam maris otia] Merito tuentur viri docti hanc lectionem. Plin. Paneg. c. 82: *Quantum diſſimilis illi, qui non Albani lacus otium, Bajanique torporem & ſilentium ferre, non pulſum ſaltem fragoremque remorum perpeti poterat.*

Aureis

Aureis & argenteis armis discolori veste] Nazar. *aureis & argenteis armatum misit. discolori veste.* Nic. Heinsius, hinc conjicit Florum scripsisse: *aureis atque argenteis armis ornatam*; non *armis armatam* ut perperam volebat Salmasius. Naso:

*Se quoque nympha tuis ornavit Jordanis armis.*

Clauso enim per insidias] Expunxi τὸ *enim* secutus auctoritatem Nazariani Codicis. Mox Ryckian. *& ut ille dimitteret omnes vel occideret sapienter ut senior suaserat.* Vulgati: *& ille, mitteret omnes, vel occideret sapienter ut senior suaserat.*

Strictis ensibus per ipsam viam ante pugnam fuit] Sic Ryck. quam scripturam dudum probavit Salmas. ex Nazarian. & Jordaneo libro. Sed *furit* retinendum esse multis exemplis tuetur N. Heinsius ad Valerii Flacci lib. 1. v. 144.

*Hac Peleus, hac ense furens agnoscitur Æson.*

Ita e scriptis castigandum esse illic monebit, cum desideratissimas in illum scriptorem animadversiones est editurus, & pluribus exemplis istam locutionem adstruet. Nam sic & Ovidiumlocutum esse & Statium ostendit mihi. Illum. 11. Fast. v. 752.

*Sed enim temerarius ille*
*Est meus, & stricto quamlibet ense furit.*

Hunc Theb. 1.

*Et nunc ense furit, nunc tela natantia raptans Ingerit.*

## CAPUT XVII.

HActenus populus Romanus cum singulis gentium] Ryck. *Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentibus.* Sic & Palat. Sec. & Nazar. nisi quod hic

*bellum* omittat, unde vulgata videtur orta esse, & uterque *gentium.* Statim idem Ryck. *tamen sic quoque par omnibus fuit.* Sic quoque Vineti, aliæque vetustiores editiones. quod quorum librorum auctoritate recentiores editores mutarint nondum mihi compertum est. Rescribendus est totus locus ex veterum liberorum fide: *Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentium, mox acervatim, tamen sic quoque par omnibus fuit.*

Quin fratre præmisso exploraret accessus] Plane Ryckianus consentit Nazar. scribitur in utroque *explorat*, Suffragor Salmasio emendanti: *Nihil horum terruit ducem. Quin fratre præmisso explorat accessus.* nullus, cui genius dictionis Flori non est ignotus, dubitare potest, hanc esse manum ejus. Sic quoque in hac editione legeretur, si operæ dicto fuissent audientes. Paullo ante Ryck. æque ut Nazar. *A latere Etruriam infestam,* ubi itidem recte ὁ πάνυ *Late per Etruriam infestam.*

Speculatus omnia, refert totum iter. Sic Fabius Maximus] Ryck. *Speculatus omnia refert. Tunc si Fabius Maximus.* Sic & alii libri. Nazarian. vero: *refert tum iter.* Omnino prior syllaba exciderat, quem retinent duo libri vetustissimi Jornandis, in quibus legitur, *tutum iter.* Quod merito probatur Tanaquillo Fab. Sed Nic. Heinsius mallet ex vestigiis veteris libri. *Speculatur, omnia refert tuta, tum institutum iter*, vel *tum instituit iter.* Cognationem litterarum has turbas dedisse putat. Liv. XXVII, 12: *Postquam satis tuta esse omnia exploratum est.* Curtius IV, cap. 9: *Deinde ut speculatores præmissi tuta omnia nuntiaverunt.* iter institutum ut Horat. Epod. *anguis rumpit iter institutum.*

Periculosissimum bellum periculo explicavit] Cum Ryck. & editionibus non nullis scribendum, *bellum sine periculo explicavit.* Perperam *sine* omiserunt editores nonnulli, quod nolim etiam hic neglectum esse. Bellum quod habebatur periculosissimum sine periculo confecit, quia tutum iter ei per illum fuit saltum, & palantes & incompositos concidit. *Explicavit bellum* ut *explicuit fugam* apud Phædrum lib. IV.

*Illic*

*Illic per artus fratris explicuit fugam.*

In subjectos suo jure detonuit] Hæc non sunt cum Lipsio scribente *Jovis more*, aliisque sollicitanda. *Suo jure* est, ut voluit, nemine impediente, pro arbitrio, ut recte quoque cepit Salmasius, & hoc loquendi genus pluribus exemplis asseruit Gronovius ad Senecam.

Quasi in terrigenas e cœlo & nubibus tela mitterentur] Nazar. *jacerentur*, quod, quia præstantissimus codex præ se fert, recipiendum esse contendit Nic. Heinsius, præsertim cum & alibi sic locutus sit Florus. lib. III, 21. *sudesque & saxa undique a mœnibus ac tela jacerentur.* Sic *jacere fulmen*, *jacere tela* sæpe apud Nasonem & apud Senecam in Tragædiis non semel a se restitutum ait ex optimis membranis.

## CAPUT XVIII.

POrtuque nobili] Omnino cum Ryckian. & nonnullis editionibus, sensu postulante, scribendum, *portuque nobilis, & mirabilis situ.* inferius Ryck. *tot simul populi pro Tarentinis in hos consurgerent.* vulgati ignorant *in hos.*

Vela dimittit] Pal. duo *vela mittit*, quod omnino probum esse credo Nicolao Heinsio, qui ostendit *mittere* sæpe pro dimittere poni a nostro. Superius cap. 16: *mitteret omnes vel occideret.* Sepe apud Historicos *missus senatus* pro dimissus. In Nazar. exhibetur *vela admittere* ut & in Jornande, quem errorem natum putat vir doctissimus inde, quod *a* superfluum male iterassent primo librarii.

Conversi in spectaculum belli] His verbis, si animum advertas, nulla sententia subest. Deletæ essent Pyrrhi copiæ, inquit, nisi procurrissent sive in primam aciem producti essent elephanti conversi in spectaculum belli. Ad quodnam bellum spectandum convertebantur elephanti,

&

& quidnam ad victoriam Romanis extorquendam conferebant elephanti bellum seu pugnam intuentes. Nam hoc est converti in spectaculum alicujus rei, se convertere ad aliquid spectandum. Nullus alius sensus ex his, verbis potest colligi. Dudum Gronovio, ut erat emunctæ naris vir, suboluit hunc locum esse mendosum, &, qua erat mira in depravatis restituendis sollertia, sic emendandum: *Actum erat, nisi elephanti, converso in spectaculum bello, procurrissent.* hoc est vicissent Romani, nisi elephanti procurrissent, & Romanos magnitudine sua sic perculissent, ut bellum seu prœlium converteretur in spectaculum, ut immemores pugnæ spectatores essent invisarum antea sibi belluarum tam monstrosarum. Interea dum bellum in spectaculum convertitur, Romani ab Epirotis conciduntur. Hoc non Gronovii, sed ipsius Pythii est responsum.

Ducibus iisdem qui superius] Hæc non solum falsa sunt, & adversantur idoneis scriptoribus aliis, ut recte notavit puella elegantissimi ingenii Anna Tanaquilli Fabri filia, sed & supposititia sunt & ab homine imperito inserta, ingratiis Flori, qui illa, si sua posset recognoscere, deturbaret de loco, quem male invaserunt, & ejiceret, meo quidem judicio.

Sed tunc ad totam victoriam exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit] Non video sibi velit *ad totam victoriam, exitum casus dedit.* Nec hic quicquam subsidii est in Ryckianis membranis, quę non abeunt a vulgatis, nisi quod post *sed* male inserat *&*. Salmasius legit ex Nazar. & Jornand. *Sed tunc tota victoria. Exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit.* Forte *exitum* est interpretatio quæ margini fuit adscripta, qua lector aut magister significavit, hoc prœlium dedisse exitum belli. Si hanc vocem deleveris commode repones: *Sed tunc totam victoriam, quam datura virtus fuit, casus dedit.*

Per stragem suorum percurrens] Merito hæc suspecta sunt viris doctis, qui correxerunt *recurrens.* Nemo enim Latine

Latine doctus *per ſtragem percurrere* quid ſit intelliget. Legendum autem puto *per ſtragem ſuorum procurrens.* Relictus erat pullus, qui in aciem quærens matrem per ſtragem ſuorum procurrit, multos obterens, & ordines turbans. paullo ante: *niſi elephanti, converſo in ſpectaculum bello, procurriſſent.*

Adnixus eſt ut in amicitiam reciperetur] Et hic audiri debuit Salmaſius, qui monuit ex Nazar. Jornand. & veteribus reponendum eſſe: *adniſus eſt, ut facto fœdere in amicitiam reciperetur.* Iiſdem litteris exarata eſt hæc περικοπὴ in Ryckiano. Paullo poſt idem: *ſe approbavit* cum Pall.

Ducum magnitudinem] Ryck. *& ducum magnitudinem.* Sed nihil refert addaturne copula nec ne.

Senatum regum eſſe] Nazar. *Senatum regnum Deum eſſe.* Unde N. Heinſius colligit Florum ſcripſiſſe *ſenatum regum ideam eſſe. Si* enim frequenter omitti in illo codice, & *a* in *u* degenerare paſſim, teſtari ipſum Salmaſium. Liv. lib. IX, 17. *veram ſpeciem* dixerit, hoc Florum Græco vocabulo uſum dixiſſe *regum ideam.* Sed hic ego cum Grutero ex Jureti libris recepi *regum conſeſſum eſſe.*

Virtute militari] Sic etiam Ryck. ſubaudiendum autem *hac*, *his* moribus civium ab omni luxu abhorrentium, & hac virtute militum. Gravis error librariorum culpa in contextum hic irrepſit, qui, ut vides, eſt emendandus. Nic. Heinſius exiſtimat *hac* reponendum eſſe, ſcribendumque *his moribus, hac virtute militum.*

Tota tremente Campania Lirim Fregellaſque eſt populatus] Ryck. *Tota tremente Italia Campaniam Lirim, Fregellaſque populatus.* Tota Italia tremebat, cum Campaniam, & in illa Lirim, & Fregellas popularetur Pyrrhus, verita ne illico progrederetur & reliquas Italiæ regiones eodem impetu diriperet & vaſtaret. Non fruſtra *Campaniam* legitur in omnibus veteribus libris. Cum *Italia* ſcriptorum vitio fuiſſet amiſſum. *Tota* quoque & *tremente*, ut ſenſum quendam efficerent, in *totam* & *trementem* fuerunt mutata. ſic enim editiones vetuſtiores:

*totam*

*totam trementem Campaniam*, quod & Nazar. præ se fert, & tert. Gudianus. Sed primus *totam trementem Italiam, Campaniam.* Nullus dubito veram esse lectionem Ryckiani libri. Paullo inferius lengend. ex Ryck. & Nazar. *& tanta de opulentissimis tot gentibus spolia*, ut monuerunt jam alii. vulgo male: *sed tanta adeo de opulentissimis tot gentibus spolia.* Quid hic quod agat habet τὸ *adeo*? Expungatur volentibus Musis, & Musarum operis libris vetustis.

Nihil nisi pecora Voscorum] Ex Nazarian. qui præ se fert *nihil nisi quasi pecora*, Nicol. Heinsius colligit Florum scripsisse, *nihil nisi si qua pecora*; ut in procemio lib. II. *si qua juventus.*

## CAPUT XXI.

BEllum Volsinense] Scribendum: *bellum Volsiniense*, & post *Volsinii*, male in vulgatis *Volsini*, quod & Nic. Heinsius vidit.

In fide mansere] Nihil certius quam ex Jornande rescribendum esse, ut primus animadvertit Gruterus, & multis asseruit doctissimus Freinshemius, *in fidem venere.* Nam in Jornandis editionibus est *in fidei munere* in Mss. *in fide munere.* vides *m* ex *fidem* proximo vocabulo adhæsisse, inde *e* ex *munere* intercidisse, indeque monstrosam hanc lectionem natam, cum vero nec in illa quicquam esset sanæ sententiæ *munere* in *mansere* refinxerunt, & τὸ *in* inferserunt homines male feriati. Verum est *in fidem venere*, ut apud Liv, VIII, 2: *Campanorum aliam conditionem qui non fœdere, sed per deditionem in fidem venissent.* & sæpius aliis in locis.

## CAPUT XXII.

QUi libertatem a dominis datam in ipsos erexerant] Legendum censet Nic. Heinsius: *qui libertatem a dominis datam in ipsos exercebant.* Valer. Max. VI, 2:

2: *L. Philippus adversus eundem ordinem libertatem exercere non dubitavit.* Sic & Livius XXIII, 2: *maxime tamen inter corrupta omnia licentia plebis sine modo libertatem exercentis.* Sane *erigere in aliquem libertatem* Latinis nihil est. & vidit olim doctissimus Freinshemius, qui itidem conjecit: *in ipsos exercuerunt.*

## CAPUT XXIII.

QUodam flore virtutis exarsit ac ferbuit] Malebat Nic. Heinsius: *quodam flore virtutis exarsit ac efferbuit. effervere* enim Virgilio aliisque non semel usitatum esse.

Sed hic melior obsessis in capta urbe consenuit] Secutus sum codicem Ryckianum in quo non legitur *obsessis.* quod ex Nazar. pridem notavit etiam Salmasius, cui hic obtemperari verum erat. Non enim obsessis Romanis melior erat, sed Coriolano qui injuriam patriæ vindicaturus erat armis. Camillus vero magno tulit animo exilium, & reipublicæ, cum illius tempora desiderarent ejus operam & consilium, non defuit. Consenuit vero est hoc loco, quod & Salmasius vidit, exilium plenum senii & tædii egit in illa urbe. sic & γηράσκειν apud Hesiodum, & *esse in senio* apud Comicos.

## CAPUT XXIV.

ITaque nactus tribunatum honorum] Vere putat Nic. Heinsius hic excidisse voculam aliquam, scripsisse Florum: *Itaque nactus tribunatum maritus, honorum & magistratuum consortium.*


Sulpitio patricii sanguinis dederat] Ryck. *Sulpitio patricii sanguinis de clarat.* forte: *elocarat.*

Spurium Cassium agraria lege, Mælium largitione suspectum regiæ dominationis] Nec hic deflectit ab optimo Nazar. Ryckianus. Uterque: *largitione Cassium agraria lege,*

*lege suspectum dominationis regiæ præsenti morte multavit.* Nullus dubito vere Salmasium emendasse: *Spurium largitione, Cassium agraria lege suspectum regiæ dominationis.*

# LIBER II.

## CAPUT I.



Taque (mirum & incredibile dictu) qui prope quingentis annis domi luctatus est] Ryck. *Ita mirum & incredibile dictu. Quippe quingentis annis domi luctatus est.* Aliter alii codices, ut tamen non longe abeant a nostro. Sed vulgata non est deturbanda de possessione. In cod. Ryck. male quoque scribitur: *totumque orbem terrarum* pro edito: *totum denique orbem terrarum.* Nam *denique* hic est, ut uno verbo dicam, ut superius lib. 1. *nihil mollius cœlo, denique bis floribus vernat*, & sæpe apud Justinum & alios.

## CAPUT II.

UT quatenus nec mole jungi] Venuste ex vestigiis Nazar. Codicis, qui scribit, *ut quatenus nec mare & nec mole jungi*, Nicol. Heinsius hunc locum sanavit, dum sic legendum esse docuit: *ut quatenus nec mari injecta mole jungi.* Vell. II, 33: *Lucullum ob injecta mari moles Xerxen togatum vocare assueverat.* & sic alii passim. Sane codex primus regius: *nec mari jungi.* Tertius vero *nec mari mergi.*

Illam ipsam ruentis æstus violentiam] Huic quoque loco salutiferam attulit opem Nic. Heinsius, non tolerandum censet *ruentis æstus*, tanquam Latio inusitatum loquendi genus, sed *furentis æstus* legendum esse ut apud

Virgil. *furit aestus arenis*, nec aliter Curtius lib. IV. cap. 2: *Exaestuare semper fretum, quoque artius volutatur inter insulam & continentem, hoc acrius furere.* Haec vir excellentissimus prioribus in litteris ad me datis. In posterioribus vero sic de hoc loco disputat. Nunc minimum abest, quin preferam alteram, quae postea in mentem venit, conjecturam, arbitrerque additis duabus litteris *ferventis aestus* reponendum esse. Ita enim passim de freti Siculi aestu scriptores. Justinus initio libri IV. *fremitum ferventis aestus* dixit de hoc ipso mari, Naso Metam. XIV.

*Rhegion ingreditur ferventes aestibus undas.*

*Aestu fervet pelagus* apud Cic. III. de oratore, sic & *fervor maris* apud eundem de provincia Consulari, & *aestus ferventissimus* Plinio Hist. Natural. XXXI, 3. *furere* & *fervere* conjunxit Silius lib. XIV. v. 144.

*Euboici non per scopulos illisa Capharco*
*Euripi magis unda furit, pontumque sonantem*
*Ejicit angusto violentior ore Propontis,*
*Nec fervet majore fretum, rapiturque tumultu*
*Quod ferit Herculeas extremo sole columnas*

Mea sententia *ferventis* omnino reponendum est.

Tum quidem ipsa velocitas] Ryck. *cum quidem ipsa velocitas*, uti legendum esse monuit Salmasius. Sed distinctio est etiam mutanda: *Duillio Cornelioque Consulibus etiam mari congredi ausus est, cum quidem ipsa velocitas classis comparatae victoriae auspicium fuit.* Deest *victoriae* in Ryckiano quoque, ut in aliis omnibus Mss. In Jornandis tamen libris non frustra reperitur, nec tam a Jornande adjecta, quam ex ipsius Flori, qui tum extiterunt, codicibus hausta, sensu illam vocem exigente. Classis tam celeriter comparata fuit omen victoriae.

Longe illis nauticae artes, detorquere remos] Nihil certius emendatione Lipsii scribentis: *detergere remos*: Nihil,

hil, inquit, proderant Carthaginienſibus artes nauticæ, quas optime callebant; Quæ artes illæ nauticæ fuerint ſubtexit, *detergere remos, ludificari fuga roſtra.* Eſt proprium loquendi genus *detergere remos*, cum nimirum in præternavigando hoſtilis navis remos frangerent, ac navem hac ratione inutilem prœlio redderent, ut pridem obſervarunt docti viri. *ludificari roſtra fuga*, eſt eludere levi flexu impetum navis hoſtilis, quę in latus adverſarii roſtro fertur. Has artes tam brevi tempore didicerunt poſtea Romani, ut Carthaginienſes ipſos antecellerent, ſi fides Floro, quem vide in fine hujus capitis.

Hujus prœlii damnum fuit] Quia τὸ *fuit* poſt ſequitur denuo, Nicolaus Heinſius conjicit forte Florum ſcripſiſſe: *Præ tanta victoria leve hujus prœlii damnum, alter conſulum interceptus Cornelius Aſina.* Male hic turbat Salmaſius.

Panormo, Eryce] Ryck. liber æque ut Nazar. *Erico.*

Quod expeditioni tantæ ſuperfuit & ſupervixit.] Alterutrum redundare merito cenſet Nic. Heinſius, & forte *ſuperfuit* eradendum. Dein idem vir excellentiſſimus non longe poſt ſcribendum cenſet, *ſerpente latius bello Sardiniam eique annexam Corſicam invaſit.* quia τὸ *in* non extet in codice omnium optimo Nazariano.

Olbię hic, ibi Aleriæ Urbis excidio] Sic repoſui ex emendatione certiſſima Salmaſii, qui ſecutus veſtigia veterrimorum codicum veriſſime hunc locum ſuæ reſtituit integritati. Sunt hujus lectionis indicia quoque in Ryck. *Ubi & hic Valeriæ urbis excidio.* Nimirum ex ignoto *Olbiæ*, cum forte intercidiſſet, fecerunt *ubi.* Correctores id dein interpolarunt, & perverterunt. Vetuſtiſſima inſcriptio temporum iſtorum indubiam reddit hanc emendationem, quam ipſis Flori verbis ſubjeci.

Omnes terra mari Pœnos expugnavit] Huic loco non tam ſalutares manus admovit vir maximus, quam ei qui modo præceſſerat. *Expugnavit* non eſt reformandum in *repurgavit* repugnantibus antiquis libris. Ryck. *adeoque*

*omnes*

*omnes terra marique expugnavit.* Expugnari non tantum urbes dicuntur, sed & homines cum debellantur, & vi ejiciuntur ex locis quæ tenuerunt. Justin. III,4: de Partheniis: *Diu per varios casus jactati tandem in Italiam deferuntur, & occupata arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, sedes ibi constituunt.* occupata arce incolæ expugnantur, hoc est de possessione urbis & arcis deturbantur. Id. XII, 8: *Inde Adrestas, Gesteanos, Præsidas, Gangaridas, cæsis eorum exercitibus, expugnant.* Idem alibi: *post multos deinde annos expugnati.* Sic etiam hoc loco omnes Pœni terra marique sunt domiti & expulsi, terra quidem tum Sicilia, Sardinia, Corsica ejiciuntur, mari vero cum victis classibus, & amissis portubus insularum, quas tenuerant, non auderent illa maria navigare. Nic. tamen Heinsius e Jornandis vestigiis scribendum putat: *ideoque omnes terras maria Pœno repurgavit.* Sic *repugrare iter* Livio XLIV, 4. Curtius VI, 6: *Ac primo repurgari iubet quicquid ingredi possent.* Idem lib. IV, cap. I: *hortum repurgare.* Nec aliter loquuntur probæ Latinitatis scriptores. Illud quoque rectum *terras maria*, ut τὸ & subintelligatur. Sic Liv. 41, 3. Auctor Octavię v. 484:

*Nutuque terras maria subjecit tuo.*

Apud ipsum Florum *compedibus catenis religavit*, lib. III, c. 19, & lib. IV, c. 2. ut emendabam, *velle tamen auctos honores, opes.* Hæc ὁ πάνυ

Qui ipso Punici maris nomine deficerent] Non esse temere Nic. Heinsius observavit quod apud Jornandem legitur: *qui in ipso Punici maris nomine deficerent.* Naso: *Nomine in Hectoreo pallida semper eram.* Sic alibi idem aliique poëtæ.

Ducesque ipsos aut cecidisset, aut haberet in vinculis] Ryck. non recedit ab aliarum membranarum scriptura, quę constanter omnes, *ducesque ipsos aut cepisset*, quod belle tuetur Salmasius. *Magna vis juventutis*, sunt multi milites. *Juvenes* sæpe milites dici olim viri docti monuerunt.

Jam ipſam belli caput Carthaginem urgebat obſidio] Ryck. *& jam ipſam caput belli Carthaginem urgebat obſidione*. Leg. *etiam ipſum caput belli Carthaginem urgebat obſidio. Obſidio* non repudiem, quod *obſidium* aliis in locis apud noſtrum etiam occurrat.

Ne commutatione captivorum reciperetur] Aut legendum cum Salmaſio *commutatio*, aut *in commutationem* ipſe nimirum Regulus reciperetur. Sic ille apud Silium lib. VI, v. 475. Hæc eſt Nicolai Heinſii de hoc loco ſententia.

Ut nec amplius eam inſulam concitarent] Hunc locum, qui corruptus etiam eſt in Ryck. optime conſtituerunt ex Jornand. & libris melioribus Lipſius & Salmaſius, reponentes: *ut ne amplius eam inſulam cogitarent.* quos non ſequi hoc in loco, cum id ſenſus deſideret & ratio, piaculum ſit.

Sic quoque magna præda, ſi gregem illum] Ryck. *ſic quoque magna præda, ac ſi gregem illum.* quod ex Naz. probat Salmas. ſed hic non poſſum ei ſuffragari. τȣ̃ *hic* nullus hic locus eſt. Senſus enim eſt, ſatis magna præda fuiſſet ſi hos centum elephantes in venatione, ubi complures ſæpe capiuntur, non in prœlio cepiſſet.

Inſuliſque fruſtrarentur] Bene Salmaſius hunc locum ſanavit, reſcribens *fruſtarentur*. Sine ſenſu legitur in omnibus editis & ſcriptis *fruſtrarentur*. Triumphi ille ſpecioſus apparatus periit quidem mari tempeſtate, ſed tamen cum magna populi Romani dignitate, quia præda hęc fruſtatim ad omnia promontoria & inſulas appelleretur, & paſſim ſecundum littora fluitaret, ac in illa ejiceretur, ut incolis eſſet argumento, quantam prædę vim Romani ex Africa deportarint. Non aliter ſcripſit Florus. Quid eſt *fruſtrantur prædæ promontoriis & inſulis & fluitant?* At fruſtari præda in promontoriis dicitur cum præda fruſtatim in promontoria a mari evomitur. fruſtari eſt vox μονήρης quales apud omnes ſcriptores antiquos reperiuntur. Sed N. Heinſius repudiat & rejicit hanc vocem & Florum ſcripſiſſe cenſet: *inſuliſque eructarentur & fluitarent*

*rent.* Sic lib. IV. cap. II. *Mille aliarum gentium spolia in ripam assidue mota ventis maria revomebant*, de hoc loco copiosius in Adversariis acturum se promittit.

Excindendis hostium mœnibus] Malebat N. Heinsius *xcidendis hostium mœnibus.*

## CAPUT III.

NEc aliter utraque gente quam quasi cote quadam] Ryck. prorsus ut Salmasius ex Nazar. conjecit: *nec aliter utraque gente, quam si cote quadam.* sed vulga- non est movenda.

Ligures in imis Alpium jugis] Ryck. *Ligures in viis lpium jugis adhæren es.* leg. *Ligures inviis Alpium jugis hærentes* quod & excerpta veteris alîus libri confirmant. via juga Alpium, in quibus degebant Ligures dicun- r, quia habitabant in dumetis, & montibus sylvis in- is obsitis, sive quas nulli transierant exercitus & transi- difficulter poterant. Hinc statim dicit majorem fuisse borem illos invenire, quam vincere, & illos tutos fu- e locis, quę incognitas latebras appellat: sic n. Mss. o vulgato *Ingauni tandem Fulvius latebras.* Sed N. Hein- s censet, si quid mutandum sit, rescribi rectius, *Ligures imis Alpium jugis adhærentes.* A Varo enim flumine Al- m statuere initium Florum, ut alios scriptores, finem ad siam flumen: quare & infra cap. v. *Liburni sub extremis lpium radicibus agunt inter Arsiam Titiumque flumen.* Vi- s Liguribus prima Alpium juga *assignari*, *Liburnis* extre- . Sic & Plin. lib. III. cap. 19. de Alpibus. Alii scripto- r a mari infero ad superum eas extendunt, ut Mela.

Eluderent Salyi, Deceates, Oxybii, Eubunates, In- gni, tandem Fulvius] Ryck. *Eluderet saltus, Oxubiles, riates, Soxulæ incognitas tandem Fulvius.* Pleraque si etiam in aliis Mss. reperiuntur. Sed vulgata saniora t. In hoc vero erravit, Florus, quod *Salyas*, *Deciates*, *Oxybios* adscripserit Liguriæ Cisalpinæ, cum colue- ri Galliam Transalpinam.

## CAPUT IV.

SEd experimento deprehensum est, quippe sicut primus impetus eis] Est locus turbidus & valde contaminatus. Sententia non cohæret, quocunque te vertas, ut pluribus ostendit ingeniorum princeps Salmasius. Nolo in aliorum emendationibus & interpretationibus longus esse. Mihi videntur posse in integritatem pristinam hæc verba revocari, si duas voculas in sedem suam, quæ exciderunt librariorum culpa, reponas, & sic interpungas, *Sed (experimento deprehensum est) sicut primus impetus eis major quam virorum est, ita sequens minor quam fœminarum. quippe alpina corpora humenti cœlo educata habent quiddam simile nivibus suis.* Vides nunc omnia liquida esse. Galli inquit habent animos & impetum ferarum. Sed, quod experimenta docuerunt, sicut primus impetus est plus quam virorum, sic mox, si perduretur in prœlio, remittitur & tantopere languescit, ut videantur esse fœminæ. Nam Alpina corpora facile solvuntur & diffluunt. Rationem nimirum naturalem subjungit, cur tam celeriter impetus ille plusquam humanus languescat. Retinu cum Freinshemio ex Nazar. *simile nivibus suis*, repudiata vulgatarum editionum lectione: *simile cum nivibus sui.* quod ipsa lingua Latina repudiat. Nam Solini locus, quo Salmasius utitur, vitiosus est, ut facile legenti constabit & licet sanus esset & inviolatus, auctoritas tamen Solin non est tanta, ut possit impurum loquendi genus civitate donare. Non magis Latine dicitur *simile est hoc cum illo*, quam tritum vulgo *sic comparatum est cum illo*, quo merito doctissimus Vorstius explosit. Ceterum Nicola Heinsio sic potius hic locus videtur constituendus esse *Sed experimento deprehensum (quippe sicut primus impetu eis major quam virorum est, ita sequens minor quam fœm narum) Alpina corpora humenti cœlo educata habere qui dam simile cum nivibus suis.*

CA

## CAPUT VI.

POst primum Punicum bellum vix quadriennii requies, ecce alterum bellum] *Bellum* ultimo loco positum expungendum est, quia modo præcessit, si Nic. Heinsio adstipulamur.

Captæ insulæ] Ryck. *raptæ insulæ*, hoc est celeriter occuptæ. Inferius II, 17. *Rapta impetu Hispania*, & III, 5: *Primus impetus belli Bithyniam rapuit.* Mox idem Ryck. *Hinc in ultionem puer Annibal.* Et sic etiam Nazar. unde N. Heinsius conjicit: *Quin ultionem puer Hannibal*, lib. III, cap. 20, ex Mss. *quin jam vindicari volebat.*

In caussam belli Saguntus delecta est] Hæc est lectio Nazar. & Ryck. quam merito probat ὁ πάνυ & Anna politissima. Nam si *deleta* legamus, quod in vulgatis omnibus, preterquam novissima Parisiensi editione, circumfertur, bis idem dixit Florus. Sequitur enim statim, *quam ut in libertatem communi fœdere exceptam Annibal caussas novorum motuum quærens, & suis & ipsorum manibus evertit.* Quærebat caussam belli Hannibal. Hanc urbem delegit ut caussam inveniret.

Interim jam novem mensibus fessi fame, machinis, ferro] Aliquid deest, inquit Nic. Heinsius, Saguntini nempe vel obsessi. Sed minima mutatione legas: *Hi interim jam novem mensibus.* Saguntini nempe, de quibus actum. Sic ὁ πάνυ.

Tergiversantibus Pœnis dux legationis: *Quæ*, inquit, *mora est*, Fabius? ] Sic quidem omnes libri. Sed vereor ne ex interpretatione magistri in contextum irrepserit vox Fabius, qui hunc locum exponens discipulos docuit, ducem legationis fuisse Fabium cujus nomen οἱ φοιτῶντες margini adscripserint, ex qua postea a descriptoribus in contextum fuit translata, aut si a Flori manu est, loco quem Florus ei assignaverat, excidit, & in aliam fuit parum apte transscripta. Cur enim postponeretur intempestive his verbis *Quæ*, inquit, *mora est*, & inter-

interrumperet continuum ſermonem legati. Niſi vox Fabius ſit delenda, ita ſaltem ſcripſiſſe Florum puta: *Tergiverſantibus Pœnis dux legationis Fabius: Quæ, inquit, mora eſt? In hoc ego ſinu bellum pacemque porto. Utrum eligitis?* Quin ſi Mſſ. annuerent, expungerem quoque voculam *inquit*, quæ cum *Fabius* videtur infarta eſt ab ignaris brevitatis Flori. Rotundior ſane erit oratio & ſcriptoris ingenio convenientior. Et ſæpe hæc vocabula *inquit*, *ait*, & ſimilia inculcata eſſe multis ſcriptorum locis perquam importune plurimis poſſet exemplis oſtendi, niſi ctorum curæ hac nos opera pridem levaſſent.

Quaſi plane ſinu bellum ferret, effudit] Melius vetus Vinandi Pighii liber: *quaſi plane ſinu ferret, bellum effudit.* Mallet tamen Pigſius: *quaſi pleno ſinu ferret*, cui ſine libris hic non ſubſcribo.

Igitur ubi ſemel ſe in Hiſpania movit] Ryck. *igitur ubi ſemel in Hiſpania movit illa gravis & luctuoſa Punici belli vis atque tempeſtas.* Sic Florum ſcripſiſſe facile mihi aſſentientur qui non ignorant ſæpius apud veteres hoc verbum *movere* poni, ut multa alia, omiſſo caſu per Ellipſin, qui ad id pertinebat. quod qui ignorarunt *ſe* intruſerunt, vide quæ notavi ad lib. 1, c. 13.

Prætextatus admodum filius] Recte animadvertit Salmaſius *admodum* hic frigere. Eſt quidem apud Juſtin. *bimus admodum* hoc eſt circiter, præter propter bimus, & *menſes admodum ſeptem.* Sed hæc nihil huc faciunt. Vir ſummus J. F. Gronovius conjiciebat *prætextatus modo*, id eſt qui vix prętextam depoſuerat, & prima nunc tirocinii rudimenta deponebat in caſtris patris. quod perplacet, Prętextati enim non facile in caſtra ducebantur multo minus in aciem.

Hic erit Scipio, qui in exitium Africæ creſcit] Legendum ex Ryck. *Hic erat Scipio, qui in exitium Africæ creſcit.* Non futurus erat Scipio qui in exitium Africæ tum creſcebat. Sed ille modo prætextatus, qui patri vitam ſervabat, erat ille Scipio, qui tum adoleſcebat in pernicem Africæ.

Apud

Apud Livium aliter ſe res habet, ubi *erit* legendum, is enim dicit puerum tum primum pubeſcentem, qui propulſaverat periculum, futurum eſſe juvenem, penes quem confecti belli laus ſit futuram.

Quadraginta millium cæde parta nobilitas] Nic. Heinſius malebat: *cæde ei parta nobilitas.*

Illum horrorem ſoli] Ryck. *illum terrorem ſoli.*

Adverſus hęc omnia obverſis] Recepi lectionem Ryck. a Naz. & Salmaſio quoque probatam: *adverſus hæc omnia adverſis.* Sed Nic. Heinſius jubet expungi *adverſus*, durum enim eſſe concurſum *adverſus obverſis*, aut *adverſis.* poſſe autem putat abeſſe *adverſus* elegantiæ cauſſa, ut apud Columellam lib. VIII, 3: *Ornithonis tres continuæ extruuntur cellæ, perpetua frons orientem ſit obverſa.* Ita optimum & antiquiſſimum librum S. Germani habere, vulgo *ſoli obverſa* circumferri. hæc vir Nobiliſſimus. In præcedentibus verbis, *Eurus ab oriente ſemper ad conſtitutum*, non pertinet *ſemper* ad *Eurum ab oriente*, ſed ad *quaſi ad conſtitutum.* Eurus, inquit, ab Oriente flans illum tractum certo diei tempore ſemper quaſi ex compacto infeſtabat. *Quaſi ad conſtitutum* eſt quaſi ita conſtituiſſet cum illo agro, ſic pepigiſſet. Conſtituere eſt paciſci, convenire cum aliquo ut ad certum locum certo tempore veniat. Juven.

*Hic ubi nocturnæ Numa conſtituebat amicæ.*

Semper ad conſtitutum venire, eſt quotidie certa & dicta hora eſſe præſto.

Paullum puduit, Varro non deſperavit.] Hic aliquid excidiſſe judicat N. Heinſius. Si tres, inquit, ultimę litteræ τȣ̃ *puduit* repetantur habebis *vit*, unde *vitæ* facio. *Paullum puduit vitæ.* De Lentulo Sil. Ital. v. 265, qui vulneratus, cum ſe reciperet e prœlo Cannenſi, in Paullum incidit graviter ſaucium:

*Mens abiit puduitque fugæ.*

Sed & ſcribendum: *Varro de rep. non deſperavit.* In *de-*

*ſperavit* habes omnes litteras a me inſertas *de rep.* Sic de Varrone & alii ſcriptores. Inſtar omnium unus Livius bis pari modo lib. XXII cap.ult. & lib.XXV cap.6.

Adarbalem Bomilcaris] Ryck. *Maarbalem Bolmicaris* corrupte pro *Bomilcaris* : Sic etiam nominari a Livio, Jornande & aliis bene viri doctiſſimi monuerunt, qui perperam tamen affirmant in omnibus Flori libris legi *Adarbalem*, ut vides. Nam optimus Ryckianus plane *Maarbalem* præ ſe fert. Idem mox æque ac Nazar. *Hannibal ſi quemadmodum ſciret vincere, ſic uti victoria ſciſſet.* vide Salmaſium. Ceterum N. Heinſius legendum exiſtimat in præcedente loco, quod *Pœnum in illum dixiſſe Adherbalem Bomilcaris.* quia *τὸ illum* illuſtrius aliquod nomen requirat.

Ut dici vulgo ſolet] Hoc eſt, quod vulgo dicunt, quod vulgo jactatur de Hannibalis peccato. Hic ſenſus eſt hujus loci, qui immerito ſuſpectus eſt doctis hominibus.

Ipſe & exercitus ardor elanguit] Malebat Nic. Heinſius *ipſi & exercitui ardor elanguit.*

Hinc illi cognomen novum & reip. ſalutare] Ryck. *Hinc illi cognomen verum & reip. ſalutare.* cognomen verum eſt, quod merito ei propter ſalutarem cunctationem fuit impoſitum, quod conveniebat ejus moribus, & rebus geſtis. Sed pro *Cunctator* N. Heinſius malebat *Cunctatori*, quia ſic Latini ſcriptores amant loqui, quod & ipſe oſtendi ad Juſtinum. Mox idem Ryck. *per Falernos Garganoſque ſaltus.* Male. Garganus enim mons eſt ad more Hadriaticum in Apulia, longe a Campania.

Pepulit in Campania ſua] Ryck. & Pal. *pepulit a Campania ſua.* rectius editi: *pepulit a Campania ſua.* paullo poſt leg. cum Freinshemio: *libertate donata.* Aut forte ſcripſit Florus. *libertate donatos fecerat de ſervitute Romanos. Servitus* pro ſervis, ut *matrimonium* pro uxore, & ſexcenta talia paſſim. *De ſervitute* vel *ſervo* Romanus, eſt ut *de*

*con-*

*consule Rhetor.* Sed Nicolaus Heinsius conjicit Florum scripsisse: *fecerant se de servis virtute Romanos.* Non, addit, debuit dubitare Salmasius.

Cum hostis in jugulo per Campaniam volitaret] N. Heinsio videtur aliquid deesse, & forte scripsisse Florum: *in jugulo reip. per Campaniam Apuliamque volitarent, mediaque de Italia Africam facerent.* In Nazar. abest *jam.*

Nihil illi gentium feritas] Hunc etiam locum in mendo culare N. Heinsius affirmat, quia Sardinia plures populos, unam tantum gentem complecti potuit. Liv. XLI, 16: *Omnes Sardorum populi qui defecerant in ditionem redacti.* Scribebat igitur *nihil illa gentis feritas*, ut in libro III, cap. 3. *donec evicta illa rabies & impetus.*

Eodem quippe, quo obsessa est die, capta est, omenque Africanæ victoriæ fuit] Ter quaterque τὸ *est* iteratur tam hic, quam in proximis prorsus inconcinne. Forte: *quo obsessa est die capta omen Africanæ fuit, quod tam facile victa esset Hispana Carthago.* Deleto *victoriæ*, ut subintelligatur ex sequentibus *vincendæ Cartaginis.* Ipsa scribendi ratio succinctum in Floro dicendi genus requirit, cum epitomen nobis dederit. Omen Africanæ non difficulter vincendæ Carthaginis fuit, quod tam facile victa est Hispana Carthago. Valer. Max. IV, 3: *Scipio cum in Hispania Carthagine oppressa majoris Carthaginis capiendæ sumsisset auspicium.* Hæc Nic. Heinsius.

Aliquando cesserunt] Ryck. *tamen aliquando cesserunt.* non male.

Tarentus ad nos redierat] Ryck. *Idem Tarentinus ad nos redierat.* Sic & Nazar. Probo Salmasii conjecturam: *Pridem Tarentinus ad nos redierat.* Mox pro vulgato, *ut inde totis viribus Romam converteretur*, non inepte idem, *ut ille totis viribus Romam converteretur.*

Sed ab Urbis ipsius mœnibus & Capitolio ferri videretur] Hunc locum pulchre Salmasius restituit. Firmat codex Ryckianus hanc emendationem, nisi quod rotundius & elegantius: *ab urbe* (corrupte pro *nobis*) *ipsius mœnibus*

*nibus & Capitolii ferri videretur.* Nam Capitolina quoque arx fuit munita, quod nec tyrones ignorant.

Cum urbem tantum non adoratam reliquiſſet] Hoc eſt, cum tantum ideo videatur veniſſe ut urbem videret, & mox ſe cum exercitu, cum illam non poſſet capere, converteret & abiret, quaſi adoraſſet. Nam hic erat mos adorantium. Plin. XXVIII, 2: *In adorando dextram ad oſculum referimus, totum corpus circumagimus.* Suet. Vitell. 2: *Idem miri in adulando ingenii, primus C. Cæſarem adorari ut Deum inſtituit, cum reverſus ex Syria non aliter adire auſus eſſet, quam capite velato, circumvertenſque ſe, deinde procumbens.* Liv. V, 21: de Camillo preces fundente: *Convertentem ſe inter hanc venerationem traditur memoriæ prolapſum cecidiſſe.* Sic *adorare citharam* apud Suet. Ner. 21. *adorare vulgum* apud Tacit. In hoc adorationis ritu vertitur acumen hujus argutiæ Flori.

Siquidem Aſdrubal frater Hannibalis] Ryck. *ſiquidem ab Hiſpania Haſdrubal Hannibalis frater.* quod non eſt contemnendum, ſi plures libri adſtipulentur. Ceterum ſequentia etiam verba *cum exercitu novo, novis viribus, nova belli mole veniebat*, multis ulceribus ſcatere N. Heinſius exiſtimat. Nec enim ait ſe videre quid interſit inter *novum exercitum, novas vires, novam belli molem.* Itaque, pergit, aut vitioſam eſſe orationem & inaniter loquacem fateamur neceſſe eſt, cum Florus tamen brevitati in aliis mire ſtudeat, aut locum eſſe interpolatum. Cujus invidia reprehenſionis ut liberemus ſcriptorem politum, non magna mutatione locum omnem ſic refingi poſſe ſum opinatus: *cum exercita novo, novis Liburnis, nova belluæ mole veniebat*, ut nova ſupplementa exercitus, nova claſſis, & elephanti novi deſignentur. Hiſtoriam primo videamus, quam Silius Italicus fuſe perſequitur præ aliis lib. XI. belli Punici. Poſt prœlium Cannenſe Hannibal Magonem fratrem victoriæ nuncium miſit Carthaginem, qui eadem opera a ſenatu nova auxilia flagitaret, hoc eſt militem, claſſem, elephantos inter alia præ-

cipue

cipue, quæ & impetravit, etsi obnitente Hannone, qui exaggerat hoc modo postulata Magonis apud Silium lib. XI v. 566:

*Tela, viros, aurum, classes, alimenta precatur*
*Belligeramque feram: victus non plura dedißem.*

Ubi *victis* malim, vel certe *victus non plura dedisset.* vides viros classem, & feram belligeram. Mox idem Hanno magis ad rem vers. 587:

*Scilicet e gremio matrum rapiamus in hostem*
*Nondum portandis habiles gravioribus armis,*
*Æratas jussi texamus mille carinas,*
*Atque omnis Libya quæratur bellua terris.*

Ubi hæc tria denuo habes, supplementa militis, classem, elephantos. Sed & de elephantis requisitis Mago jam ante vers. 543:

*Desit jam bellua castris*
*Ausoniis terror*

Ubi perperam libri habent editi ac scripti *bellua tristis.* Certe Livius XL. elephantos impetratos scribit. Sed de classe prius videamus, sive *novis Liburnis*, quo vocabulo idem Florus lib. III. cap. 9. usus est, ubi agit de expeditione Cypria Catonis, *Cyprias opes Liburnis per Tiberinum ostium invexit.* Plutarchus in Catonis vita ait hanc ejus classem a triremibus ad hexeres crevisse. Idem testantur scriptores de Actiaca Cæsaris Augusti classe, quam e navibus Liburnis constitisse Plutarchus testis est. Eutropius primo Punico bello a Romanis pugnatum Liburnis asseverat, quæ Polybio sunt *quinqueremes.* Liburnicæ igitur sunt naves bellicæ majores, etsi idem vocabulum de navibus onerariis quandoque in usu fuisse non ignoro. De majoribus quoque illa Horatiana capienda: *Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula.* Vides *al-*

*ta pupugnacula.* Solito minores Liburnis biremes fuiſſe Lucanus ſatis innuit, cum ait:

*Ordine contextæ gemino creviſſe Liburnæ.*

Plinius lib. VI. ep. 16. *Liburnicæ quadriremis* meminit de avunculo ſuo, *jubet Liburnicam aptari*, & mox, *deductam quadriremem aſcendit*, ita enim malo, vel certe, *deducta quadriremi*, quam quod illic nunc circumfertur *deducit quadriremes.* videndus & Vegetius lib. VI, cap. 32. atque ibi Stewecchius. Et hæc de Liburnis. *belluam* pro *belluis* poni non magis mirum, quam Romanum pro Romanis, militem pro militibus, & mille talia. nec novum *belluam* dici elephantum, ut alios omittam lib. I, cap. 18. *mori poſſe belluas oſtenderat.* Apud Curtium quoque *belluæ* pro elephantis paſſim occurrunt. Porro quod *novam belluæ molem* dixit, hic quoque proprie locutus eſt, pro novis belluis. Ipſe Florus lib. I, cap. 18. de elephanto: *omnia circa quaſi hoſtilia gravi mole permiſcuit.* ita enim illic jam recte reſtitutum pro *timore.* & firmat Ryckianus. *turritas moles*, elephantes Silius appellat libro IX.

*Turritæ moles & propugnacula dorſo*
*Bellua nigranti geſtans.*

Ita enim ſcripſi, non *turritas moles.* libro III. dixit idem: *Feræ turrigeræ molem.*

Eodem libro v. 464:

*At gregis illapſu fremebundo territus acres*
*Expavit moles Rhodanus.*

Ubi *atras moles* ſcribe. Et libro IX. idem:

*Nec ferro ſævire ſat eſt: appellitur atra*
*Mole fera, & monſtris componitur Itala pubes.*

Et in Catalectis Pithæanis de elephanto:

*Horre.*

*Horret mole nigra, dente micat nive.*

Claudianus de iisdem lib. III. in laudem Stiliconis:

*Insedit nigra cervice gementum*
*Et fixum Dea quassat ebur.*

De mole eorundem Sidonius Apollinaris descriptione triumphi:

*Grex niger albentes tegeret cum mole iugales.*

Plin. lib. VIII. cap. I. de iisdem: *Visi sunt fessi aegritudine, quando & illas moles morbi infestant.* Curtius lib. IX. de his ipsis: *ubi nec stare, nec fugere potuerint inhabiles vastorum corporum moles. tantae molis bellua* Livio. sic & Seneca aliique. Colum. III. de Re Rust. 8. *India perhibetur molibus ferarum mirabilis. Pari tamen in hac terra vastitate belluas progenerari quis neget? Cum intra moenia nostra natos animadvertamus elephantos.* vide & Liv. XXVII, 19. ubi itidem *moles* & *belluas* conjungit de elephantis, & Curtium VIII, 12. IX, 2.

In ultimos Italiae angulos summovebat Annibalem] Nazar. & Ryck. *in ultimo Italiae angulo summovebat Annibalem.* quam scripturam recte se habere censeo. Nam summovere hostem est arcere. Superius. J. 10: *Postquam hostes undique instantes solus submovere non poterat.* Submovebant itaque & arcebant ibi ab aliis Italiae regionibus invadendis Hannnibalem Romani in illo angulo Bruttio. Verum lectionem etiam a Salmasio constitutam possumus tueri. Nam & hujus sententia probari potest, cum apud Livium legamus *in ultimam aciem submovent.* Sed consensus optimorum codicum me movet, & quod illud, quod recentiores editiones occupat, profectum sit ex conjectura magni viri, non ex libris. Accedit & ratio haec, quod Nero non submoverit Hannibalis exercitum in Brutios, sed quod Hannibalem, cum se jam ante recepisset illuc, retineret, & arceret a reliqua Italia,

Italia, & impedieret ne cum Asdrubalis jungeret exercitu suas copias.

Difficile dictu est] Ryck. ignorat *τὸ est*. paullo ante idem codex *inopinanter*, non *inopinantem* quod vetustiores editiones tenent, tuetur.

Incubantem Italiæ] Ryck. *incombentem Italiæ* pro *incumbentem*.

## CAPUT VII.

NOmine amplius quam spectatione gentis fuit] Egregie hunc locum restituit Salmasius, suffragante Ryckiano. Fama Macedonici belli major erat, quam rebus ipsis populus probabat, quam experimenta populi erant. Spectatio est experimentum. Cic. Act. II. in Verr. *Ex omni pecunia, quam aratoribus solvere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant, primum pro spectatione & collybo.* hoc est probatione nummorum, essent ne idonei & justi ponderis. Sic & *spectatus* est probatus. *spectata virtus* multis documentis probata Terent. And. *Satis jam satis spectata erga te est amicitia mea.*

Qui navibus mari] Hæc lectio debetur ingenio Freinshemii, qui *navibus* sine librorum ope in contextum Flori intrusit, quod nimis temerarium est. Elegantius perplexum hunc locum sic constituit Nic. Heinsius: *Aderant Rhodii nauticus populus: quibus a mari, consule a terris omnia equis virisque quatiente, bis victus rex, bis fugatus.* Omnes MSS. & cod. ante Freinshemianam: *quibus a mari.*

Per abrupta vadentem] *Vadere* de fluvio poëtis ægre concesserim, quibus tamen ire fluvii dicuntur, nedum historicis. Melius Ryck. *per abrupta vagantem.* paullo ante idem codex pro *Chaonum montes* scribit *Acarnanum montem.* Non longe a fine capitis perperam omissa sunt a librariis hęc verba: *quo certavere plausu.*

CA-

# CAPUT VIII.

HOstem populo Romano] Ryck. *Hostem populi Romani.* inferius idem: *ne ibi quidem fiducia loci residentem*, editi: *resistentem*. Sed vulgata non est movenda. mox in eodem libro pro *Themistoclem æquavimus* male scribitur. *Alcibiadem æquavimus*, quamvis & Palatini hoc præ se ferunt.

Ne aliquo ducem genere agere videretur] Lipsius malebat: *ne aliquo dux genere videretur.* Non aspernarer, si libri addicerent. Videtur enim ex *genere* natum *agere*, librariorum culpa, ingratiis Flori, non quod *ducem agere* non sit Latinissimum, sed quod durus admodum sit & auribus valde gravis istarum vocum duarum concursus *genere agere.*

Statim e vestigio itur in Syriam] Hoc bello Romanus exercitus non ingressus est Syriam; sed aut memoria Florum fefellit, aut scripsit, *Statim e vestigio itur in Asiam*, ut Lipsio visum.

Ephesiis Salamina pensavimus] Legendum: *Epheso Salamina pensavimus.* hoc est pugna ad Ephesum æquavimus prœlium Salaminium, sive laudem, quam in Salaminio prœlio Greci sunt adepti. Non enim cum Ephesiis conflixerunt Romani, sed non longe ab Epheso ad Myonesum cum Antiochi classe.

Mæandrum ad amnem montemque Sipylum] Fallitur Florus cum ad Mæandrum posuisse castra tradit Romanos. posuerunt illa ad Magnesiam, quæ ad Sipylum est, teste Liv. xxxv II, 1, 33. Fraudi fuit nostro, quod alia Magnesia fuerit ad Mæandrum, alia sub Sipylo, quas perperam pro una eademque urbe habuit. Hoc erudite cl. Virdungus observavit. Utraque Magnesia nota est tam in Geographorum veterum libris, quam ipsorum mappis.

Adhoc imbre, qui subito superfusus] Nihil videtur turbidi esse in hoc loco nisi animum advertas. Sed non pertinent hæc ad præcedentia, quo vulgo referuntur.

Non enim omnia præpedita sunt imbre, ut magnitudine, sed imber tantum arcus corruperat cum manus conferērent. Vide an non Flori ingenio melius omnia responde ant, si legas: *Sed hæc omnia præpedita magnitudine sua. Ad-hoc imber, qui subito superfusus, mira felicitate Persicos arcus corruperat.* Levis autem est mutatio, duæ tantum litteræ transponuntur.

## CAPUT IX.

SYriaco bello successit, ut debebat, Ætolicum] Reposui ex Ryck. & aliis veteribus libris, ut reponendum etiam vidit Salmasius: *Syriatico successit, ut debebat, Ætolicum.* pro *ut debebat* eædem membranæ, *&* *debebat*, quod & ipsum Salmasius in aliis reperit, nec rejiciendum putat.

## CAPUT X.

ET capitis errore lapsaret] Nazianz. *& capitis jactaret errore lapsaret. Capitis error* quid sit Latinis nemo facile dixerit. Assentior Nic. Heinsii pulcherrimæ & certissimæ emendationi, qui legit secutus ductum vetustissimi codicis: *& capitis jactati fervore lapsaret.* Jactatum caput equitationis motu regem ebriosum reddebat, ut fit, magis ebrium. Tertię & secundæ ante ultimam litteræ in *jactaret* ex subsequenti *errore* natæ sunt eradendæ, ut relinquatur *jactat*, cui *i* littera si subnectatur, quæ sępe in Nazariano solet omitti, habebis *jactati.* & hoc proprie dictum. Liv. XXI cap. 48: *Scipio nec vexationem vulneris in via jactati ultra patiens, & collegam ratus exspectandum.* sic lego e vestigiis Puteanei codicis non *jactantis*, aut *jactanti.* Plura illic ad rem Gronovius, quę videantur. Naso.

*Fessaque*

*Feſſaque jactati corporis oſſa dolent.*

Lucan. *Jactando membra fatigat.*

Sicut *jactari*, ſic & *fervor capitis* eſt proprium hac in re vocabulum.

Horat. Sat. I lib: *Saltat Milonius, ut ſemel icto*

*Acceſſit fervor capiti, numeruſque lucernis;*

Agit de homine ebrio. Nam quemadmodum mare dicitur fervere cum inæſtuat, & nova muſta cum fæcem exſudant, homines denique iracundi cum concitantur, nec ſatis ſunt ſui compotes, ſic & qui ſe vino liberalius ingurgitarunt. Ovid.

*Et fervet multo linguaque corque mero.*

Quomodo is frequenter. Juvenal.

*Cum ſtomachus domini fervet vinoque ciboque.*

Hęc debes patri elegantiarum Nicolao Heinſio.

## CAPUT XI.

GAllogræciam Syriaci belli ruina convolvit] Modus loquendi, inquit N. Heinſius, alias mihi non obſervatus, *ruina convolvit*, pro *involvit*. Excidit, ni fallor, vocabulum: cujus duas priores ſyllabas vox *belli*, utpote ſibi cognatas abſtulit, tertiam *co* in *convolvit*; Legendum N. Heinſio videtur: *Syriaci belli ruina illico involvit.* Reddendum Curtio quoque idem vocabulum libro IX, cap. I. *in colloquium convocaverunt*, ſic codex Modii, reliqui omnes conſtanter *conlocaverunt.* Opinor, *illico vocaverunt.* Paterculo a me reſtituta eſt, Tacito etiam Livioque non ſemel. Livii locus ille nunc ſuccurrit lib. III, cap. 61. *quin illico congrederentur acie, inclinan-*

*nandamque rem ſemel fortunæ darent.* Peſſime *illi* hactenus circumfertur, ſed & e proxime ſubſequenti *congrederentur* duæ litteræ priores ſunt iterandæ, prorſus ut peccabatur apud Florum.

Fuerant inter auxilia Regis Antiochi. An fuiſſent, an cupidus triumphi] Certiſſima eſt Juſti Lipſii emendatio, quam non dubitavi Floro tanquam veram ſcripturam reddere. Pro *an cupidus* legendum quoque cum Salmaſio *ac cupidus*. Sic igitur hic locus eſt conſtitutus: *Fuerint inter auxilia Regis Antiochi, an fuiſſe, ac cupidus triumphi Manlius eos viſos ſimulaverit, dubium eſt.* Sententia hæc plana eſt & indubia. Perperam omiſerunt operæ *τὸ ac* in editione mea.

Cauſſam belli non approbavit] Ryck. *cauſſam belli non approbavit Senatus*, ſic & veteres editiones ante Gruterianam. Primus tamen Gruterus ex editione per antiqua e codicibus Palatinis *ſenatus* expunxit, cum vero id retineat optimus codex Ryckianus, qui raro recedit a ſcriptione omnium antiquiſſimi Nazarianei, & ratio quoque ſtabiliat, nam Senatus probabat cauſſas bellorum & triumphorum, aut improbabat, non video cur ſit ea vox delenda.

Mixtæ & adulteratæ reliquię Gallorum] Nolim hunc locum ſollicitari a viro ſummo. nihil edita lectione purius eſt & emendatius. Gallogræci, inquit, ſunt reliquię Gallorum, qui ſub Brenni ductu infeſtarunt & vaſtarunt Græciam, ſed ſunt reliquiæ mixtæ & adulteratæ, quibus multi Græci & Aſiatici acceſſerunt, inde dicuntur Gallogręci. Non inficias tamen eo in Ryckiano ſcribi: *Gens Gallogræcorum, ſicut ipſum nomen indicio eſt, miſta & adulterata: reliquiæ Gallorum, qui Brenno duce.* Sed vulgata non eſt damnanda. & eam probat etiam N. Heinſius.

Aſiatica amœnitate mollita eſt] Ryck. *in Aſiatica amœnitate mollita eſt*, hoc eſt in illis Aſiæ regionibus amœniſſimis. poteſt hæc lectio ferri.

Utrique fundis ſagittiſque acti] Lipſius conjiciebat: *utrim-*

*utrimque fundis & sagitti detracti.* Ex Jornande pro *acti* reponit *detracti.* Sed N. Heinsius malebat: *utrique fundis sagittisque adacti.* & id verum videtur.

## CAPUT XII.

NAm Marcio Philippo Consule.] Videtur N. Heinsio scribendum: *Tamen Marcio Philippo Consule.*

Per acerbos dubiosque tumulos] De hoc quoque loco non possum non tecum communicare sententiam summi viri & amici Nicolai Heinsii. *Tumulos* istos *acerbos*, inquit, non concoquo, nec *tumulos dubios*. *Ancipites montes* legisse memini, *dubios* nunquam. Nimirum B & V in vetustissimis membranis frequenter confunduntur. id duplici errori caussam præbuit hic loci. Nam *debios* exaratum quod esset, fecerunt inde post *dubios*, cum *devios montes* debuissenr. In altero vocabulo si transponis litteras habebis *abercos*, sive *abersos*, hoc est *aversos*. *Aversi tumuli* a solita via aversi ac remoti, deviique, ut suis verbis Florum interpretemur. Sic *aversam castrorum partem* non modo portam quæstoriam, quæ prætoriȩ respectu erat aversa, & ab altera castrorum parte posita, ut viri eruditi volunt, dixere veteres, sed etiam eam in castris partem, unde exitus non dabatur. Vellejus II, 63: *per aversa castrorum proruto vallo.* Nam si porta illic erat quæstoria, quid opus erat *prorui vallum*, ut exitus daretur? Aliud itaque *aversi montes*, aliud *adversi*. *Aversi montes* ut dicebam, devii & a solito itinere remoti, *adversi*, qui in via occurrunt transeundi, quasi oppositos dicas. Sic apud Nasonem Amorum I El. 9:

*Ibit in adversos montes duplicataque nimbo*
*Flumina.*

Dubitavi aliquando an & huc *aversi montes* essent revocandi, sed membranæ stant constanter pro scriptura vulgata, ut & in illis apud Juven. Sat. v.

*Per montem adverſum gelidaſque cucurri*
*Eſquilias.*

Eſquilinus nimirum mons multa cum difficultate tranſcendendus erat Juvenali amicum ſuum adituro. Sed in illo Naſonis loco Met. XIV, ubi Æneas cum Sybilla ex inferis revertuntur, codices non nulli ex his, quibus uſus ſum, veram lectionem præferunt:

*Inde ferens laſſos averſo tramite paſſus.*

Non *adverſo*, etſi locum curis prioribus in tactum prætermiſi. Ubi *averſus* trames eſt aut via redux, aut infrequens, nec ſolita calcari, cum rari e vivis inferos accedant, quod poſterius placuiſſe video Gronovio quondam noſtro, qui adeundus ad Livii XXIII, 7. Noſter III, 1: *Per invios ad id tempus montium tumulos*, ut recte Salmaſius. lib. II, 7. *invios Chaonum montes penetravimus.* Liv. XXIX, 7. *devii agri.* Et hæc quidem de loco peſſime adfecto. Sequentia etiam fœde depravata ſunt. Quo enim illa repetitio ejuſdem verbi: *acceſſit his conſilium ducis*, & dein *invia* cum *devii tumuli* paullo ante præceſſerint. Deinde Mſſ. *Aſtimidam*, *Aſtiundam*, *Aſterudam*, quo deſignatur Græca inflexione paludem hanc eſſe enuntiandam *Aſcurida*, ſive tu cum Salmaſio *Biſtonida* malis. Sic ſupra *Lacedæmona*. Nec aliter in Græcis ſolent Livius, Tacitus, alii ex hiſtoricis præſtantioribus. Sic lib. IV cum veteres libri habeant *ad gubernatorem amiclatem*, Salmaſius *amiclantem* velit legi. Sed Florus ſi hoc nomen inſertum voluiſſet hiſtoriæ ſuæ *Amyclas* nobis dediſſet. At vero non dedit. Irrepſit enim id glosſema e Lucano, qui de ſuo finxit id nomen, quod hiſtoricos poſteriorum temporum decepit, ut verum & genuinum nomen eſſe crederent. Sic *Elide* lib. II, 16 idem Florus, quod non magis a Salmaſio debuit tentari, quam in iis Naſonianis eſt tentandum Metam. XIV.

Nec

*Nec adhuc ſpectaſſe per annos*
*Quinquennem poterat Graja quater Elide pugnam.*

Nec in lib. eod. cap. 2. *Eryce* manus a Salmaſio ſunt admovendæ. Et lib. IV, 11. non *Leucadam* ferendum eſt, ſed *Leucada* dixit Florus. nec in Græcis tantum, ſed in Latinis quoque interdum id licere ſibi voluerunt, ut meliores ſcripti in lib. I, 16. *Samnitas*. Sed ad rem: *Aſcurida* ex Liv. XLIV, 3 legendum. Nam *Biſtonidam* Salmaſii longius abit a ſcriptis exemplaribus. Sed & *propter* vel *præter Aſcurida* legendum, non enim per paludem, ſed præter eam ductæ ſunt copiæ. Totus locus ſic in ordinem redigendus eſſe videtur: *Tamen Marcio Philippo Conſule eam provinciam ingreſſus populus Romanus, exploratis diligenter acceſſibus, propter Aſcurida paludem, per averſos devioſque tumulos, illa qua volucribus quoque videbatur inacceſſa, regem ſecurum & nihil tale metuentem ſubita belli irruptione terruit.*

Cum alia minatus, alia irrepſiſſet] Nazar. *alia eminatus*. Ryck. melius *cum alia ei minatus, alia irrepſiſſet*. Vir maximus ſcribendum cenſet *cum alias eminatus, alias irrepſiſſet*. a quo hic, quamvis invitus, non poſſum non diſſentire, pro *irrepſiſſet* vet. cod. *irrepiſſet*, unde Lipſius conjiciebat ſcribendum eſſe *irrupiſſet*. Sed verior & elegantior eſt vulgata, ſignificans clam quaſi & inſciis Macedonibus in illorum regionem alia via veniſſe, quam qua ſimulaverat ſe venturum. Similis tranſlatio in *adrepere* apud Tacitum: *Nec quicquam grave ac ſerium ex eo metuas, qui ſuorum ipſe flagitiorum proditor, non virorum animis, ſed muliercularum adrepit.* hoc eſt illarum gratiam aucupatur. Et I. ann. 74: *Cum occultis libellis ſævitiæ Principis adrepit.* eſt ſecretis dilationibus Principis gratiam captat. *Alia minatus* eſt alia via minatus. Iſta ellipſis Græcis & Latinis non infrequens. intelligitur via. Liv. XLIV: *Alii alia in civitates ſuas dilapſi ſunt.* plura exempla paſſim occurrunt. Tuetur vulgatam etiam Heinſius, & ſubintelligi putat *parte.* addit, in Frontini loco, quem producat Salmaſius & tentet, malle ſe, *quo*

*non exspectabatur aditu.* Flori loco non dissimilem esse illum Valerii Flacci lib. IV, v. 292:

> *Emicat, hic dextramque* (leg. *lævamque*) *parat, dextramque minatur*
> *Tyndarides, redit huc oculis & pondere Bebryx*
> *Sic ratus,* (leg. *Irritus*) *ille autem celeri rapit ora sinistra.*

In templum recepit] Merito *templum* tuentur Gruterus, Rupertus, Gronovius. Templum autem aut vocatur ipsum prętorium seu Imperatoris tabernaculum, ut Lipsius censet lib. V. de milit. Rom. dial. 2, aut tribunal in principiis castrorum, quia loca omnia excelsiora, & quę supra alia eminent unde late prospici potest, templa vocantur. Festus: *Contemplari dictum est a templo, id est loco, qui ab omni parte adspici, vel ex quo omnis pars videri potest, quem antiqui templum nominabant.* Livius lib. I: *Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt.* quamvis in his proprie significet locum augurii aut auspicii caussa verbis conceptis finitum. vide & Varronem lib. VI de Lat. Ling. ubi prolixe de vi hujus vocis disputat. Nec hunc locum intactum prætermisit in suis ad me litteris plenis officii, amoris, & doctrinæ magnus noster amicus Nicolaus Heinsius. Salmasianum *tentum*, inquit, pro tentorio non fero. Forte dederit Florus *in tabernaculum*, quod imperitus librarius, qui *tabernaculi* vocem in sacris litteris frequenter meminerat occurrere, *templum* credidit designari, idque vocabulum quodammodo præcesserat, huc importune inculcavit. *Tabernaculi* vox Livio familiaris. possis & *tentorium.* post videtur excidisse τὸ *ac*, *legendum attonitum adhuc, ac tanquam subito malo stupentem.*

Nomenque epistolæ notaret suum] Ryck. *nomenque epistolæ suum.* Sed præstat cum Anna erudita delere *epistolæ*, quia Latinę linguæ genius eam vocem hic respuit. Sed N. Heinsius scribendum putat, *nomenque epistola denotaret*

*notaret suum.* ni malimus *prænotaret*, in ipso initio epistolæ, ut solebant. Glossæ Labbei, *prænoto προσημειοῦμαι.* sed altera scriptura tutior.

Cujus spectaculo triduum impleverit] Leg. *cujus spectaculo triduum impenderit.* Nam implere diem Latinis ignotum loquendi genus est.

Quo victus Perses in Macedonia] Ryck. *quo victus est Perses in Macedonia.*

## CAPUT XIV.

Regium nomen animo quoque regio implevit] Valde blanditur mihi conjectura magni Gronovii, quamvis a Freinshemio repudiata, qui Observat. in Ecclesiast. script. cap. 25. legit: *regium nomen mimo quoque regio implevit*, sed Gronovius per mimum non intelligit habitum, sermonem, gestum, ut Freinshemius ait, sed brevem & fucatam simulatę originis & regalis pompæ turbæque imaginem. Mimum enim docet significare quamvis actionem fictam & simulatam. Proxime ad hunc locum accedit ille Plinii, 16. VII Hist. Nat. cap. 12: *Antiocho regi Syriæ e plebe nomine Artemon in tantum similis fuit, ut Laodice Conjux regia, necato jam Antiocho mimum per eum commendationis regnique successionis peregerit.* Sueton in Othon. *Ne pœna acrior mimum omnem divulgaret.* Hanc emendationem duabus rationibus firmat, et quod Florus paucis versibus post hunc Pseudo Philippum vocet regem *imaginarium & scenicum*, hoc est mimicum, & quod dicat *regem implere*, quod loquendi genus ex scena sumtum idem significat quam *personam regis in ludo bene gerere, agere.* proprie enim *partes implere* dicuntur mimi, histriones aliique Dionysiaci artifices, cum partes sibi impositus agunt. vid. locum laudatum. Nihil mihi certius videtur clariusque hac emendatione.

Invictusque a veris regibus, ab illo imaginario & scenico rege superatur] Hujus loci sanitas debetur Freinshemio,

hemio, qui primus illum infertis vocibus repurgavit, quamvis codex Ryckianus etiam ftet pro vulgata. Lipfius tamen jam olim quoque hoc vitium eft fubodoratus, qui legendum monuit: *invictufque modo a veris regibus, ab illo imaginario & fcenico rege fuperatur.* non male quia τὸ *non* omnes retinent Mff. quod in *modo* refingit.

Hoc quoque illi in malis indulgente fortuna] Ryck. *hoc quoque illi in malis fuis indulgente fortuna.*

## CAPUT XV.

ATque fi quis] Ryck. ut nonnulli alii *at fi quis.*

Sed huic bono focioque regi favebatur] N. Heinfius fcribit: *Et huic bono focioque regi favebatur,* quia *fed* præcefferat.

Cum bellum federet] Nazar. *cum bello cederet.* Inde Nic. Heinfius: *cum de bello federet, de belli fine tractatum eft.* Cum de bello gerendo deliberatum effet.

Ne metu ablato æmulæ urbis luxuriari felicitas inciperet] Optime Ryckianus: *luxuriari felicitas inciperet.* perperam *urbis* repetitur hic, id quod & Freinshemius, & ante Freinshemium Lipfius pridem animadvertit. paulo poft idem codex Ryck. *fpe pacis ingefta.* dein idem: *in armorum officinas.*

Operis portus nudatur] Magnum illud Belgicæ decus J. Lipfius olim Lugduni Batavorum præcepit hunc locum fic effe legendum & diftinguendum: *Mancino deinde legato terra marique fervebat obfidio, operis partitis. Nudatus primus, & fequens & iam tertius murus.* Ingeniofe fateor; non vere tamen. Freinshemius exiftimavit *operis* pro *operibus* poni, aut refcribendum effe *operibus.* Sed non eft ut contra codicum omnium fidem hic quicquam innovemus. *Operis portus nudatus* eft operariis privatus, & vacuefactus. Operæ funt operarii Suet. Vefpaf. 1: *Petronii patrem e regione Tranfpadana fuiffe mancipem operarum, quæ ex Umbria in Sabinos ad culturam*

culturam agrorum quotannis commeare solebant. Horat. lib. 1. Sat. 7: *Accedes opera agro nona Sabino.* Operarii autem hic sunt & qui & custodiunt ac tuentur portum & muros, & qui navant operam defensoribus in apportandis necessariis rebus & sarciendis labefactis operibus vi hostili. Dicitur autem murus & portus operis nudari, ut apud Cæs. de bello Gallico 11, 6 *nudari defensoribus murus.* Si Lipsii emendationem & distinctionem sequaris nihil erit, quo nudatum portum & murum significet Florus. Si Freinshemio assentias, sententia erit absurda, *operibus nudatum esse murum.* Ipse enim murus erat opus. Quid enim opus nisi munimentum loci? Hinc apud Liv. *Urbs magni operis*, aut *magnis operibus munita*, est egregiis munitionibus firmata. Non est ergo ut a lectione priscorum librorun recedamus,

Sed ut quam maxime mortiferi] omnes Mss. omnes Edd. ante Freinshemianam ignorant *ut*, quod, ut loco sententia constaret, intruserunt. Lipsius conjiciebat: *sed quomodo maxime mortiferi esse morsus solent.* Non male.

Portum quoque maris Romanus obsidebat] Merito Freinshemius quærit, quis sit portus maris? legendumque conjicit: *portum quoque Mars Romanus obsederat.* Sed & hoc poëticum nimis, & alienum a ratione, quia jam ante portum obsessum fuisse a Romanis dixit, quippe qui operis sit nudatus ab oppugnantibus. Malim igitur cum Gronovio legere: *portum quoque mari Romanus obsidebat*, hoc est classe. Obsederat ante terra portum Romanus, sed nunc classe quoque obsidet.

Illi alterum ibi portum] Lege: *illi alterum sibi portum ab alia urbis parte foderunt.* Hoc & Lipsio placuisse, & Nic. Heinsio in mentem venisse postea didici. Nam *ibi* & *ab alia urbis parte* parum congruunt.

Sed quia nemo illos hac evadere posse credebat] Fryck. *sed qua nemo illos nec evadere posse credebat.* hoc est portum in alia urbis parte foderant, non ut per illum fugerent,

gerent, ſed ut oſtenderent ſe ibi portum poſſe facere, per quem poſſent effugere, ſi vellent, ubi nemo unquam non modo portum poſſe fieri, ſed ne terra quidem evadere, ſi fugam adornaret, poſſe cogitaſſet. Sed friget hujus loci ſententia, utcunque legas, & acumen ejus eſt valde hebes. Melior tamen eſt lectio ſcripti codicis, quam videtur Lipſius in ſuo quoque codice inveniſſe.

Subito de cineribus flamma] Ryck. *ſubito in cineribus flamma.* paullo ante idem cum pleriſque edd: *Tum interim jam diebus.*

Per continuos decem & ſeptem dies] Ryck. *per continuos x & ſeptem dies.* puto *x* irrepſiſſe. Nam Appianus ſeptem tantum dies arſiſſe Carthaginem auctor eſt.

## CAPUT XVI.

QUaſi ſpectaculo expoſita] Hoc loquendi genus offendit Nic. Heinſium, itaque malebat *ſpeculatui expoſita*, vel *ſpeculatrix poſita.* Loca enim editiora ſpectare potius dicuntur circumjacentem tractum, quam ſpectari: & *ſpeculæ* vocabulum hoc ſignificatu noſtro non eſt ignotum. Sic Clupeam *Africæ ſpeculam* dixit cap. 2. hujus libri. *Ultima Septentrionis ſpecula.* lib. III, 5. ſed illum locum vix ſanum eſſe opinor. quomodo & Columellæ lib. VII cap. 3, *celſiſſima oculorum ſpecula.* Phædrus fab. XXXVI.

*Cæſar Tiberius cum petens Neapolim*
*In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,*
*Quæ monte ſummo poſita Luculli manu*
*Proſpectat Siculum & reſpicit Tuſcum mare.*

Ita opinor, ut recte Gronovius, vel *deſpicit*; neque enim ab anteriore parte ea villa bina maria potuit proſpexiſſe, reſpexiſſe potuit, ut apud Naſonem in Faſtis:

*Reſpici*

*Respicit a tergo summum brevis area Circum.*

i *speculatrix posita* legas, confirmabit hanc conjectu-
ım Papinius lib. II. Silv. 2:

*Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi.*

.t Valer. Max. IX, 8: *Angusti atque æstuosi maris alto e tu-
mulo speculatrix statua memoriæ Pelori collocatum indicium*
?. ubi teste Vorstio codex unus Brandeburgicus *expo-
tum indicium* est, ut legendum sit *exposita* quomodo
ɔud Florum, vel *collocata indicium* est, statua nimirum.
:eterum Florus cum hæc scriberet in animo habebat
:crocorinthum arcem loco editissimo positam, de qua
ım alii, tum Strabo lib. VIII. Plin. Hist. & Liv. XLV
ıp. 28. Mela lib. II, c. 3: *ex summa arce, quam Acroco-
rinthon appellant, maria utraque contuens.* mox *atque pro-
ctum est*, tolle τὸ *est*, & continua cum sequentibus.

Metello ordinanti tum maxime Macedoniam manda-
. est ultio] Probo Zinzerlingii emendationem, qui in
romulside corrigit *ordinanti cum maxime Macedoniam.*
aın *cum maxime* Latinis est in præsenti, hoc tempore,
i multis exemplis cum Zinzerlingius, tum ipse ad Sue-
nium & Tullium ostendi.

Facinus indignum] Ryck. *o facinus indignum*! sic &
ferius idem codex *o fata rerum*! sed sæpe omittitur apud
ıstrum ista exclamandi particula.

Dubium an & manu] Venustior & rotundior erit
:c περιεργὴ si & deleas auctoritatem secutus Ryckiani
odicis.

## CAPUT XVII.

NEc deinde toto orbe quicquid intactum armis fuit
post illa] Ryck. *nec denique toto orbe quicquid inta-
ctum armis fuit post illa.* quod verum puto. Hæc
ɪ.im sententia est hujus loci: Ut Carthaginis excidium
Corinthi

Corinthi interitus, sic Corinthi everſionem ſecutus eſt finis Numantiæ, &, ut uno verbo dicam, in omnibus orbis terrarum gentibus tum bella ſunt geſta a Romanis. Hoc ſequentia oſtendunt. Non enim poſt Numantiam extinctam dicit bellum unum undique fuiſſe, ſed poſt deletam Carthaginem & Corinthum. *Denique* eſt ut ſupra 1, 16: *Nihil mollius cœlo, denique his floribus vernat.* Sic & alii ſcriptores, ut alibi notamus. Sed τὸ *fuit* delendum retur N. Heinſius, cum ſubſequatur denuo.

Sed ſimul pariter quaſi unum undique bellum eſſet] N. Heinſio non videtur ferendum *ſimul pariter.* Itaque totum locum reſcribit: *ſed una pariterque: quaſi unum denique bellum fuit.*

Duo clariſſima urbium incendia] Lipſius cenſuit emendandum: *duo clariſſima urbium excidia.* Sed vulgata non eſt movenda. Capite ſequente: *Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto.*

Inde contagio & ſeries cauſſaque bellorum] Melius Ryck. *inde contagio & ſeries cauſſæque bellorum.*

Omnem citra ultraque Iberum ſubjecit imperio] Hanc lectionem ferri non poſſe viderunt olim viri eruditi. Ineptum enim eſſet omnem provinciam citra ultraque Iberum ſubjecit imperio. Nam ſi provincia fuit, jam ſubjecta erat imperio. Scribendum fuiſſet omnem citra ultra Iberum terram, aut regionem. Sed quomodo Florus ſcripſerit docet Ryckianus, in quo recte legitur: *omnia citra ultraque Iberum ſubjecit imperio.* Verba ſequentia in eodem codice novam inchoant periodum, omiſſa copula, *Primus Romanorum ducum victor ad Gades & Ocean. ora pervenit.*

Ad id temporis liberas gentes; ideo impatientes jugi] Malebat N. Heinſius *ideoque impatientes jugi*, vel *atque ideo impatientes jugi.*

Metellus ille, qui ex Macedonia cognomen meruit cum & Contrebiam memorabili cepiſſet exemplo] Ryck. *Metellus ille qui ex Macedonia cognomen meruerat & Celt-*

*beric*

ricus fieri, cum Trebiam cepißet, ex Persobrigis majore oria pepercit. Sic fere etiam Palatinus secundus. *Celtiricus fieri* habetur etiam in pristinis editionibus. Ex iorum vestigiis sic locum hunc restitui: *Metellus ille, i ex Macedonia cognomen, meruerat & Celtiberius fieri, m Contrebiam memorabili cepisset exemplo & Nertrobris, majori gloria pepercit.* Non recessi hic a veteribus bris, nisi quod *qui* in *cui* mutaverim, quod & Grute- sucurrit, posses etiam in fine, quia in Mss. extat, *Nertobrigis* legitur, scribere: *cum Contrebiam memorabili pißet exemplo, & Nertrobriges, iis majori gloria peper-* Alioquin hiulca erit hæc periodus. Jusseram edi *Me-llus ille, cui ex Macedonia cognomen, meruerat & Cel-erius fieri*, sed operę graviter hallucinatæ sunt cum iderunt: *Metellus ille, cui Macedonia nomen erat, & ltiberius fieri meruit*, quod lector benignus emendabit.

Cum rex fuisset provocatus] Sic Ryckian. cum aliis lis omnibus, quibus invitis in editionibus nunc circumtur: *cum a rege fuisset provocatus.* Mentem quidem ori editores assecutos esse puto, sed non verba, quæ ὀτάνυ Gronovius, qua erat sollertia, feliciter in lucem ocavit, cum scribi jussit: *Cum rex fuißet provocator.* Fcile *or* transiit in *us* oscitantia librariorum.

Juxta tentorium ipsum] Lipsius vult Florum scripsisse *ita tentorium ipsius.* In Ryckiano mox est *cecidisset*, & *fuisset* ut & in editis.

Qui conficiendæ rei cupidus] Cur ejecerint τὸ *quippe* caussam nullam video. In Ryckiano enim & omnibus etis antiquioribus legitur: *quippe qui conficiendæ rei cupidus.*

## CAPUT XVIII.

APud flumen Durium sita] In Ryckiano ut & in aliis libris, docente Grutero, desideratur *Durium.*

Sævius

Sævius aliquando perculit] Lipſio rectius videbatur: *ſæpius aliquando perculit.* non laudo. Sævius perculit Romanos Numantia quam Carthago, aut Corinthus. Mox pro edito *pudendiſque fœderibus affecit* Ryck. *pudendiſque vulneribus affecit.* hoc eſt cladibus, ut ſæpe loquuntur auctores. *Affici clade*, aut *vulnere* nemo neſcit quam bene dicatur, ſed quam bene dicatur *affici fœdere* viderint alii.

Megara viro fortiſſimo duce] Ryck. etiam *Megara victo fortiſſimo duce.* Videntur Salmaſius & Gruterus non abſurde conjeciſſe *Megara viſto fortiſſimo duce.*

Cum ad internecionem ſævire potuiſſent] Ryck. *cum ad internecionem delere potuiſſent.* hoc eſt occidione occidere, ut alii loquuntur.

Ubi hoc non impetrabant] Ryck. *ſed ubi hoc non impetrabant.* quod vulgatæ præfero.

Itaque etiam deplorato exitu] Adde Nazarian. & veteri editioni Ryckianum qui *etiam* æque ut illi ignorat.

## CAPUT XIX.

Reliqua ſeculi] firmat Ryckianus hanc ſcripturam: doctis redditam Floro. N. Heinſius tamen maleba *reliqua ſecuta, ut grandia æque, ita vel magis turbida & fœda.* Paullo poſt idem codex: *quæ etſi juncta inte ſe ſunt omnia atque confuſa.* Cum & in aliis codicibus ſi legatur, merito pridem probarunt crediti editores.

## CAPUT XX.

In bonis regis, hæc fuerant] Ryck. *fuerunt*, ut Salmaſius legendum vidit, ex libris an conjectura ince tum.

Paucas reſiſtentes Myndum, Samon, Colophona recipit) Ryck. una voce auctior eſt: *Paucas reſiſtentes i venit, Myndon, Samon, Colophona vi recipit.* ſed ec tam non ſollicito. dein idem Ryck. *Craſſi quoque prato excidit exercitum.* Latet aliquid ſub hac ſcriptura, q

in aliis etiam libris eſt vitioſa., quod eruendum acutioribus committo. Poſt ex hoc libro ſæpius laudato ſribo, *cuſtodem ſuum* vulgati male *cuſtodem ſui*.

Barbarum virgula excæcat. in exitium ſui, quod volebat, ita concitat.] Lipſius conjicit: *Barbarum virgula excæcat. inque exitium ſui, quod volebat, ira concitat.* N. Heinſius autem: *Barbarum virgula excæcatum in exitium ſui, quod volebat, ita concitat.*

Mixtis nefas veneno fontibus] Ryck. *iniſtis nephas veneno phontibus.* forte; *infectis nefas veneno fontibus.*

---

# LIBER III.

## CAPUT I.

IGitur ſequens ultio mandatur Albino] Hæc ſuſpecta ſunt N. Heinſio eaque interpolata putat a ſciolo neſcio quo. ſubnectit dein: *præſens ultio* dicitur Latine ſcribentibus, quæ maturatur, & ſic Florum hic loci dediſſe arbitror. Nec aliter Liv. XL, 7: *Omnes ſe ire conclamarunt, qui ſpeculatoris abs ſe pulſati præſentem ultionem metuebant.* Sil. XIV, 220:

*Et qui præſenti domitant perjura Palici*
*Pectora ſupplicio.*

Pari modo *pœnam præſentem* habes apud Ciceronem lib. II. de divinat. *præſens periculum* paſſim ſcriptoribus, & *præſens mors.* ita Curtius lib. IX, I. Maro Aen. I. Florus ipſe ſub finem libri primi. Unde fit ut & libro III, 14 apud Florum eundem malim *adeoque præſentis metu mortis exterruit* quam *præſenti.* non enim recordor alibi *metum præſentem* me legiſſe.

Quem prius emerat] hoc est exercitum corruperat. Recepi hanc lectionem cum Anna doctissima, ex Palat. secundo. Vulgo male: *quod primus emerat.*

Thalam gravem armis thesauroque regis] Nec hic Ryck. recedit a Nazar. in quo scribitur: *Thalam gravem armis thesaurosque regis.*

Tamen ut venalis fuisset] optime Nazar. *Jam ut venalis fuisset.* Solent enim hac particula uti in connexionibus, ut ad Justinum ostendi.

## CAPUT II.

MUlto atrocius, & multipliciter magis, & a septentrione] Pall. & Ryck. *Multo atrocius, & multipliciter, & magis a septentrione.* Merito probat Salmasius. Nam aut sic legendum, aut in vulgatis copula ultimo loco posita delenda, ante τὸ *magis.* Nic. Heinsius aliter castigandum arbitratur hunc locum, nimirum: *Multo atrocius & multipliciter magis, ut a septentrione, sævitum.* Ita enim subjicit solere, qui eleganter loquantur. Curtius lib. XII, 2: *Hyrcani egregii, ut inter illas gentes.* lib. IX, c. I. *ad magnam deinde, ut in illa regione, urbem pervenit.* Flor. III, 17. *Drusum matura, ut in tali discrimine, mors abstulit.* Sic ille crebro. Phrenetici enim septentrionis filii aliis gentibus sæviores barbarique magis habiti. Si *Gallia* præcederet, aut regionis nomen aliud, valde hanc emendationem probarem.

## CAPUT III.

CUm in Italiam remigrarent] Qui poterant remigrare in Italiam, in qua nunquam fuerant? Remigramus sive redimus in regionem, ex qua sumus ante profecti. Vitiosa hęc esse verba, quæ in omnibus leguntur tam editis quam exaratis manu, dudum deprehen-

derunt

derunt homines elegantes. Nec dubito quin recte restituerit hunc locum magnus Salmasius, qui scribendum censet *regyrarent*, hoc est reflecterent iter suum ex Hispania per Galliam in Italiam. Invaserant primo Galliam & per eam petebant Hispaniam, sed cum aditus eis in illam non pateret, convertebant iter sua vestigia relegentes, & per easdem terras, quas peragrarant; contendebant in Italiam; hoc est regyrare. Idem vocabulum reposuit ὁ πάνυ in lib. IV, cap. 2. *postremo in Hispaniam regyravit*, hoc est bellum iterum conversum est. Dixerat enim in Italia bellum commissum esse, deinde se in Galliam Hispaniamque deflexisse; cum subjecisset de Epiro, Thessalia, Ægypto, Asia, Africa, tandem addit *postremo in Hispaniam regyravit*, ubi itidem male legitur in editis plerisque *remigravit*, sed *regyravit* ex emendatione Salmasii dudum reposuit doctissimus Freinshemius. Quod & Ryckianus liber firmat; in quo scribitur *postremo in Hispaniam regiravit.* Vidit olim Lipsius quoque, cum Lugduni hunc scriptorem explicaret pro Academica concione, legendum *regyravit.* Hæc tacitus præteriissem, nisi viros χαριεστάτους nondum a Salmasio potuisse persuaderi vidissem, ut ejus subscriberent emendationi, quam his studui reddere probabiliorem.

Quod nequiverunt precibus] Melius Ryck. *quod nequierant precibus.* Mox idem: & *tanta erat capiundæ urbis fiducia.*

In locum, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum, prœlio oppressit] Hunc etiam locum purgavit maximus virorum, Claudius Salmasius, & pridem doctis fidem fecit emendationis suæ, ut in emendatioribus editionibus jam diu refulgeat. Sed nondum tamen est perpurgatus. fœdum etiam nunc mendum ei insidet. Quis enim ferat, *Teutones in locum oppressit*: Ephebi sane norunt dicendum esse; *Teutones in loco, quem aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! proelio oppressit.* Et sic legendum esse præter rationem linguæ Latinæ auctor mi-

hi eſt vetus Ryckianus, in quo ſic legitur, omiſſa tamen præpoſitione: *Prioreſque Teutonas, ſub ipſis Alpium radicibus aſſecutus, loco, quem Aquas Sextias vocant, quo, fidem numinum! prœlio oppreſſit.* Quod & ipſum non improbandum. Sæpe enim *loco* ponitur ellipſi pervulgata pro *in loco*. Sed quoniam alii libri præpoſitionem retinent, non ſuſtinui illam unius libri auctoritate delere. *Teutonas* quoque ſcribi vides in hoc libro pro vulgato *Teutones* aut *Teutonos*.

Viri, inquit, eſtis, en illic habetis] Gruterus malebat, *viri, inquit, eſtis?* Sed N. Heinſius, *ſi viri, inquit, eſtis*. Liv. II, c. 37. *bellum nobis indictum eſt magno illorum malo, ſi viri eſtis*. Lib. XXV, 18. *Si vir eſſet, congrederetur*. Lib. I, c. 41. *Tuum eſt, Servi, ſi vir es, regnare*, quod Naſo Faſt. VI in eadem hiſtoria reſpexit:

*Si vir es, i, dictas exige dotis opes.*

Ubi male circumfertur *indictas*. Idem Liv. lib. I, c. 66. *Sextus Tarquinius mihi ſibique, ſi vos viri eſtis, peſtiferam attulit vim*. Sic & alii frequenter.

Super tropæa ſua eminebat] Sic repoſui ex Ryck. & aliis codd. quos & Salmaſius ſequi præcepit, quem vide.

Tridentinis jugis in Italiam pervoluti ruina deſcenderant] E veſtigiis Nazariani N. Heinſius putat ſcribendum *in Italiam provoluti veluti ruina deſcenderant ad Atheſin: Flumen non ponte, nec navibus, ſed, quadam ſtoliditate barbarica primum corporibus agreſſi. Poſtquam.* Dictys Cretenſis lib. II: *Cum ſuper alium alius ruinæ modo præcipitarentur*. Id. lib. III. *Effuſi ruinæ modo clamorem tollunt*. lib. VI: *Clamore ingenti ruinæ in modum erumpunt*. Curt. III, II: *Tum vero ſimilis ruinæ ſtrages erat.*

In patentiſſimo, quem Raudiam vocant, campo procurrere] *Procurrere* pro confligere nuſquam leges. Sed *concurrere* in hac notione frequens eſt & tritum. Et ſic Ryckianus & optimi quique, ut pridem notavit Salmaſius.

Alta

Altæ desuper quasi e turribus] N. Heinsius mavult, *elatæ desuper quasi e turribus.*

Bojorix rex] Ryck. *Belcris rex.* Hujus loci restitutio debetur Grutero, qui primus ex vestigiis veterum librorum & Plutarcho verum Regi huic nomen restituit, cum male legeretur hic *Beleüs Rex.* Mox idem codex perinde ut Nazar. *quasi in subsidio Noricos insederat tumulos.*

Cum in acie Cimbri succumberent] Prefero Ryckianum codicem, in quo scribitur, *cum in acie Cimbri occumberent.*

## CAPUT IV.

MAre usque venerunt] N. Heinsius mavult: *Mare usque irruerunt.*

Eoque fine contenti] Si hoc fine contenti erant cur indignantes Adriaticum telis petebant? Vides istam sententiam aliud postulare verbum, nisi velit ineptiarum redargui. Nihil autem hic subsidii in veteribus libris. Forte scripsit Florus: *Eoque fine retenti.* Cum illos Adriaticum non fineret ulterius progredi, excandescentes iram suam testabantur jaculis in ipsum mare, quo retinebantur, barbara quadam stultitia missis. Si cui tamen magis arrideat Gronovii conjectura, qui legendum olim censebat: *Eoque fine non contenti*, ei non repugnabo, nam & inferius in capite sexto hujus libri eadem macula obsidet editiones, quam absterfi ope veteris libri. Sic & Heinsium conjecisse postea ex ejus litteris cognovi. Firmat autem hanc opinionem duobus Flori locis. Alter est in cap. 1. hujus libri: *agrorum & vicorum populatione non contentus.* Alter est in cap. 6: *sed nec mari submovisse contentus.*

Litare diis sanguinem humanum] Ryck. *litare diis sanguine humano.* Sed litare pro sacrificare aut offerre apud scriptores temporum meliorum, qui usi sunt oratione pedibus soluta, inveniri non puto. *Litare* enim ut recte notavit Macrobius lib. III, c. 5. *significat sacrificio facto placasse numen.* Plant. Pœn. II, 1.

 Nam

*Nam ego hodie infelix diis me iratissimis*
*Sex immolavi agnos, nec potui tamen*
*Propitiam Venerem facere uti esset mihi,*
*Quoniam litare nequeo, abii illiac illico*
*Iratus.*

Et non longe post:

*Si hercle istud unquam factum est, tum me Juppiter*
*Faciat, ut semper sacrificem, neque unquam litem.*

Suet. Jul. *Dein pluribus hostiis cæsis cum litare non posset.* Hinc & Servius ad illa IV Æn:

*Tu modo posce Deos veniam, sacrisque litatis,*
*Indulge hospitio, caussasque innecte morandi,*

notavit: *diis litatis, debuit dicere. Non enim sacra, sed deos sacris litamus*, hoc est *placamus.* poëtæ tamen non nunquam sic loquuntur, ut Senec. Med.

*Plura non habui, dolor,*
*Quæ tibi litarem.*

Sed apud scriptores probatiores, qui non poëtice loquuntur, hostiæ dicuntur litare. Nam quod apud Suetonium legitur in Othone cap. 8: *victimam Diti patri cæsam litavit* ostendimus in notis ad illum locum, corruptum esse, & ex vetustissimo Memmiano & Roberti Stephani optima editione reposuimus: *victima Diti patri cæsa litavit.* Mallem itaque, quod Gronovio quoque placebat, *libare diis sanguinem humanum*; Tacitus XV ann. *Libare se liquorem illum Jovi Liberatori.* Liv. XXIII: *Idque sacrum vas iis erat, quo sollemnibus libarent.* Virg. Ecl. V.

*Duo rite mero libans carchesia Baccho.*

Paullo inferius Ryck. *Mæotin* maluit quam *Mæotim.*

Silvarum & montium situs cum ingenio consentiebat.] Excidisse propter affinitatem litterarum vocabulum *gentis*

*tis* existimat N. Heinsius, legique jubet: *Silvarum & montium situs cum ingenio gentis consentiebat.*

Perfidum glacie flumen equitatur] Salmasius dubitat sit ne Latinum *equitare flumen.* Atqui Claudianus: *equitataque summi Culmina Taygeti.* Curt. IV, 9 *equitabiles campos* dixit, & lib. VIII, 14: *inequitabiles.* post insere τὸ *&*, *quam quod abscissis manibus relicti vivere, & superstites pœnæ suæ jubebantur.* Sic Latini scriptores solent. Hæc Nic. Heinsius.

Minucius toto vastavit Hebro] Mirum loquendi genus pro omnes gentes ad Hebrum sitas vastavit. Lipsius conjiciebat, *toto vallavit Hebro.* Non probo. Nam & adversatur historiæ & Latinæ linguæ. *Vallari Hebro* possent forte Thraces dici ab hoste, si ab illo cogerentur non trajicere Hebrum, sed intra illius ripas se continere quamvis & hoc valde dure, & improprie: Sed *toto Hebro vallari* quid sit nemo facile explicarit. Non est, ut omnium librorum scriptura convellatur. Virgil. *totis usque adeo turbatur agris.* Simile loquendi genus occurrit superius lib. II, 16: *Critolai manum per patentes Elidis campos toto cecidit Alpheo.*

Piso Rhodopen Caucasumque penetravit] Lipsius censebat emendandum esse *a Rhodope ad Caucasum penetravit.* sed non intellexit vim verbi. Nam penetrare est transire. Inferius III, 10: *Nec semel Rhenus, sed iterum quoque & quidem ponte facto, penetratus est*, hoc est trajectus. Suet Cæs. *Eadem nave thalamego pæne Æthiopia tenus Ægyptum penetravit.* hoc est transiit Ægyptum. Vell. II, 40: *Penetratæ cum victoria Media, Albania, Iberia.*

Curio Dacia tenus venit] Tollo τὸ *venit* inquit N. Heinsius, & paullo ante scribe: *multis ibidem amissis non quidem.*

# CAPUT V.

PONticæ gentes ad ſeptentrionem in mare ſiniſtrum jacent] Sana hæc eſſe nemo, qui attendit, & non rudis eſt artium bonarum, ſibi poterit perſuadere. Quis enim in animum inducat non plane infantem ſcribere: *gentes in mare ſiniſtrum jacent a mari pontico cognominatæ*, cum illud ipſum mare ſiniſtrum ſit Ponticum a quo ſunt cognominatæ, ne dicam de ejuſdem vocis inepta & inſulſa repetitione. Non hoc fugit Lipſium, qui conjecit delendum eſſe *τὸ mare*, & ſcribendum: *Ponticæ gentes ad ſeptentrionem in ſiniſtrum jacent, a Pontico cognominatæ mari.* quod & mihi arridet, niſi forte ſcripſit Florus, *in ſiniſtram jacent.* Ponticæ gentes ſunt Septentrionales, & quidem ad ſiniſtrum latus, ſi qui ex oriente verſus occaſum proficiſcantur, nomen habuerunt a Pontico, quod accolunt, mari. ſi quis vero ex Europa per Aſiam minorem in illum terrarum tractum contendat, aut ex terris occidentalibus, ad dextram hæ gentes Ponticæ in Aſia jacent, unde & dicuntur dextra Ponti incolere aliis ſcriptoribus. Sic eleganter de ſitu Europę Mela II, I: *Per eundem amnem* (Tanaim) *in Mæotida remeantibus ad dextram Europa eſt, modo ſiniſtro latere innavigantium appoſita.* Ubi ſcribendum *ſiniſtro lateri.* dixit *modo appoſita ſiniſtro lateri innavigantium*, quia paullo ante in libro I. cap. 5. ſcripſerat: *Hinc* (ex Oceano Atlantico) *in noſtrum mare pergentibus læva Hiſpania, Mauritania dextra eſt.*

Rex antiquiſſimus Æetas] Sic recte hunc locum correxiſſe doctos viros auctor etiam eſt liber Ryckianus, in quo ſcribitur Oetas corrupte quidem, ſed proxime verum. Vulgati Atheas.

Itaque

Itaque missis Archelao, Neoptolemoque præfectis, :xcepta Rhodo, quæ pro nobis stetit, ceterum Cycla-des Delos, Eubœa] Hunc locum ita correxit ex vetustis odicibus Salmasius, quod amplexæ sunt recentiores edi-iones. In antiquioribus editis legitur: *quæ pro nobis fir-nius stetit ceteris.* In Ryck. *firmius* etiam reperitur. Sane *eterum* hic absurde ponitur, & sine sensu. Veterum igi-ur editionum lectio est retinenda.

Subruto Piræei portu, sex quoque & amplius muris] Ryck. *Subruto quoque Piræci portu, sex quoque & amplius nuris munito.* Sed merito codicum aliorum scriptionem as-eruerunt viri docti. Qui sunt illi sex muri qui subruti sunt Mithridate? Longo tantum muro portum illum fuisse rmatum, (qui duplex erat borealis & meridianus, altus uadranginta cubitos, longus totidem stadia, tam latus t duo currus sibi obvii in illo sine noxa, & alterutrius pe-iculo decurrere possent, Justino dicuntur muri brachia Piræeum urbi jungentia, Græcis σκέλη) ex priscorum monumentis constat. Beda tamen de Nom. locorum in Act. Apost. septemplicem murum hunc portum habuisse ontendit. *Athenæ*, inquit, *civitas in Achaia Philoso-hiæ dicata studiis, &c. cujus Piræeus portus septemplici iondum muro communitus fuisse dicitur.* Hæc Beda hausit Floro, apud quem cum legisset Piræeum sex & am-lius muros habuisse, tradidit septemplicem ejus murum uisse. Sed per sex muros credo Florum intellexisse mu-os interiores transversos, aut potius munitiones intus xcitatas, quibus intra muros illos longos dissepserant il-d spatium, quod brachia muri longi complectebantur, ut na parte capta, alteri, quę novo opere erat munita, ex-ugnandæ viros & tempus impendere cogerentur obses-res. Nostri hodie vocant **affnijdingen.** Hæc vera esse are docet Appianus Alexandrinus de bello Mithridat. am cum narrasset Sullam partem muri Pyræei subruis-

 se,

ſe, Ἀρχέλαος αὐτίκα νυκτὸς τὰ πεπτωκότα τῶν τείχους ᾠκοδόμει, μηνοειδῆ αὐτοῖς πολλὰ παραθεὶς ἔνδοθεν. *Archelaus ſtatim noctu muros collapſos erexit, multis operibus lunatis intus eos muniens*, μηνοειδῆ videntur opera fuiſſe, quorum forma non diſſimilis fuit illis, quę hodie vocatur **Halve maenen** ad ſequitur ſtatim: οἷς ἔτι νεοδομήτοις ὁ Σύλλας αὖθις ἐπιχείρει παντὶ τῷ στρατῷ, νομίζας ἀσθενῆ καὶ ὑγρὰ ἔτι ὄντα ῥαδίως κατερείψειν. κάμνων δὲ ὡς ἐν στενῷ· καὶ βαλλόμενος ἄνωθεν ἐκ τε μετώπου καὶ τῶν κεραιῶν, ὡς ἐν μηνοειδέσι χωρίοις τὸ μὲν ἐπιχειρεῖν ἔτι τῷ Πειραιεῖ πάμπαν ἀπεῖχε τῇ γνώμῃ. *Has tanquam recenter exſtructas oppugnavit Sulla omnibus copiis; ratus infirmas adhuc & humidas eas eſſe & facile poſſe everti. Cum vero fruſtra laboraßet tanquam in anguſtiis, & a fronte pariter & a lateribus infeſtaretur telis, tanquam ex lunatis munimentis, ab oppugnatione omnino deſtitit.* χωρίον eſt caſtellum. Et inferius urbe capta cum rurſus Pyræeum tentaret Sulla. κατήρειψέ τι τῶν μηνοειδῶν, ὑγροτέρου καὶ ἀσθενεστέρου ἔτι ὄντος, ἅτε νεοδμήτου. ὑπιδομένου δὲ πρότερον τοῦ Ἀρχελάου, καὶ προοικοδομήσαντος ἔνδοθεν ὅμοια πολλά, τὸ μὲν ἔργον ἦν τῷ Σύλλᾳ διηνεκές, ἐμπίπτοντι εἰς ἕτερον ὅμοιον ἐξ ἑτέρου. *Subruit aliquid illius operis lunati; quod erat humidum & infirmum, quippe quod nuper poſitum erat, cum vero Archelaus hoc ante providißet, interius multis ſimilibus aliis operibus factis, nullum laboris finem inveniebat Sulla, incidens in aliud aliudque ſimile opus.* paullo poſt vocat τείχη. τοιῶν δὲ τειχῶν κρατῆσαι φιλοτιμούμενοι. *hos muros ſuperare nitentes.* & ſtatim dicitur Archelaus, cum videret ſe non poſſe ſuſtinere impetum Romanorum, & hæc opera tueri, ἐξελιπεῖν αὐτοῖς τὰ τείχη, deſeruiſſe hos muros, & in munitiſſimum Piræei locum qui undique mari cingebatur, ſe contuliſſe. Vides variis operibus fuiſſe munitum intus Piræeum, non ſemper, ſed tempore illo, quo obſidebatur. quod ſi aliter ſenſit Florus & Beza, paſſi ſunt aliquid humani. Cogitavi quidem aliquando per ſex illos muros Florum fortaſſe intellexiſſe duo illa muri longi brachia ſeu latera, Auſtrale & Septentrionale, nec non illum murum

um quo Manychia cingebatur, nam ille portus erat mu-
o firmatus, qui tamen adnectebatur muris Pyræei, & tres
eptos illos portus, sive stationes navium quę in Pyræeo
rant, de quibus Scylax Caryandensis in Periplo, seu qui-
unque antiquus illius Peripli auctor est: Πειραιεὺς λιμένας
χει γ'. *Piraeus portus habet tres*, & Hesych. ἔχει δ' ὁ πειραιεὺς
ιμένας τρεῖς κλειστούς. *Habet Piraeus tres portus clausos*, hoc
st, ut existimo, munitos. Ab his portibus Piræeum tri-
licem dici olim monuit vir incomparabilis, Isaacus Vos-
us ad hunc Periplum, ostendens alterum portum in Pi-
æeo Κανθάρωνα, alterum Ζέαν, appellari. Eodem modo
utem hic sex muris munitum esse Piræeum scribi a Flo-
o, ut superius 11, 6 scripsit Syracusis fuisse triplicem
nurum, quia tres erant Syracusarum partes, Insula,
Tyche, Acradina, singulæ suis muris cinctæ, quamvis alii
ecte quartam addant, Neapolin nimirum. Sed prior sen-
entia verior est.

Cum Eubœa atque Bœotia præsidia Regis dispulisset]
Longe verius Ryckianus: *c. E. a. B. præsidia Regis depu-
lisset.*

Recepit Bithyniam a Rege Nicomede, ab Ariobarza-
e Cappadociam] Conspirant in hac fœdissima macula,
udum a doctis animadversa, omnes libri adhuc visi.
ustus Lipsius rem acu tetitigit, & minima mutatione
uic loco suum nitorem reddidit, scribi præcipiens:
*ecipit Bithyniam a Rege Nicomedes, Ariobarzanes Cap-
adociam.* Alii longius abeunt. Idem etiam visum fuit
olitissimo, &, cum superesset, mihi amicissimo viro Ta-
aquillo Fabro.

Sed quia amiserat, quasi raptam jure belli repetebat]
Lipsius malebat: *sed quia captam amiserat, quasi belli
ure repetebat.* Nulla necessitas hic omnibus codicibus ob-
rependi. Quia cogebatur Asiam reddere, quam occu-
averat, ac si vi ei & injuste esset erepta, vi & armis il-
m sibi denuo vindicabat. In hoc capite superius: *Primus
mpetus belli rapuit Bithyniam.* N. Heinsius concinnius es-
se,

ſe, ſi ſcribatur, *quaſi ſibi raptam.* Plane etiam aſſentior Annæ χαριεστάτῃ, cenſenti *&* *Europa* hic eſſe a ſciolo infarta, cum Florus tantum loquatur de Aſia, ut ex ſequentibus liquet.

Mari terra fluminibuſque veniebat] Hic quoque ut ſupra *veniebat* nimis leve putat verbum eſſe N. Heinſius, ſcribendumque *irruebat.*

Cum ex mora obſidentem regem fames, & ex fame peſtilentia.] Debetur laus loci hujus reſtituti non libris, ſed ingenio maximi Salmaſii. Nam Ryck. & alii omnes: *cum ex mora obſidentem regem fames, ex fame peſtilentia urgeret.* Cum nulla eſſet horum verborum ſententia editores *&* intruſerunt. Sed verum vidit ὁ πάνυ, cui merito applauſerunt recentiores editores. N. Heinſius tamen conjicit ſcripſiſſe Florum: *Mox clade converſa, cum exorta obſidentem regem e fame peſtilentia urgeret.* ἰυστόχως hercule! Mox contra eoſdem libros doctiſſimus Freinshemius bene quoque correxit: *apparatuque belli gravem.* Dein *Pompeio ſuo* firmat etiam Ryckian.

Statim ponte navibus facto] N. Heinſius ait ſcribendum: *ſtatim ponte e navibus facto.* inferius idem vir magnus his verbis expungendum cenſet *voluit*, & cum reliquis jungi, *Campaniam noſtram ſubito adventu terrere, Colchis tenus juugere Boſporum.*

At in Septentrionem Scythicum, iter tanquam in mari ſtellas ſecutus] Malit N. Heinſius: *At in Septentrione Scythico iter tanquam in mari ſtellas ſecutus.* Alludit ad Helicen & Cynoſuram Septentrionis ſtellas navigantium duces. quę Salmaſius adfert nimis longe ſunt quæſita.

Regemque Colchorum Orodem] Scribe: *Regemque horum Orodem.* nimirum Albanorum. Sequentia docent: *Orodem etiam remuneratus eſt, ultro ab Albania ſua lectulum aureum, & alia dona mittentem.* Appiano in bello Mithridatico vocatur Ὀρόιζης. Ὀρόιζης δ' ὁ τῶν Ἀλβανῶν βασιλεύς. *Orezes Albanorum Rex.* Sed in fine ejuſdem libri, vocatur Ὀρίζης Ἀλβανός. *Orizes Albanus*, forte corrupte

pro

ro Ὀρόδης. Sicut in eodem libro corrupte Ὀτωκ@
Ϲήρων depravate fcribitur; cum tamen recte alibi ab eo-
em Ἀρτώκης Ἴβηρ appelletur. Colchorum fane regem, qui
)thalces dicebatur, non videtur remuneratus effe Pom-
ejus, quippe quem in triumpho duxit. Orodes vero effe
omen Orientalibus populis ufitatum nemo ignorat, qui
'arthorum res geftas legit.

Vidit illud grande impiæ gentis arcanum; fub aureo
item cœlo] Hæc non eft librorum veterum fcriptura;
:d Lipfii conjectura, quam receperunt editores nuperi.
/ere tamen illam damnarunt viri fummi Salmafius & Sel-
enus; ille in notis adhunc locum, hic lib. 11, cap. 8 de
ure Naturæ & gentium fecundum Hebræos. qui often-
it in templo Zorobabelico nullam fuiffe vitem, fed in
lerodis, fed nec illam pertinuiffe ad penetrale templi
ınctiffimum, de quo hic Florus agat: nec vitem illam
ıream poffe dici arcanum, quippe quæ in fronte templi
ı omnium oculis fuerit expofita. Vitem autem Arifto-
uli auream, quam donarit Pompejo Ariftobulus fuiffe
ımelium domus Hafmonæorum, quod nunquam in
:mplo fuerit dedicatum. quod & Rupertus & Jacobus
'apellus monuerunt, oftenderuntque hanc vitem ab
riftobulo ad Pompejum dono miffam fuiffe antequam
lierofolyma effet ingreffus. Ryck. cum reliquis omnibus,
*ıb aureo uti cœlo.* Cœlum Salmafius & Lipfius volunt effe
ὐρανίσκον. Sed quis Latinorum vocabulo *cœlum* fic ufus
t, uti Græcis ὐρανίσκος accipitur? Locus eft corruptus.
ui fanari poffit incertum eft. Vides enim ut maximos
ros exercuerit. Mihi num propitius fuerit Apollo in in-
:nienda vera ejus lectione, tu, erudite lector, exiftimabis.
:ripfiffe autem Florum cenfeo: *vidit illud grande impiæ
ıntis arcanum patens fub aureo utique velo.* Intravit adytum
mpli, quod Sanctum Sanctorum vocatur, & vidit in illo
ıhil nifi patens fpatium, feu inane, cui oppanfum erat
:lum aureis filis pictum. *Arcanum patens* eft quod Ta-
tus V. 5, *vocat nulla intus deum effigie vacuam fedem, &
inania*

*inania arcana.* Velum quod prætendebatur penetrali fuit quidem, ut non uno loco docent Josephus & Philo, hyacintho, bysso, cocco; & purpura variegatum, sed & auro fuisse excultum ex Josepho quoque constat, qui lib. VI Halos. c. 15: ἡ δὲ τὸ ἔνδυμα τῷ στέρνῳ ποσηλῦσα ζώνη πέντε διλωθισμένη ζώναις πεποίκιλο, χρυσῦ τε καὶ πορφύρας, καὶ κόκκυ, πρὸς δὲ βύσσυ, καὶ ὑακίνθυ, δι' ὧν ἔφαμεν, καὶ τὰ τῦ ναῦ καταπετάσματα συνυφάνθαι. *Pectoris autem vestimentum vitta cingebat, quinque variata coloribus, hoc est auri, purpuræ, cocci, byssi, & hyacinthi: quibus etiam vela templi diximus esse contexta.* Nostra emendatio quam propè accedat ad priscorum librorum scripturam nemo non videt. Libri habent *uti cælo. que* revulsum fuit librarii oscitantia ab *utique*, & a sequente syllaba earundem litterarum absorpta, quod vitium est frequentissimum; ex *que lo* ortum est *cælo.* Hæc mea de hoc loco sententia. Arcanum patens, seu inane adyti describit etiam Josephus VI, 14, ἔκειτο δὲ ὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ ἄβατον δὲ καὶ ἄχραντον καὶ ἀθέατον ἐν πᾶσιν. *Nihil prorsus in illo penetrali erat positum, inaccessum vero erat, inviolabile, & quod a nemine videri poterat.* Seldenus tuetur lectionem veterum codicum, *sub aureo uti cælo.* Grande arcanum esse putat ipsum Sanctum Sanctorum, quod a Pompejo visum, patuisse sub aureo cœlo, seu se oculis introgressi Pompeji admodum splendide ac magnifice exhibuisse, sub tentorio seu concameratione aurea cœlum imitante, seu instar tentorii atriive aurei cœli nomine notissimi, quod summæ dignitatis ac magnificentiæ caussa Principibus Supremis maxime Orientis, ut hodieque aliis sit in usu. Hæc est Seldeni sententia. Sed apud Latinos *cælum*, ut apud Græcos ὐρανίσκος pro tentorio & atrio, sub quibus Principes Asiatici sedere solebant, non usurpari jam supra monuimus. Deinde *uti* sic poni, ut hic positum est, nemo Latine sciens probaverit. Novi illa *fugit uti cervus*, *furit uti Thyas* & similia apud Horatium, sed *vidit arcanum patens uti sub cælo aureo* respuunt aures Latinæ. N. Heinsius conjiciebat: *sub aureo utique tholo.*

Ari-

Ariſtobulo, quia renovabat eam rem, catenas dedit] Sic quidem Palatinus unus, & Ryck. & editio vetus: Sed libri alii & editiones non nullæ *quia renuebat eam rem.* quod non erat immutandum. Non quidem tam accurrate narrat Florus hanc hiſtoriam, tanquam in epitome, & quidem in qua ſæpe hallucinatur, ut Joſephus: ſed tamen ſententia liquida eſt. Ex lectione autem quam reduxit Gruterus, & qui illum ſequuntur, quam ſententiam colliges bonam? Quam rem enim novavit? Num diſſidium inter ſe & fratrem? Nunquam hoc extinctum erat & ſopitum. Regnare juſſit Hircanum Pompejus. Et quia renuebat eam rem Ariſtobulus, & nolebat Pompejo obſequi, in vincula conjectus eſt, & in iis Romam ductus. N. Heinſius malebat, *Ariſtobulo, quia res novabat, catenas addidit.* Ovid.

*Adde manus in vincla meas, meruere catenas.*

Aut ſi hoc malis: *Ariſtobulum, quia res novabat, in catenus dedit.* Lib. III, c. IV: *Unum ex Regibus Cavillanis in vincula dedit.*

## CAPUT VI.

MIthridatis prœliis Aſia] Ryck. *Mithridaticis prœliis.* Sed *bellis* eadem manus delevit. *Mithridaticis* editiones vetuſtiores omnes oſtentant, quod neſcio cur damnarint recentes, quamvis tanti non ſit, utro modo legatur.

Ac primum duce Iſidoro, contenti proximo mari] Mare proximum eſt mare Cilicium, Pamphilium, Lycium, Carpathium: ſed mare Ægæum, & omne quod inter Ægyptum, Cyrenen, & Græciam eſt, quomodo poteſt proximum mare dici non video. Legendum ex veſtigiis Ryckiani codicis: *ac primum duce Iſidoro non contenti proximo mari.* Superius II, 5: *populationibus non contenti.*

*contenti.* Sequens syllaba in *contenti* earundem fere litterarum voculam absorpsit. Nihil certius hac emendatione Sic & superius cap. 4 restitui *eoque fine non contenti*: Ante Isidorum contenti fuerunt proximo mari, sed Isidoro duce alia etiam infestarunt maria.

Piræeum & Achaiam] Delendam esse vocem *Piræeum* & Statius vidit, & Gruterus Mss. fidem secutus jussit qui affirmat in nullo vetustorum codicum, præterquam Palatino tertio eam reperiri, & ipse Flori contextu ostendit. Cur enim huic soli voci nulla præmittitur copula ut præcedenti & sequentibus? Ne dicam, quod monet Salmasius, inepte portus inter provincias memorari Præterea Piræeus erat portus Achaiæ. Tum enim Achaia dicebatur, quę veteribus erat Hellas. Deleatur ergo in posterum ex omnibus editionibus.

Missusque in eos Publius Servilius] Ryck. *missusque Publius Servilius*, nisi quod pro *Publius* corrupte scriptum sit *populus*. Mox idem: *nec mari subvenisse*. editi, *nec mari submovisse* & quidem verius.

Sic ille quoque ante felix, dignus nunc victoria Pompejus visus est] Sententia hujus loci est inficeta & insulsa si non transposueris verba, ut a Floro fuerant posita, & postea a librariis labefactata & perversa. Inepta enim est consecutio: *Ille ante quoque felix dignus nunc victoriæ videtur.* Si vis Flori manum videre, scribe: *Sic ille ante felix Pompejus, nunc quoque dignus victoria visus est* Nic. Heinsius huic loco sanitatem redditam esse putat scribatur: *Pompejus Dis visus est.* Liv. 1, 10: *ita deinde Dis est visum.* Naso: *non ita Dis visum est.*

Mithridaticæ provinciæ factus accessio] Ridiculum est mendum Salmasius ὁ πάνυ ait, & vere ait. Nullum enim commodam sententiam ex his verbis efficias. Sed non ejus ratio, qua huic loco medetur, potest probari. R scribit: *& Mithradicæ provinciæ facta est accessio.* quæ illa res, quæ facta est accessio Mithridacicæ provinciæ Num victoria qua dignus visus est Pompejus? Nemo hoc dixer

dixerit. *Nam dignus victoria est visus* significat dignus visus est qui vinceret. Si Florus scripsisset expeditio in piratas Mithridaticæ provinciæ facta est accessio, nihil moveremus. Sed verba quæ præcedunt hanc correctionem respuunt. Præterea in omnibus libris veteribus *factus est* legitur non *facta est*. Mihi itaque persuasit vir summi ingenii & dignitatis Nicolaus Heinsius, intercidisse hic voculam culpa librariorum, & forte inscitia correctorum, legendumque: *& pirata Mithridaticæ provinciæ factus est accessio.* hoc est bellum piraticum, quod elegans loquendi genus pluribus asseruit in notis nuperrimis ad Vellejum Paterculum. Præter illa exempla in castigationibus Vellejanis allata, hæc quoque in epistolam ad me datam conjecit. Florus lib. IV, cap. 8. ubi de Sexto Pompejo: *O quam diversus a patre! ille Cilicas extinxerat: hic se pirata navalis agitare.* ita liber Nazianzenus. Salmasius, inquit, nec conjecturam suam mihi approbat, nec interpretationem de piratis navalibus. Si permittis mihi ut inseram huic loco τὸ *prædas*, a librario perperam omissum, omnia erunt expedita. *Hicce pirata prædas navalis* (pro *navales* antiquo more) *agitare.* Est autem Sallustianum *prædas agitare*, ut nostri. Respexit & illa Lucani sui Florus, qui eodem modo de hoc ipso Sexto:

*Polluit æquoreos Siculus pirata triumphos.*

Aquam terramque incolendi] Ryck. *aquam terramque collendi.* leg. *colendi. colere* enim veteribus sæpe idem est quod *incolere* Liv. XXIV, 49: *Maurusii extremi prope Oceanum versus Gades colunt.* Justin. II, I: *Ægyptus autem nihilominus coli, nisi excluso Nilo non potuerit.* hoc est incoli, habitari. Plaut. Pseud. I, 2: *Hunccine hic hominem pati colere juventutem Atticam* hoc est habitare hic. Sic & *cultor* pro incola Justino XLIII, I: *Italiæ cultores primi Aborigines fuere.* Phædrus lib. I. *Sus nemoris cultrix*, quæ in nemoribus habitat. Recondita significatio τοῦ *colere*, quam ignorarunt aut librarii, aut editores, locum.

locum hunc corrumpendi caussa fuit, ut notius *incolend.* supponeretur. Inferius recte Ryck. *quasi portam obseravit*, quod merito tuetur Salmasius.

Quicquid piratarum fuit] Ryck. *quicquid piraticum fuit* Mox *versus est* & hic codex ignorat, ęque ut alii.

Quia oppressi erant ausi videbantur] Scribe cum Nic Heinsio: *quia oppressi erant ausuri videbantur.*

Quod supplicantium signum fuit] *Fuit* N. Heinsius redundare putat.

## CAPUT VII.

SI vera volumus noscere] Ryck. *Si vera velimus noscere*, & mox, *favisse Mithridati videbantur.* N. Heinsius malebat, *si vera volumus agnoscere*, quod est, si vera volumus fateri.

Deditionem suam ad Pompejum absentem mitterent Nicolao Heinsio hoc durius dictum videtur, putatque Florum scripsisse: *Deditionem suam ad Pompejum remitterent.* Negarent se alteri, præter Pompejum, dedituros.

Et cum ille res in Asia gerens, eo quoque præfectum misisset Antonium, in aliena provincia inclytus fuit Ryck. *Cum ille rex in Asia gerens, eo quoque præfectum misisset Antonium, in aliena provincia iratus fuit.* Copula & rectius omittitur sed *quoque* delendum etiam est, pende alioqui sententia & repugnant emendate loquentium consuetudini. Doctissimus Rupertus bene tuetur lectionem quam non nulli libri præferunt: *in aliena provincia irrisus fuit.* Non enim clarus factus fuit in aliena provincia, sed ludibrio & irrisui se exposuit, ut ex Plutarcho docet. Hæc περικοπή igitur sic refingenda: *Cum ille res in Asia gerens, eo præfectum misisset Antonium, in aliena provincia irrisus fuit.*

Lasthene & Panare Cydopæ ducibus] Forte *Cydonæ ducibus*, inquit, Nic. Heinsius. Sic *Cydoneæ pharetræ* juvent

*juvencæ Cydoneæ* Nasoni, Maroni *Cydoneum cornu.* deinde pergit: inconcinnum illud *victis victor redit*, ut expungenda videantur *victor redit* Sic totus locus constituendus. *In hostes jus victoriæ exercuit, victis Lasthene & Panare Cydoneis ducibus. nec quicquam amplius tamen de tam famosa victoria, quam cognomen Creticum reportavit.*

## CAPUT VIII.

PEr idem tempus] Mallet Lipsius: *per id tempus.*

Subito impetu terruere] Ryck. *subito impetu terrere.* possis explicare, sed vulgata vera est.

Ingenti lapidum saxorumque nimbo] Ryck. *ingenti lapidum saxorum nimbo.* Videtur *lapidum* esse interpretatio τῦ *saxorum*, & ex margine irrepsisse in contextum. Mox idem codex bene, *nisi quem ipsa monstrante percußerit.*

Expertique rostra, & ipsa venientia] τὸ *venientia* corruptum videtur. an? *sævientia* aut *ingruentia.* Sic Nicol. Heinsius.

Dilapsique in proximos tumulos] Ryckianum codicem qui copulam omittit, hic quoque prætulerim vulgato. sed & distinguendum cum illo. *Clamore sublato petierunt fuga littora. Dilapsi in proximos tumulos quærendi fuerunt ut vincerentur.*

## CAPUT IX.

INsulam veteribus divitiis abundantem] Lipsius ingeniose legendum conjiciebat quod & doctissimę fœminarum incidit, *insulam veteribus deliciis abundantem.* Quia hoc videtur ratio poscere, quam subnectit: *& ob hoc Veneri sacram.* Nam hæc assertio annon claudicabit. *Dives est, ideo Veneri sacra est.* Hoc etiam Freinshemius ille pereruditus animadvertit, qui conjicit legendum esse & *adhoc Veneri sacram.* Cui assentior, non solum quia

codicis Ryckiani vestigia eo ducunt, in quo scribitur: *ab hoc Veneri sacram*, sed & quia quid aut *veteres deliciæ* sibi velint non intelligo. Si Florus voluisset delicias insulæ laudare, non addidisset *veteres*, id enim absurdum est. Nec Romani tam delicias captabant, quam divitias, qui voluptarias possessiones sociis relinquebant, utiles vero & fructuosas sibi vindicabant. De Romanorum avaritia non repeto querelas quæ apud ipsos Romanos scriptores passim reperiuntur, & dudum congessere belli homines. Non possum etiam Ruperti conjecturam hic præterire, qui putat verborum ordinem hujus loci librariorum vitio esse perturbatum, qui sic debeat componi: *Insulam Veneri sacram, & ob hoc veteribus divitiis abundantem, Ptolemæus regebat*, quia divitias has Cyprias pepérint anathemata & dona Regum & gentium, quod cum ex Tacito tum aliis scriptoribus asserit. Non inepte hercle, nec invenuste. Sed quia tamen a veterum codicum scriptura longius abit hæc suspicio, Freinshemianam sententiam magis probo. Non deliciis insulæ, sed divitiis fuisse sollicitatos Romanos sequentia clamant. Ideo enim divitiarum toties meminit Florus hoc perbrevi capite, ut ostendat solas divitias caussam fuisse hujus belli. Sic enim rationem init. Quamvis Veneri esset sacra Cyprus, quamvis a Ptolemęo socio regeretur, tanta tamen erat divitiarum ejus fama, ut victor gentium populus Romanus qui, donare regna consueverat, illam invaserit sine ulla justa caussa, & propter has opes socii vivique Regis hereditatem contra jus fasque confiscarit. Inde majores opes Romanum in ærarium ex hac insula importatas esse ait, quam ullo alio triumpho. Florus hallucinatur. Verius enim Strabo lib. XIV. odio Clodii in Regem Ptolemæum hoc tribuit bellum, qui a piratis captum Clodium noluerit redimere. Quamvis faces populo ad hanc legem jubendam, qua confiscatio bonorum Ptolemęi mandabatur, subdiderit divitiarum fama & cupiditas. Ptolemæus autem iste fuit Ptolemæi Aule-

tæ,

cæ, qui & Dionysius dictus est, frater, Ptolemæi Soteris, qui & Lathurus appellabatur, filius. Solebant autem filii natu minores a Regibus Ægypti mitti in Cyprum, ut illam insulam regerent, cum natu majores Ægypto præessent.

Victor gentium Populus] Ryck. *Victor gentium populus Ro.*

Quæ res latius ærarium populi Romani, quam ullus triumphus implevit] Pro *latius* Lipsius *lætius*, perperam. Sed malit Nic. Heinsius *cumulatius*. Noster tamen lib. IV, cap. 2: *ut latius vinceret Cæsar.* sed ita & *late victor* dicitur.

## CAPUT X.

VEnere sedes petitum] Ryck. cum aliis, *sedem.* inferius idem quoque codex, *Edui de incursionibus eorum querebantur*, pro *Hædui*, firmans veram lectionem a Salmasio revocatam. Sed ejus codicis auctoritate delevi etiam τὸ *enim.*

Quasi gregres in stabula pastor deduxit] Præstat *reduxit*, ut sentit N. Heinsius.

Conjuratione facta invenere legatos] Lipsius conjecit: *conjuratione facta invasere legatos.* Mox pro *Dolabella* idem vir magnus censet reponendum esse *Tito Labieno*, aut errorem esse ipsius Flori, quod Anna quoque monuit. Sed in loco præcedente N. Heinsius malebat: *circumvenere legatos.*

Cottam cum Titurio Sabino legato ibi amisimus] Num solus Titurius fuit legatus? Nihil sane aliud hæc verba præ se ferunt. Cotta tamen æque legatus fuit ac Titurius. Atque olim monuit vir summus J. F. Gronovius, cujus memoria mihi semper erit sanctissima, ut omnibus esse debet, quibus interiores litteræ sunt curæ, legendum esse. *Cottam cum Titurio Sabino legatos ibi amisimus*, idem in mentem venit N. Heinsio. Ignorarunt interpolatores venustum loquendi genus, veteribus frequens; qui

 Cot-

Cottam cum Titurio dixerunnt pro Cotta & Titurius, ut apud Virg. 1 Æn:

*Remo cum fratre Quirinus*
*Jura dabant*,.

Hoc eſt Remus & Quirinus jura dabunt? In Codice Ryck. ſcribitur *Marcum Cottam.*

Nec ulla de rege mox ultio] Lege: *nec ulla de rege noxæ ultio. Mox* non poteſt ferri. Nam nulla ſubſecuta eſt unquam ultio, ne ſera quidem, cum *perpetua trans Rhenum fuga latuerit*, ut ſtatim Florus teſtatur. Tacit. XI annal. 22: *Interea Romæ nullis palam neque cognitis noxæ cauſſis Cn. Nonius* (ſic Medicæus liber non *Novius*) *eques Romanus ferro accinctus reperitur in cœtu ſalutantium principem. Nam poſtquam tormentis dilaniabatur de ſe noviſſime confeſſus conſcios non edidit.* Scripſi primo *noxæ cauſſis* pro *mox cauſſis.* deinde *noviſſime*; perperam *Novius* iterabatur in vulgatis. *Confeſſus* e codice Rodolphi Agricolæ eſt, cum hiatum hic aliæ membranæ oſtentarent. Poteſt & abeſſe, ut *de ſe noviſſime* referatur ad τὸ *edidit* Et eſt vocabulum *noxæ* Tacito in frequenti uſu. Hanc etiam obſervationem de his Flori & Taciti locis, debe[o] Viro Perilluſtri Nicolao Heinſio, quem & vide de vocabulo *noxa* ad Vell. lib. 1, cap. 10. ubi pluribus in loci[s] eam in *mox* degeneraſſe oſtendit.

Num ego me interpono Romanis] Ryck. *Non ego m[e] interpono Romanis.* Mox idem: *tantus gentis terror in caſtris*, omiſſo *novæ.*

Cum ſe veluti teſtudine barbarus tegeret] Hæc quoque N. Heinſio ſuſpecta ſunt, qui ſcribendum judicat: *cu[m] ſe veluti vallatum teſtudine barbarus tegeret*, quia revera teſtudo erat, qua ſe barbarus veluti vallaverat. non long[e] poſt idem cenſet excidiſſe *viſa* in illis verbis: *Tantum pavoris incuſſit intra ripam ſubito Romana vis viſa.* In libri[s] enim *viſa* non extat abſorptum a præcedente vocula ea[] rundem litterarum.

Qua[]

Quasi hic Romanus orbis non sufficeret] Sic reposui ex codice Ryckiano, qui diserte sic scribit, ut scribendum esse vere & εὐςόχως conjecerat Salmasius. *Romanus orbis* est Romanum imperium.

Classe igitur comparata Britanniam transit] Multa hic reciderunt viri insignes. Ryck. & ceteri Mss: *Britanniam petit. In Britanniam transit.* Non nego hic abundare voces, sed nullas præter *in Britanniam.* Sic enim legendum & distinguendum. *Classe igitur comparata Britanniam petit. Transit mira celeritate.* Huic *transit* magister adjecerat, in Britanniam, hoc postea irrepsit in contextum.

Auctisque admodum copiis] delevi *admodum* auctoribus libris, quos Salmasius vidit, quibus accedit Ryckianus. statim in hoc ipso quoque legitur Cavelianis. Optime Freinshemius: *e regibus Cassivelauni.*

Quasi terrore] N. Heinsius, ex codice Palatino qui præ se fert *nomine adque terrore etiam composito*, elicit hanc emendationem: *nomine adæque in terrorem etiam composito.*

Conciliabulis] Recepi hanc lectionem, quam Ryck. & omnes melioris notæ codices tuentur & Salmasius. rejecto correctorum *comitialibus* substituentium commento.

Sed ille qualis erat ad nuncium rei felicissimæ temeritatis] Hujus etiam loci restitutio verissima debetur magno doctori nostro Gronovio, qui pulchre vidit legendum esse: *Sed ille qualis erat ad nuncium,(rem felicissimæ temeritatis!) per invios ad id tempus montium tumulos. Qualis erat ad nuncium*, est quo in habitu erat cum nuncius conjurationis Gallorum ad se perferretur. *Qualis erat* eodem sensu ponitur ac illud *sicut erat, ut erat. Rem felicissimæ temeritatis!* interposuit Florus admirans, ut sæpe solet in admiratione, omissis tamen exclamandi particulis, proh! o! Inferius cap. 21. *Nam Sulmonem vetus oppidum socium atque amicum (facinus indignum!) nondum expugnatum.* Et cap. 3. *quo (fidem numinum!) prœlio oppressit.* Et 1,11: *Sic expeditione finita rediit ad boves rursus triumphalis agricola,*

 (*fidem*

(*fidem numinum!*) *qua velocitate?* Exempla plura legenti hunc ſcriptorem occurrent paſſim. Nic. Heinſius præterea in ſequentibus *vias* delendum vidit, & legendum: *per invios montium tumulos; intactas nives expedita manu emenſus. vias* natum cenſet ex *invios* precedenti: *intactæ nives* ubique apud poëtas occurrere. Mart.

*Et toga non tactas vincere juſſa nives.*

Sic Heinſius. & recte. Nam *emetiri terras, montes* Latine ſcientes dicunt, *emetiri per loca* quid ſit nemo intelligit. Recte Palat. ſecundus: *per intactas nives expedita manu emerſus*, quod probat & pluribus vindicat Frienshemius, quem vide.

Habes, inquit, fortem virum vir fortiſſime, viciſti] Huic loco ſanitatem reddidit Rupertus. qui accurrate hæc verba legit, facile deprehendet, valde frigere τὸ *habes*. Quis enim hac voce ſic poſita non utitur, addito quid habeat? Dein quam nullum acumen in hac ſententia habes meas phaleras & arma. Legendum itaque ut vir ille doctiſſimus præcepit, *Habet. Fortem virum, vir fortiſſime, viciſti.* Idem eſt *habet* τῷ victus eſt. Noſti illud Comici *Habet. captus eſt.* Proprie dicebatur de gladiatoribus, qui vulnerati erant, Ad τὸ *habet* enim intelligitur *vulnus*, quod elegantiores non ignorant, & pluribus docet Donatus ad Terentium. Transfertur deinde ad illos, qui aut ipſi fatebantur ſe periiſſe, & in grave malum incidiſſe, aut quibus exprobrabatur hæc calamitas ab aliis. Senec. Herc. *Habet, peractum eſt, quas petis, pœnas dedit.* Virg. XII Æn.

*At fervidus advolat haſta*
*Meſſapus, teloque orantem multa trabali*
*Deſuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:*
*Hoc habet, hæc melior magnis data victima divis.*

Vide ibi Servium. Prudent.

Hoc

*Hoc habet, exclamat victrix Regina,*

Quem locum perperam sollicitant. N. Heinsius malebat: *Habe inquit*, scilicet arma projecta. ut apud Maronem:

*Arma quibus lætatus habe tua.*

## CAPUT XI.

CUm Zeugma transisset] *Cum ad Zeugma transisset.* paullo post Ryck. *Massaræ Syro.*

Undique hosti exponeretur] Cur non *exponitur* scripsit Florus? Sic sane scribendum erat. sed excidit particula, quam ex Ryck. repone, ut verba hæc integrentur: *ut undique hosti exponeretur.* Sic enim scripsit Florus: *dum in mediam camporum vastitatem eodem duce ductus exercitus, ut undique hosti exponeretur.*

Sic miserabili strage deletus exercitus] Ryck. *Sic proh! miserabili strage deletur exercitus.* dein idem: *in Armeniam, Ciliciam, Syriam distractæ*, sine copula.

Caput ad Regem reportatum] Quando fuit ablatum ut reportandum fuerit? Optime Ryck. *Caput ad Regum deportatum. Sic deportare victoriam* veteres dixerunt, pro quo vulgus nunc *reportare victoriam.* Ceterum cum hic de ludibrio capitis Crassi recisi loquatur Florus, nullus dubito quin verba, quæ paullo ante præcesserunt: *Sic quoque relatum caput ludibrio hosti fuit* a mala manu fuerit inserta loco valde alieno, eaque sint delenda.

In rictum oris infusum est.] Ryck. *in rictum oris effusum est.* forte. *offusum est.*

## CAPUT XII.

ARmenios & Britannos] Ryck. *Armenos & Britannos.* ut a Germania Germanus, sic ab Armenia Armenus.

Ac nescio an satius fuerit populo Romano Sicilia & Africa contento fuisse] Egregie in hanc sententiam ipsa Roma apud Claud. de bello Gihidanico:

*Heu prospera fata!*
*Quid mihi septenos montes, turbamque dedisti*
*Quæ parvo non posset ali? felicior essem*
*Angustis opibus. mallem tolerare Sabinos*
*Et Vejos. brevior duxi securius ævum*
*Ipsa nocet moles. utinam remeare liceret*
*Ad veteres fines, & mœnia pauperis Anci.*
*Sufficerent Etrusca mihi, Campanaque culta,*
*Et Quincti Curiique seges, patriæque petenti*
*Rusticus inferret proprias dictator aristas.*

Hinc & Nazar. in Paneg: *Quo major Roma, eo miserabilior.*

Quam luxu fecerat] Sic in omnibus libris calamo exaratis & omnibus excusis haberi Salmasius prodit. Ryckianus tamen cum plerisque editionibus: *quam luxus fecerat.* Nec tamen hunc librum tot aliis obduco; sed hæc noto ut cognoscatur vulgatam lectionem non tam ex editorum ingenio, profectam esse, quam ex libris nonnullis vetustis, quos tamen illis non præfero.

Unde regnaret judicariis legibus divulsus a Senatu eques] Optime Freinshemius ex editione vetere reposuit *regnaret*, cum in omnibus aliis editionibus, & Mss, sicut & in Ryckiano, pessime legeretur *regnare.* Reliqua ex veteribus membranis bene constituit Salmasius, cui adstipulantur Ryckianæ.

## CAPUT XIII.

R
Ecipere plebem jus suum] Quod nam erat illud jus, quod eripuerant plebi nobiles? Agros & possessiones qui jus possint dici, quamvis jure habeantur, e quidem

equidem nullus video. Hoc & Fridericus Gronovius plurimos ante annos recte observavit, ac censuit scribendum esse: *recipere plebem rus suum*, hoc est suos agros. Agit enim de legibus agrariis. Inferius in hoc capite: *reduci agros unde poterat sine possidentium eversiones?* cap. sequ. *quia depulsam agris suis plebem miseratus est.* Nicolaus Heinsius ejusdem est sententiæ, sed præterea recte vidit aliquid excidisse, ac forte Florum reliquisse: *rus suis possessum a patribus.* quod valde blanditur. Non enim soli patres tenebant avitas plebis possessiones, sed & equites, & multi opulenti homines plebei.

## CAPUT XIV.

QUacunque mente rem ausus ingentem] Huic loco laboranti inter punctione vitiosa sanitatem reddidimus.

Ne populus gentiam victor] Ryck. *ne populus Romanus gentium victor.* Inferius idem: *cum Capitolium profugisset.* & tandem in fine capitis: *quasi jure occisus est*, alii *oppressus est.*

## CAPUT XV.

JAmque nimius & potens altero tribunatu) Præclare Nicolaus Heinsius monuit legendum esse: *Jamque nimius & impotens altero tribunatu.* Vell. II, II, de Mario: *Immodicus gloriæ, insatiabilis, impotens, semperque inquietus.* Apud nostrum lib. I, 23. *Prima discordia ob impotentiam fœneratorum.*

## CAPUT XVI.

IN familiam ipse se adoptabat) Lipsius malebat: *in familiam ipse se adoptarat.*

Directæ in foro aciei] Ryck. *directa in foro acie.* Paullo

lo post: *Tum vero conspiratione Senatus.* Sic Lipsius scribendum censuit, deleto τὸ *jam.*

## CAPUT XVII.

PEculabantur suo jure rempublicam) Hoc est corripiebant & furabantur pecuniam publicam, nemine impediente. Superius lib. 1. 17. *Captisque superioribus jugis in subjectos suo jure detonuit.* ubi vide quæ notavi.

Unde & nata Livio Druso æmulatio accesserat] Mirum hoc ulcus intactum reliquisse tot eruditos editores qui huic scriptori tantum olei operæque inpenderunt. Sane si attendissent, non potuissent non improbare genus loquendi Latinis auribus inauditum. Quis enim conjungit hæc, *ex his rebus nata Livio Druso æmulatio accessit.* Aut quis dicit *huic ex hac re nata accessit æmulatio?* Nullus dubito quin *accesserat* sit interpretatio τοῦ *nata*, quæ ex margine a magistro adscripta intrusa est in contextum, ex quo, si salvum velimus Florum, ejicienda est, legendumque; *In hoc statu rerum pares opibus, animis, dignitate (unde & nata Livio Druso æmulatio) equitem Servilius Cæpio, Senatum Livius Drusus asserere.* Sæpius scioli & indocti voces quasdam interposuerunt, ut & aliis in locis ostendimus, & in hoc ipso capite non unum exemplum occurrit. Nicolao Heinsio, quo cum de hoc loco egeram, commodius videbatur, si τὸ *accesserat* mutaremus in *exarserat* interjecto τοῦ *&*, nec tamen prorsus necessarie. Legebat igitur: *Unde & nata Livio Druso æmulatio exarserat. Tanta exarsit ambitio* apud Liv. III, 33.

Signa aquilæ & vexilla aderant: Ceterum sic urbe in una quasi in binis castris dissidebatur] Quid hic *ceterum?* Hac vocula utuntur cum ad aliam narrationem transeunt, non in eadem periodo, de eadem re loquentes. Si illam expunxeris, Floro sua constabit integritas. Ideo signa, *aquilæ, & vexilla aderant* ut in urbe pugnarent æque ac in

in campo de principatu. Equidem *ceterum* hic alienum eſt.

Reos ambitus Scaurum & Philippum principes nobilitatis elegit] Nec hoc fert Latina lingua *reum eligere*. Rectius editiones nonnullę: *reos egit*.

Plebem ad ſe Gracchanis legibus, eiſdem ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit] Pal. & Ryck. *Plebem ad ſe Grachanis legibus evocavit, ſocios ad plebem ſpe civitatis erexit.* Damnat hanc lectionem maximus virorum Salmaſius, & vulgatam non eſſe ſollicitandam præcipit. Inviti diſſentimus ab eruditorum Principe. Sed lectio vulgata quid ſibi vult? Quid eſt *ad ſe plebem erigere*; & *ſocios ad plebem erigere*? quis ita loquitur? Vidit Lipſius etiam abſurditatem hujus ſcripturæ, qui olim in cathedra Leidenſi monuit in vetere. ſuo libro pro *eiſdem* ſcribi *advocavit*, & pro *erexit* legendum eſſe conjicit *allexit*. Sed Ryckianus & Palatinas veram nobis ſcripturam ſervarunt, priorum dumtaxat verborum. *Evocare ad ſe plebem* eſt concitare plebem ad arma capienda nullo habito delecta. Nam proprie dicitur evocatio, ut de tumultu, cum, ut notat Donatus ad Eunuchum Terentii, *Dux alloquitur cives: Qui rempublicam ſalvam eſſe vultis me ſequimini.* Veterani etiam qui ſine tumultu ſollicitantur a ducibus, & ex agris ad arma non conſcribuntur evocati dicti ſunt. Suet. Aug. 7: *Adfuit & clentibus, ſicut ſcutario cuidam, evocato quondam ſuo, qui poſtulabatur injuriarum.* Sed evocatos quis ignorat? Cic. Pro Rab: *De te ipſo, inquam, Labiene, quæro, cum ad arma Conſules ex ſenatuſconſulto evocaſſent.* Sic enim recte ibi veteres libri. Hinc & ab hominibus ad res transfertur. Cic. de fin. *probitatem præmiorum mercedibus evocatam.* Id. x ad Att. 8: *Sed ſuper hac re nimis; ne meam ipſe συμπάθειαν jam evocem.* Totum itaque locum ſic conſtituendum puto: *Plebem ad ſe Grachanis legibus evocavit, eiſdem ſocios ad ſpem civitatis erexit.* cap. ſequ. *Ad quam ſpem eos cupidine dominationis Druſus erexerat.* Cum excidiſſet in nonnullis libris vox *evocavit*, labes illa

illa ſecuta eſt, conjunxerant tum *erexit ad ſe plebem*, inde neceſſario inſerendam eſſe crediderunt vocem, ut poſteriora verba prioribus reſponderent, ad quam etiam ſocios erigerent; Nullam autem invenerunt aptiorem ut poſteriora verba prioribus reſponderent, quam quæ in ſuperiore verſu legebatur, *plebem.* hoc ſenſu, niſi fallor, ad plebem aggregabat ſocios ſuis legibus Grachus, ſed inepte hercule, & perquam abſurde. *evocavit* probat quoque N. Heinſius, ſed ſequentia hoc modo refingit: *eiſdem ſocios ad plebem additos ſpe civitatis erexit.* τὸ *additos* nimirum vult inſeri, quod exciderit.

Aderat promulgandi dies] Errat Florus. Non promulgandi, ſed rogandi ſeu ferendi legem dies aderat. Promulgata jam antea lex erat. Mox merito inſolentiæ accuſant hoc loquendi genus *obrogare de legibus*, omnes enim ſcriptores idonei, & ipſe Florus malunt *obrogare legibus.* Nam obrogare legi eſt & legem priori legi contrariam ferre, ut *obducere alicui alium.*

Si verum tamen volumus] Aliquid deeſt, opinione N. Heinſii. Forte addendum *noſcere*, ut ſuperius cap.7.

Socii flagitavere] Ryck. cum optimis membranis: *ſocii flagitare.*

## CAPUT XVIII.

ITaque cum Tuſciæ civitates quas viribus auxerant ſocii, juſtiſſime poſtularent.] Hæc in pleriſque editionibus ſic leguntur ſine ſenſu. etiam recentiſſimis Amſterodamenſibus. Stadius bene reſtituit: *Itaque cum jus civitatis quam viribus auxerant*, *ſocii juſtiſſime poſtularent.* quod merito in ſuam quoque recepit Freinshemius N. Heinſius in *Tuſciæ* præterea latere putat *ejus*, ſcribitque: *Itaque cum jus eius civitatis, quam viribus auxerant.* Viri illuſtris ſententiam firmat Vellejus de eadem re loquens II, 15: *Quorum ut fortuna atrox, ita cauſſa fuit juſtiſſima, petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur.*

Conti

Contra matrem ac parentem ſuam urbem] Ecquod diſcrimen inter *matrem ac parentem*? Perinde eſt ac ſi dixiſſet *contra patrem & parentem ſuum conſurrexit.* Non poſſum in animum inducere tam ineptæ ταυτολογίας Florum reum eſſe, & quidem in tanta brevitate. Ne dicam duram admodum ἐπεξήγησιν eſſe: *contra matrem ſuam urbem.* Fallor aut Florus ſcripſit: *contra matrem ſuarum urbium*, ut ſuperius, hoc eſt contra metropolin Italiæ. cap. 7. hujus libri: *urbium matrem Cydoneam.*

Umbros totus ſenatus & conſules] Sic Ryck. & omnes Mſſ. poſſis explicare conſules & ſenatus ille, quem Corfinii ex ſuo corpore crearunt. Sed merito hunc locum mendi ſuſpectum habuerunt viri Doctiſſimi Joannes Freinshemius, Tanaquillus Faber, & ante utrumque Juſtus Lipſius, Faber conjecit legendum eſſe: *Vettius Cato Samnium*: Lipſius vero: *Titus Egnatius Etruſcos.* Hic quidem proxime libros. Sed unde exſculpſerit prænomen *Titi* non exputo. Nam ab aliis omnibus vocatur Marius Egnatius, qui Venafro per proditionem capto duas Romanorum cohortes delevit. Et ſic forte legendum: *Marius Egnatius Etruſcos.* Nobiliſſimum ſane hoſtium ducem vocat epitome Livii lib. xxv, quem non credibile eſt Florum præteriiſſe ſilentio, cum ignobiliorum nomina prodiderit. Etruſcos tamen ſunt qui civitate donata Romanorum a partibus ſtetiſſe tradant, ſed aliter ſenſit Florus. Hinc inferius: *Cato diſcutit Etruſcos.* Ceterum Faber vidit *ut* non ſuo loco poni in editis, recteque cenſuit ſcribendum: *ut cum regum & gentium arbiter populus ipſum ſe regere non poſſet, victrix Aſiæ Europæque a Corfinio Roma peteretur.* Aliter hunc locum etiam conſtituit Rupertus, ſed ſagax hic non fuit.

Ecce Carſeoli, reſeratæ, Nuceria, & Picentia] Ryckianus liber firmat Salmaſii emendationem quam recepi. In eo enim ſcribitur: *Ecce Carſeoli, reſerare Nucerie, Picentia.* copula etiam in hoc libro, quæ præcedit in editis τὸ *Picentia* melius omittitur.

Miſe-

Miserabili funere mediam etiam urbem perviam fecit] Hæc est librorum veterum scriptura, nisi quod pro *funere* in Ryck. *fune* & pro *etiam* *&* habeatur, unde non nemo suspicetur legendum esse *fine* pro morte. Sed nihil novandum. Ingenium Lipsii laudo, Florum tamen scripsisse puto: *Miserabili funere per mediam etiam urbem viam fecit*, hoc est suo funere per mediam urbem semitam fecit quasi cruentam. Sanguinis in vias, per quas deportabatur, ex cadavere delapsi vestigia, viam vocat, inepta quidem κακοζηλία sed quæ tamen ab ingenio Flori non est aliena. Germana huic κακοζηλία est in lib. I, 14: *In confertissima se hostium tela iaculatus, novum ad victoriam iter sanguinis sui semita aperiret.*

Manibus tot exercituum consularium, direptarumque urbium diis litaretur] Ryck. *Manibus tot exercituum, consulum, direptarumque urbium diis litaretur.* quod ex suis quoque libris probarant Salmasius & Lipsius, qui præterea censet primam sequentis capitis vocem huc revocandam esse, & scribendum: *direptarumque urbium diis litaretur utcunque.* εὐςόχως.

## CAPUT XIX.

Utcunque etsi cum sociis, nefas! cum liberis tamen & ingenuis dimicatum est] Ryck. *Et cunque & cum sociis.* Sed æque hæc mendosa sunt ac edita. Quis hic locus est τοῦ *utcunque*? Quid sibi vult *utcunque dimicatum* est? Non sane utcunque, sed acerrime dimicatum est. Si scripsisset Florus, posset utcunque ferri bellum istud, quod etsi cum sociis, nefas! cum liberis tamen gestum est, non hæreremus. Sed hanc sententiam ex his verbis nullis fidiculis extorqueas. Itaque Lipsio consentio, qui hanc vocem ad finem præcedentis capitis rejicit, ut ibi notavi.

Civium Romanorum] Firmat hanc lectionem Ryckianus. Mox vero Lipsius *Hinc ad cultum agri* pro vulgato

*hi*

*hic ad cultum agri.* hoc eſt ideo in illa feraci terra multa habebant ergaſtula & mancipia Romani. Dein pro *mox jure belli* Ryck. *ex hoc jure belli.* quod non improbem. Primo collegit fanaticis illis ritibus duo millia hominum, ex illo tempore tanquam imperator exercitus jure belli refregit ergaſtula. Sibi arrogabat imperatoriam dignitatem ac jus belli. Eſt & hoc inter obtuſiora Flori acumina. ſed vulgata quoque ferri poteſt.

Caſtra prætorum; nec nominare ipſos pudebit, caſtra Manilii, Lentuli, Piſonis; Hypſæi] Non opus eſſe ut *caſtra* poſteriore loco repetatur, jureque eam vocem perperam iteratam eſſe adſentior Nicolao Heinſio.

Per fugitivarios diſtrahi] Sic Ryck. & omnes veteres libri & editiones ante Freinshemianam. Illa prima & recte quidem, ſive ex ingenio, ſive ex libro quodam, nam mutationis nulla in notis mentio, *retrahi* habet.

Quum fame quaſi peſtilentia conſumſiſſet] Si Florus ita ſcripſit, putide ſcripſit. Sed malunt eruditi viri librariis hoc adſignare. Lipſius ſuſpicatur legendum eſſe: *qua fame, qua peſtilentia conſumſiſſet.* Tanaquillus Faber: *quum fame, ex qua peſtilentia, conſumſiſſet.* quod minus recedit a libris veteribus.

Tandem Perperna imperatore ſupplicium de eis ſumtum eſt] Satis frigida periodus, inquit N. Heinſius. Aut fallor, aut Florus voluit, *ſupplicium, ut de reis* (vel *de eis*) *ſumptum eſt.* Sequentia id evincunt, & ſic ſub finem capitis forte reſcribendum putat idem, *circa deprehendendum reum multitudo contendit.* Claud. de Maximo & Eugenio tyrannis a Theodoſio Magno victis:

*Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos.*

Reliquias compedibus & catenis religavit] Copulam, quam recentiores edd. interpoſuerunt, ignorant omnes veteres libri tam editi quam manu ſcripti. Vereor ut compedibus ſit interpretatio τȣ̃ *catenis*, & ex margine irrepſerit

V

rit in contextum. Hinc *catenatos cultores*, ſuperius dixit mancipia, quæ in ergaſtulis cuſtodiuntur.

Cum ſtatim a ſervis & a Syro, reditur ad Cilicem] Non integrum eſſe hunc locum obſervavit N. Heinſius. Nulli enim hic exprimuntur, ad quos redibatur. A Syro quidem ad Cilicem reditur, ſed a ſervis ad quos reditum fuit? Opinatur inde vi ſententiæ adactum Florum ſcripſiſſe: *Cum ſtatim a ſervis ad ſervos, & a Syro reditur ad Cilicem.*

Suppliciorum metu] Sic & Ryck. quod merito probavit Freinshemius. ſed quia in Nazar. *ac* interſcritur, Salmaſius & N. Heinſius collegerunt ſcriptum fuiſſe a Floro: *ſuppliciorum metu acti.*

Dum circa deprehendendum eum multitudo contendit] Ryck. & alii Mſſ. *dum circa ad deprehendendum eum multitudo contendit.* Quod non fuit repudiandum. *Circa deprehendum aut capiendum contendere* Latinis ignotum eſt. *Circa aliquem eſſe, circa ſe habere* bene dicitur ut & *circa aliquem pugnare.* Sed *circa aliquem capiendum, occidendum contendere*, non admittit purior ætas Latinæ linguæ. Veterum itaque librorum ſcriptura retinenda eſt. *Circa* abſolute ponitur, pro circa eum, ad eum capiendum. Liv. IX. *Nam & circa omnia defecerunt unde ſubvehi commeatus poterat.* Inferius IV, cap. 12: ex emendatione noſtra, & Nicolai Heinſii: *Natura regioni circa omnis aurifera.* de quo loquendi genere plura notavit vir ſummus in notis ad Vellejum Paterculum. *Deprehendere* vero eſt ſubito & inopino aliquem opprimere, non capere in prœlio, ut ſciunt Latine docti. Legendum itaque aut cum Lipſio *adprehendendum*, aut cum Tanaquillo Fabro *prehendendum.*

CA

# CAPUT XX.

NAm & ipsi per fortunam in omnia obnoxii) Lipsius *& ipsi* volebat expungi. T. Faber malebat: *Nam etsi ipsi*; ex utriusque sententia vera scriptura conficitur. *Etsi* scribendum, ostendit quod sequitur *tamen.* Sed offendit aures & sententiam hoc *ipsi* isto quidem in loco. Sine ullis salebris fluet oratio si scripseris: *Nam etsi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quasi secundum genus hominum sunt.* Sic Florum scripsisse puto. *Per fortunam in omnia obnoxii* non est sollicitandum. hoc enim dicit Florus etsi fortuna eos addixit servituti, per quam omnia coguntur ferre, ac omnes pati injurias ac contumelias sunt tamen homines, licet deteriores. Phædrus:

*Servitus obnoxia*
*Quia quæ volebat, non audebat dicere,*
*Affectus proprios in fabellas transtulit.*

*Secundum genus hominum* sunt homines inferiores, & quasi deterioris notę. Sicut apud Hesiodum in ἔργοις δεύτεροι δαίμονες, quos Seneca ep. cx. vocat *inferioris notæ*: *Unicuique nostrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, sed hunc inferioris notæ, ex eorum numero, quos Ovidius ait de plebe Deos.* Idem Seneca ep. 92 hominem vocat animal pulcherrimum & *diis secundum.* vide quę de hoc loquendi genere notavi in lectionibus Hesiodeis.

Hi pessimam auxere ludibrio calamitatem) Fatua est sententia horum verborum. Recte monuerunt Freinshemius, Virdungus, T. Faber, legendum esse *hi pessimæ, auxere ludibrio calamitatem.* Id quoque vidit olim J. Lipsius.

Servisque ad vexillum vocatis] Ryck. ut multi alii: *Servisque ad vexillum & auxilium vocatis.* Unde Joannes Fridericus Gronovius perquam sollerter colligebat Florum

rum dediſſe: *ſerviſque ad vexillum & pileum vocatis*, hoc eſt ad libertatem. Sueton. Tib. 4. *ſerviſque ad pileum fruſtra vocatis in Siciliam fugit.*

Cum triginta amplius ejuſdem fortunæ viris] N. Heinſio non placet *viris*. Mſſ. *ludis*. quod proceſſit, forte *propudiis*, quo vocabulo Plautus, Petronius, alii utuntur. Certe, addit, latet quid contumelioſæ vocis, quod ex præcedentibus ſatis liquet. Ne illud quidem mox ei placet: *prima velut ara viris mons Veſuvius*. Malit *ara juratis*, pro conjuratis, ut apud Naſonem:

*Primaque juratis induis arma viris.*

Prima velut arena] Sic contra librorum omnium fidem edidit Freinshemius conjecturæ ſuę plus juſto tribuens, quod & in editione noſtra ſecutos eſſe typographos doleo. Non eſt codicum antiquorum & ſimul editorum lectio hic interpolanda. Eleganter Veſuvium, in quem ſervi fugitivi ſe receperant, vocat aram. ſolebant enim ſervi cum graviter deliquiſſent ad aras fugere. Plautus Rudente III, 3.

TR. *Ne, inquam, timete, aſſidete hic in ara*: AM. *Iſtæc quid ara*
*Prodeſſe nobis plus poteſt*, &c.
TR. *Sedete hic modo: ego hinc vos tamen tutabo[r] aram habete hanc*
*Vobis pro caſtris.*

Crebra exempla apud Comicos occurrunt. Hinc *aram ſu[...] parare* de ſervo apud Teren. Heaut. v, 2, 22. eſt ſuffi[...]gium. & ad alia quoque transfertur, ut quodvis ſit pe[r]fugium. Ovid. v. Triſt. el. 7.

*Quæ patuit dextra firma ſit ara mea.*

Cic. v. Verr. *Hic locus eſt igitur unus quo perfug[i]unt, hic portus, hæc arx, hæc ara ſociorum.* Florus dic[it] Veſuvium fuiſſe velut primam aram, primum locu[m] perfugii, in quem ſe receperint illi ſervi fugitivi, ad pileu[m] & vexillum vocati. Nic. Heinſius malit: *Prima velut a[...]*

*furori*

*furoris*, Liv. VII, 34: *Conspicit unum editum in saltu collem, & videsne tu cacumen super hostem? arx illa est spei salutisque nostræ.*

Exitu invio] Nazar. *exitu in uno.* Cur damnamus? τὸ *in* eleganter redundat. *exitu uno* una eruptione. *in unum exitum spectans.* Cic. de Orat. etsi diverso non nihil sensu.

Inde alia castra. Deinceps coram totamque pervagantur Campaniam] *Deinceps coram* depravata esse pridem viderunt homines politi. Ryck. & alii cum multis edd. *Deinceps Thoram* J. Lipsius suspicabatur. *Inde alia castra Varinii, totamque pervagantur Campaniam.*

## CAPUT XXI.

UT jam ipse intra se parricidiale bellum stringeret] Mirificum loquendi genus *intra se bellum stringere*, quod dudum advertit doctos editores & interpretes. Assentior Lipsio, qui Lugduni olim monuit legendum esse: *ut jam in se parricidiale ferrum stringeret*, quod & N. Heinsio placebat. aut: *ut jam contra se parricidiale ferrum stringeret.* Decus sui sexus Anna Tanaquilli filia vidit etiam *ferrum* esse legendum. Ryck. Ms. *paricidiale*, sed scribendum *parricidale* ut Salmasius, Sirmondus aliique viderunt. Sicut enim a conjugium est conjugalis, a convivium convivalis, sic a parricidium parricidalis. Mox *suis* παρέλκει & delendum est in his verbis, *cives cum civibus suis gladiatorio more concurrerent.* Multis multorum scriptorum locis hoc vocabulum inferserunt ex idiotismo linguarum, quę vernaculæ fuerant descriptoribus. In lib. IV, cap. 5. legitur: *Lepidus L. Paullum fratrem suum proscripserit.* Ubi recte Nicolaus Heinsius vidit *suum* redundare.

Quum vero] Pendet sententia. Aut *tum* scribendum cum Anna & Lipsio, aut *jam* cum Freinshemio, aut cum editionibus antiquioribus, sic distinguendum: *quum vero, pro facinus! qui viri! qui imperatores! Decora & ornamenta seculi sui, Marius & Sulla pessimo facinori suam*

*etiam dignitatem præbuerunt*, *tribus*, *ut ſic dixerim*, *ſideribus agitatum eſt.* Verum qui genium Flori novit, facilius credet aliquid hic excidiſſe librariorum culpa, cujus criminis jam ſæpius ſuut convicti.

Geminum agmen urbi infudit] Ryck. ſuavius : *Geminum urbi infundit agmen.*

Objeciſſent catervas) Ryck. *objeciſſent catenas.*

Quę Pœnos quoque, Gallos etiam Senones) *Quoque* valde friget, & non eſt a Flori manu. Probo Palatini ſecundi ſcripturam, *quæ Pœnos*, *quæque Gallos etiam Senones evaſerat.*

Quaſi captivam victor inſedit] Lege ex Ryck. *Quaſi captivam victor incendit.* Nam Capitolium bello hoc civili Sullano incendio periiſſe, non tam juſſu Sullæ, quam cuſtodum negligentia conſtat ex monumentis antiquis, quamvis ſunt qui Sullæ culpam hujus incendii tribuerint.

Ni cauſſam ſuam ſævitia corrumperet] Bene Ryck. *ni cauſsam ſuam ſævitia corrupiſset.*

Cæſar & Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur] Conjecerat Salmaſius : *Cæſar a Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidatur.* Et ſic clare Ryck. niſi quod retineat *trucidantur*, unde liquet ſcribendum: *Cæſares a Fimbria in penatibus domorum ſuarum trucidantur.* Nihil verius. id ſignificant etiam Palatini codd. in quibus pro *Cæſares a Fimbria* legitur *Cæſi a Fimbria.* Lipſius quoque in iſta fuit ſententia, ſcribendum *Cæſares a Fimbria. Cæſares* ſcribendum eſſe vidit & And. Schottus. Ceterum *in penatibus domorum ſuarum trucidari*, quam bene, & quam Latine dicatur viderint alii. *In penatium conſpectu aliquem necare*, *ante ſuos lares familiares alicui manus afferre*, ſcio ſcriptoribus ab idoneis dici. Sed *in penatibus occidi*, perinde eſt ac ſi dicerem *in Jove*, *in Junone* occidi, pro in cœlo aut aëre. Itaque ſcribendum cenſeo *in penetralibus domorum ſuarum.*

Catulus ſe ignis hauſtu) Non unum Jovianum, præter

Catu-

Catulum, sed plures alios prunę suffocarunt. Inscriptio antiqua apud Gruterum: D. M. L. AEMILI. VICTORIS. QUI. PRIDIE. NATALEM. SUUM VICESIMUM. ET. SECUNDUM PRUNA. IN. PENSILI. POSITA. URGUENTE. FATO. SANUM. IPSE NECAVIT. SE. L. AEMILIUS. VICTOR. PRINCIPALIS. ET. AELIA. VENERIA. FILIO. PIENTISSIMO ET SIBI.

Lucret. vi: *Carbonumque gravis vis, atque odor insinuatur*
*Quam facile in cerebrum, nisi aquam præcepimus ante.*

Si annum consularis impleſſet) Rectius omnino libri nonnulli: *Si annum consulatus impleßet*, quod merito probat Freinshemius.

Scipione Norbanoque Consulibus] Firmat hanc lectionem Ryck. Meis ingratiis operæ ediderunt: *Scipione & Norbano Quinto Consulibus.*

Sub specie partium se vindicant] Dum prætexunt partes Marianas, se ipsi ulciscuntur. Non tam ut Marianas partes, quas secuti erant, tuerentur, quam ut suum animum explerent, & odium privatum effunderent in illos quibus erant offensi; non studio tum partium, sed sub illarum prætextu latrocinabantur, & se vindicabant. Hæc loci hujus est sententia.

Isti tot in pace non plures sunt.] Et hic peccarunt operæ, omissa interrogationis nota, quam non solum Salmasius adjiciendam censuit, sed & apposuit Ryckianus. *Non* hic est *nonne*, quam vim hanc particulam in interrogationibus habere quis ignorat? L. Luccejus in epistola ad Cic. in lib. iv ad fam. 14: *Tu solus aperta non videbis, qui propter acumen occultissima perspicis? tu non intelliges te querelis quotidianis nihil proficere?*

Prætoris atque Venuleji] Ryck. *Pretorios at Venulejos.*

lege: *Pletorios ac Venulejos*, quod & Lipſio in mentem venit.

Oculis, manibus, cruribuſque defoſſis] In his verbis multi hæſerunt. Magnus etiam Lipſius, qui legendum putat: *Oculis effoſſis, manibus, cruribuſque deſectis*, ſic Pighius quoque conjecit. Sed omnes codices ſtant pro vulgata, quorum cenſenſus non eſt temere repudiandus. Frequenter enim duabus pluribuſque vocibus veteres addunt unum verbum quod ultimę tantum reſpondet, omiſſis aliis quæ prĉcedentibus conveniunt. Cic. x ad Att. 3: *Horum ego ſummorum Imperatorum non modo res geſtas non antepono meis, ſed ne fortunam ipſam, qua illi florentiſsima, nos duriore conflictati videmur.* Conflictari non poteſt jungi cum florentiſſima fortuna, ſed florentiſſima uti fortuna dicimus. Terent. And. III, 5:

*Namque hocce tempus præcavere mihi me,*
*Non te ulciſci ſinit.*

Præcavere mihi me jubet ſcilicet. Exempla in promptu ſunt alia, & a viris doctis, pridem non pauca ſunt congeſta. Sic & hic locus explicandus, ac ſi ſcriptum eſſet oculis erutis, manibus deſectis, & cruribus defoſſis.

Poſitis ſingulorum hominum pœnis] Et hoc mirum eſt loquendi genus *ponere pœnas* pro deſiſtere a puniendo. Sed nemo Latinæ linguæ peritus, & in veterum ſcriptorum lectione non hoſpes, hoc loquendigenus probarit. Suſpicor Florum ſcripſiſſe: *Deſitis ſingulorum hominum pœnis.* Deſinere pœnam, ut deſinere artem apud Ciceronem pro Milone: *Cum jam natu grandis artem athleticam deſiiſſet.* deſinere diſciplinam apud Gell. xv, 17: *Omnium tum diſciplina Athenienſium tibiis canendi deſita eſt.* Non nego *ponere* ſæpe accipi pro deponere, ut ponere bella, querelas, iram, ſpem, metum, invidiam: Sed *ponere* & *deponere pœnam*, pro deſinere punire contra legem recte loquen-

loquentium ponitur. N. Heinsius conjiciebat *postpositis*, aut *posthabitis singulorum hominum pœnis*.

## CAPUT XXII.

HOstile potius an civile dixerim nescio] Ryck. *Hostile potius quam civile dixere. nescio.* Sed alii melius.

Et jam Africæ] J. F. Gronovius & N. Heinsius conjecerunt: *Et jam in Africa.*

Missusque in Oceanum fortunatas insulas penetravit] Ryck. *Missusque in Oceanum fortunatasque insulas penetravit.* Freinshemins legere malebat: *nisusque in Oceanum fortunatasque insulas penetrare.* Lipsius: *victusque in Oceanum fortunatasque insulas penetravit.* quod placet. Nam in Oceanum victus profugit, quamvis autem non penetraverit in insulas fortunatas, consilium tamen ejus fuit eo se recipiendi. Florus sane in rebus his prodendis aut sibi, aut aliorum parum certis narrationibus nimis non nunquam indulsit, ut plurimis docuerunt expemlis eruditi viri.

Diu & ancipiti semper acie domuerunt] Hęc verba delenda esse dudum subodoratus sum. Quis enim sibi persuadeat in tanta brevitate Florum bis & quidem ineptissime sententiam eandem posuisse, iisdem verbis conceptam. Nam quod præcedit: *Hi copias viri diu & ancipiti semper acie detrivere*, quid aliud significat, quam quod paucis verbis interpositis sequitur: *Copias ejus prope tota Hispania persecuti diu & ancipiti semper acie domuerunt.* Vidit hoc etiam, Anna Tanaquilli Fabri filia χαριεστάτη. Fontem erroris videor deprehendisse. Hæc verba *prope tota Hispania persecuti* suo loco fuerunt deturbata; dein margini adscripta, ut & interpretatio τῦ *detrivere*, quod magister quidam exposuit per *domuerunt.* hoc enim plures libri pro *dimicaverunt* ostentant. Hæc cum ab imperito & supino librario postea in contextum essent posita,

ſed non ſuo loco, alius ut ſententiam quandam efficerent allevit ex præcedente periodo: *copias ejus diu & ancipiti ſemper acie.* perquam abſurde. Manum autem Flori hanc eſſe facile mihi credo adſtipulabuntur emunctæ naris homines: *Hi copias viri prope tota Hiſpania perſecuti diu & ancipiti ſemper acie detrivere: nec tamen prius bello, quam ſuorum ſcelere & inſidiis extinctus eſt. Prima per legatos certamina habita.*

Terme] Ryck. etiam *Termes*, ut legendum ex ſuis præcepit Salmaſius, & quondam monuerat Lipſius. Nec non Gerhardus G. F. Voſſius: qui & *Uxuma* ſcribi juſſit. Ut & *in fame nihil non experta* non *infame* ut omnes editi.

## CAPUT XXIII.

SEd quantum, lateque fax illius motus] Inepte: *quantum lateque fax exarſit.* Recte Nic. Heinſius: *quantum quamque late fax illius motus ab ipſo Sullæ rogo exarſit.*

Incruenta fuga Etruriam] Ryck. & edd. *incruenta fuga in Etruriam.* Cur deleverint Palatini & eos ſecuti Gruterus & Freinshemius particulam *in*, viderint. cauſſæ nihil eſt. imo lex loquendi eam poſcit. Non ignoro quidem non nunquam regionum nomina quadam ellipſi poni ad exemplum urbium. ſed hic nihil loci eſt iſti ellipſi. Caput hoc in elegantioribus Flori eſt numerandum.

LIBER

# LIBER IV.

## CAPUT I.



Atilinam] Hoc caput Ryck. & multi alii libri rejiciunt in præcedentem librum, & merito.

Consules trucidare] Ryck. *consule trucidare*. leg. *consulem trucidare*. Solum enim Ciceronem e medio tollere decrerat Catilina. Antonius dicebatur clam ejus consiliis favere.

Parricidii innocens] Ryck. *parricidiis innocens*. Al. *patriciis innocens*. Nihil moveo. Nazar. qui præ se fert *sed patricius innocens* N. Heinsio persuasit Florum dedisse: *sed præ patriciis suis innocens*, hoc sensu, vilissimum quidem scortum fuisse Fulviam, sed multo viliores & sceleratiores fuisse patricios, quibus se prostituebat. Sin hoc displiceat, malebat scribi, propius insistendo vestigiis veterrimi codicis: *sed patricii ausi innocens*. *Patricium nefas* vocat hanc conjurationem Severus in carmine apud Senecam patrem demorte Ciceronis.

In præsentem reum Cicero peroravit] *Cicero* videtur hic ex glossa irrepsisse, aut saltem alieno loco poni, sicut ante irrepserat *in præsentem parricidam*, quod merito delevit Freinshemius.

Seque palam professo incendium suum) Anna doctissima recte hunc locum depravatum esse observavit. Verum non *professo*, sed *palam* delendum censeo, legendumque: *seque ex professo incendium suum restincturum ruina minaretur*. Sueton. Vespas. *Fratrem insidiari sibi non desinentem, sed pœne ex professo sollicitantem exercitus, meditantem fugam, nec occidere, nec seponere, ac ne minore quidem honore habere sustinuit. pœne ex professo* est pœne palam. Sic *professus Græciæ Dux* apud Justin. est qui palam ducatum Græciæ suscepit. *Professa mortis via* apud Phædrum. *Palam* est τȣ̃ *ex professo* interpretatio, quæ ex margine irrepsit. Malebat tamen N. Heinsius: *seque palam & e professo*.

CA-

# CAPUT II.

JAm pene toto orbe pacato) Ryck. *jam pene orbe pacato.* Mox ex eodem recepi, *quam ut ullis externis viribus opprimi posset.* Nam sic in omnibus libris extare Salmasius auctor est. Cur pro eo supposuerint editores *extingui* equidem nescio.

Quodam quasi diluvio & inflammatione corripuit) Non bene duæ contrariæ tanquam amicæ & ejusdem generis res copulantur. Regio quam diluvium obruit, non inflammatione corripietur. Florum scripsisse puto, *quodam quasi diluvio aut inflammatione corripuit.* Alludit ad veterum Philosophorum sententiam, quorum multi credebant certis seculorum periodis orbem istum aut undis obrui, aut incendio quodam universali exuri: dein post decursum aliquot ævorum novos homines, novaque animalia e terra prorepere. Nota hæc sunt iis, qui Aristotelem triverunt, veteresque alios Philosophos.

Commune quoddam ex omnibus) Palatinus, notante Salmasio, *commune ex omnibus gentibus*, quam lectionem immerito a Salmasio damnari existimat N. Heinsius, quia tot gentes huic bello interfuerint, quas & paullo post recenseat ipse Florus, ac longo ordine Lucanus in descriptione pugnę Pharsalicę.

Et plusquam bellum) Non hoc bellum fuit crudelius & sævius, quam alia bella civilia, sed plures gentes implicavit, & in Europa, Asia, & Africa fuit gestum. Ideoque dubitat Florus quo nomine appellet, num civile, num sociale, num externum, & addit commune quoddam fuisse ex omnibus bellis, & *plus quam civile.* Sic enim legendum censet Lipsius, ut hæc hauserit ex Lucano Florus, ut multa alia. Sane si locum hunc inspexeris intentius, intelliges virum magnum recte vidisse, & ejus emendationem juvat inprimis codex Palatinus, qui legit: *commune quoddam ex omnibus gentibus, & plusquam civile bellum.*

Inde

Inde Dejotarus, Ariobarzanes, Tarchondimotus, Cothus) Mire hic locus ſcribitur in Ryckiano: *Inde Dejotarus rex Gallatiæ, Ariobarzanes Rex Cappadociaeque Ciliciæ Tarchon: Dimotus Corinibus, omnis ratio Cappadociæque Ciciliæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiuſque robur trientis.* Mendoſe quidem, ſed quia tantum abeunt ab aliorum librorum ſcriptura, libuit hæc annotare.

Quatuor anni, & pro clade rerum] Perilluſtris vir, Nicolaus Heinſius legendum monuit: *quatuor anni, ſed pro clade rerum breve tempus.*

Inde reſpexit Aſiam, inde Africæ incubuit] Ryck. ut Salmaſius conjiciebat: *inde reſpexit Aſiam, Africæ incubuit.* Sed Nicolaus Heinſius malebat *inde reſpexit Aſiam, dein Africæ incubuit.*

Hinc dolor tranſverſum egit.] Veriſſime idem Heinſius me docuit ſcribendum eſſe: *Hunc dolor tranſverſum egit.* Mox & pro *vellet tamen auctiores opes* reponendum cenſebat: *vellet tamen auctos honores & opes*, præfatus, Florum culpare in Craſſo, quod cum & dignitate & divitiis floreret, tamen adſpiraret ad majora. Non de ſolis opibus augendis Craſſum cogitaſſe ſequentia oſtendere: *Sic igitur Cæſare dignitatem comparare, Craſſo augere, Pompejo retinere cupientibus.* Dein ait ſibi non arridere *auctiores opes*, Florum potius *ampliores opes* fuiſſe dicturum, ſi hoc voluiſſet.

Et jam ſic orbis imperium ſocietate trium principum occupatur] Ryck. *jam* non agnoſcit. Et ſane delendum eſt, ut ante conjectura ducta vidit Anna politiſſima. Verum verba quæ præcedunt plus negotii faceſſunt. Quo enim pertinent, *tres maximos exercitus*? Unde pendent? Quis invaſit illos tres exercitus? Nec conjectura doctiſſimi Freinshemii legentis *tres maximi exercitus, & jam ſic*, nodum ſolvit. Excidit *ac* copula, quam abſorpſerat ultima ſyllaba præcedentis vocis. Scribo: *Galliam Cæſar invadit, Craſſus Aſiam, Pompeius Hiſpaniam, ac tres maximos exercitus, & ſic orbis imperium ſocietate trium*

prin-

*principum occupatur.* ac tres maximos exercitus scilicet invadunt tres principes. Quod si ne sic complanata tibi videbitur hujus loci asperitas, non reclamabo. Nam nec meis auribus respondet. Videtur potius aut aliquid excidisse, ut *habuere tres maximos exercitus*, aut forte hæc verba irrepserunt ex margine, ex interpretatione magistri qui ostenderit fuisse tres maximos exercitus, quibus orbis imperium occuparint triumviri. Nicolaus Heinsius legebat: *Galliam Cæsar invadit, Craßus Asiam, Pompejus Hispaniam, jam tres maximos exercitus, & sic orbis imperium societate trium principum occupatur.* Existimat enim ultimas tres litteras τὸ *Hispaniam* iterandas esse, & mox non suo inculcatas loco inde tollendas.

Quem decem tribuni plebis] Ryck. ut alii *quem decem tribus.* Nimirum *plebis* delendum est, quod plerique libri non agnoscunt, & monuit jam Freinshemius. Quin & in editione Stadii non habetur. J. Lipsius vero pro *quem* censebat reponendum *quod*, legendumque *quod decem tribuni favente Pompeio nuper decreverant.*

Remittere exercitum] Nicol. Heinsius malebat: *dimittere exercitum.* Sic sane Latini loquuntur, & Lipsio quoque placuit.

Sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt] Ryck. *Sed omnia subito impetu oppressa sunt.*

Prima Arimino signa cecinerunt] Ratio & usus recte loquentium postulat ut invitis licet omnibus libris scribatur: *Prima Arimini signa cecinerunt.* dein recte Ryck. *Tum pulsus ab Etruria Libo.*

Opprimere potuisset. & cœperat] Jam olim conjeci legendum esse *opprimere potuisset, ut cœperat.* Gaudeo sententiam meam firmari calculo viri magni, Nicolai Heinsii, cui id ipsum quoque in mentem incidisse cognovi ex ejus litteris ad me datis.

Per legatos habet] Sic & Ryck. nec est sollicitandum. *Habet* est tenet, regit. In cap. VIII. hujus libri: *Contractisque infelicis belli reliquiis, cum insuper ergastula armasset,*

*bebat.*

*Siciliam Sardiniamque habebat.* Tac. 11. ann. cap. 70: *Festinare & urgere, ut provincias & legiones solus habeat.* Jupiter apud Ovid. 1. Metam. ad Deos:

*Cum mihi qui fulmen, qui vos habeoque regoque*
*Struxerit insidias.*

Sallust: *Animum rectorem humani generis habere cuncta, nec ipsum haberi.*

Et cruentum in Hispania bellum] Ryck. ut alii *& incruentum in Hispania bellum.* unde Lipsius conjiciebat: *se* (pro *sed*) *incruentum in Hispania bellum.* At Historiæ fides repugnat. Vid. Cæsar. I. de bello civili c. 47. & sequ. Itaque nihil muto quamvis & Freinshemius *sed incruentum* defendat.

Sed ubi pax fluminis rediit populationibus & pugnæ campos aperuit.] Lipsius conjiciebat: *Sed ubi pax fluminis rediit, pabulationibus & pugnæ campos aperuit*: N. Heinsio videbatur *rediit* esse a mala manu, & Florum scripsisse: *Ubi pax fluminis populationibus & pugnæ campos aperuit*, quod valde blanditur, ut & Lipsii *pabulationibus.* Mox idem Lipsius malebat: *cedentes in Celtiberiam consecutus.* quod non probo. *Ad Celtiberiam* est non longe a finibus Celtiberiæ.

Quasi de industria prospera ejus adversis radiarentur] Belle mihi videtur hunc locum constituisse Anna bellissima, quæ sic jussit interpungi & legi: *Aliquid tamen adversus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam, quasi de industria, ut prospera ejus adversis radiarentur.* Semper Cæsari favens fortuna ejus absentis legatis plagam aliquam levem imposuit, quasi studio & dedita opera, ut ejus felicitas hac quasi calamitate & offensa illustraretur.

Curictico littore] Sic optime Salmasius emendavit, adstipulante Ryckiano in quo clare *Curictico littore.* Vidit etiam Lipsius.

Lega-

Legatus ejus Octavius Libo] Mſſ. omnes *Octaviu Libo*, & non aliter Florum ſcripſiſſe verborum contextu oſtendit. Nam in eo eſt *legatus ejus circumvenit utrumque* ſi ſcripſiſſet *Octavius & Libo*, ſcribendum quoque fuiſſet *legati circumveniſſent utrumque*. Eſt igitur Flori erro qui ex duobus unum hominem conflavit? Non audiendi hic ſunt Stadius & Freinshemius.

Actis ſub mare funibus] Optime Freinshemius: *jacti ſub mare funibus*. ſic olim quoque Lipſius conjecerat.

Memorandumque poſteris exitum dedit] Ryck. *memorandumque potis exm. dedit*. Unde ſcribendum exiſtimo: *memorandumque poſteris exemplum dedit*. quod & Freinshemio ſuccurriſſe video. Ex ſequentibus verſibu *exitum* hic irrepſit.

Cum exitum virtus non haberet] Nic. Heinſius conjiciebat: *cum exitum virtus non daret*. Superius lib. 1, cap 18: *Exitum, quem datura virtus fuit, caſus dedit.*

Cum hiems media prohiberet tempeſtate, ad bellum navigavit] Locum iſtum corrumpit prava diſtinctio, quam tollit Ryckianus liber, ex quo ſic reſcribo: *cum hiems media prohiberet, tempeſtate ad bellum navigavit*. tempeſtate navigavit eſt tempeſtate exiſtente, ardente venti mari, ut mox dicit, in media hieme, cum nemo clauſo mari ſolet navigare, navigavit tamen Cæſar. In media hieme, tempeſtate præterea exiſtente.

Contractis in unum undique copiis) Ryckian. adſtipulatur Nazarian. & edd. Vett. in quibus: *contractis in unum omnibus undique copiis*, quod cur rejiciatur non video.

Laceſſere, nunc obſidione caſtrorum] Ryck. *Provocare, nunc laceſſere obſidione caſtrorum*.

In eruptionem hoſtium prœliis] Lipſius perinde ut Salmaſius: *in eruptione hoſtium*. Sic omnino legendum.

Expugnatione Dyrrachii irrita] Quæ expugnatio poteſt irrita eſſe aut dici? Lege cum J. F. Gronovio: *oppugnatione Dyrrachii irrita*.

Egre

Egregia virtus Scævę centurionis emicuit] Ryckianus: *enituit.* hoc non ex cerebro librarii manavit, ſed potius illud tritius *emicuit*, quod obſidet editiones. Cic. pro Muræna: *Quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis.* Exempla quantumvis multa facile congeras.

Caſtella Theſſaliæ vaſtaret) Nazar. *vaſtarent.* Ryck. *vaſtarentur.* hoc ſi probes, legendum *Oricum, & Gomphi, & alia caſtella Theſſaliæ vaſtarentur.*

Milites ocium] Ryck. *miles ocium*, ut recte conjecerat Freinshemius. Mox idem codex: *prœlio Theſſalia ſumpta eſt.*

Nunquam ullo loco tantum virium populi Romani, tantum dignitatis fortuna vidit] Sic & Ryck. niſi quod ut Nazar. pro *ullo* ſcribat etiam *uno*, quod reponendum. Cæterum hunc locum ex Palatino codice ſic primus recte correxit Gruterus Salmaſio poſtea probante. Omiſſam tamen puto eſſe copulam. Non enim ἀσύνδετον iſtud eſt ad genium Flori. Totum itaque locum ſic eſſe ſcribendum cenſeo: *Nunquam uno loco tantum virium populi Romani, & tantum dignitatis fortuna vidit.* Fortuna, inquit, nunquam in uno loco vidit tantas vires populi Romani, & tantam dignitatem, hoc eſt tantos exercitus civium Romanorum, & tot viros magna dignitate prędıtos. quod verum eſt. *Vires* ſunt exercitus. cap. ſequente: *Sparſæ magis quam preſſæ vires erant*, hoc eſt exercitus Pompejani. Et cap. 2. hujus libri: *Difficilius eſt provincias obtinere, quam facere. Viribus parantur, jure retinentur.* Juſtin. XI, 9: *Nec inventas illis toto orbe pares vires.* ubi vide quæ notavi.

Trecenta amplius millia hinc vel illinc] *Vel.* eſt ex ingenio Salmaſii. Mſſ. & edd. *hinc & illinc.* Sed Ryckian. *trecenta amplius millia bellatorum hinc illinc præter auxilia regum & ſenatus.* Non longe abit Nazar. *trecenta amplius millia hinc belli illinc.* Probo Ryckiani libri ſcripturam. Hæ ſunt illę vires Populi Romani, ſequuntur auxiliares copiæ. Sed male poſt *vidit* τελεία ςιγμὴ locatur.

Totum locum ſic refingo ſecutus fidem codicis Ryckiani: *Nunquam uno loco tantum virium Populi Romani, tantum dignitatis fortuna vidit, trecenta amplius millia bellatorum hinc illinc, præter auxilia Regum & ſociorum. Sociorum* debetur ſollertiæ Annæ illius eruditę. Nam *ſenatus*, quod omnes præ ſe ferunt libri, hic non poſſe ferri vel tyrones viderint. *Hinc illinc* ſæpe ἀσυνδέτως ponitur. Terens. Adelph. II, 5:

*An ſedere oportuit*
*Domi virginem tam grandem, dum cognatus hinc*
*Illinc veniret.*

Sic recte Donatus, qui notavit proverbium eſſe *hinc illinc* editiones poſſime *huc illinc.* Lucret. lib. v. de Centauris

*Hinc illinc par vis ut non ſic eſſe potis ſit.*

Cum pullo nefas apud principia] Ed. Vineti *cum pull[o] amiculo*, ſed invitis libris, quorum non nulli *cum pulla* ſcilicet veſte. Sed *pullo* retinendum. Liv. XLV, 7: *Pull[o] amictus cum filio Perſeus ingreſſus eſt caſtra.* Sic legendum Valer. Max. I, 6: *Pullum ei traditum eſt paludamentum cum in prœlium exeuntibus album, aut purpureum dari ſolet* Hæc loca Nicolao Heinſio feres accepta.

Nunquam acrior neque alacrior exercitus Cæſaris fuit Expungendum alterutrum cenſet N. Heinſius *acrior* au[t] *alacrior* cum *neque*.

Fuſus a cornu] Lipſius emendat: *effuſus a cornu.* pro bant ſequentia: *tantum in effuſos equites fecere impetum.*

Ut cum majore dedecore per Theſſalica Tempe equ[o] fugeret, ut una navicula Lesbon applicaretur] In Ryck[iano] in initio horum verborum non legitur *ut.* Videtur *ut* ex cidiſſe, & poſtea bis perperam fuiſſe inculcatum. Scriben dum enim: *Superſtes dignitatis ſuæ vixit, ut, cum majore de decore per Theſſalica Tempe equo fugeret, una navicula Les bon applicaretur.* Lipſius malebat: *ut cum majore dedecor[e] per Theſſalica Tempe equo fugeret uno, & una navicula.*

Pulſus Syedris.] Inſignem hujus perditiſſimi loci emen dationem debemus ingenio maximi Salmaſii, quam ſt[a]

bil

bilit Ryckianus codex in quo scribitur: *Pulsus Synedris*, uti apud Lucanum lib. VIII. quoque scribi in Mss.

*Ad profugum collecta ducem parvisque Synedris*,

idem Salmasius notavit. in antiquis edd. Flori legitur *pulsus Hedris*, in aliis *pulsus Larissa*. Mox ex optimo codice restituit Salmasius *in Pelusio littore*. Vide quam nec hic longe ab illo recedat Ryck. in quo scribitur *in pulso littore*.

In peninsulam Pharon] Al. *in insulam Pharon*.

De imbelli ac perfida gente] Sic Ryckian. ut & ex Nazariani vestigiis legendum vere censuit Salmasius, cujus sententia non fuit repudianda. Quin & Vinetus ex suis libris olim sic edidit. Male ex deterioribus codicibus pro his substituit Gruterus: *debellata perfida gente*.

Multo atrocius quam in Pharsalia] Ryck. *multo acrius quam in Pharsalia*.

Nisi quod amplior eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit] Ryck. *nisi quod amplior eo acriorque Cæsarianorum impetus fuit*. inepte alii *eoque acrior*, quod est ideoque *acrior*. Si res mei esset arbitrii *amplior* delerem. Quid enim est amplus impetus? quis sic loquitur? aut forte legendum: *nisi quod ardentior eo, acriorque Cæsarianorum impetus fuit*. eo scilicet impetu, quo apud Pharsalum fuerunt usi. Superius de Pharsalica pugna: *Nunquam acrior neque alacrior Cæsaris exercitus fuit*.

Strages a Juba cœpit] Rectius Ryck. *Strages in Juba cœpit*. Mox egregie Nicolaus Heinsius: *ejus elephanti bellorum rudes, & nuperi a silva*. Male omnes libri: *ejus elephanti bellorum rudes, & nuper a silva*. non longe post idem malebat: *statim & exercitus in fugam agi*. Vidit & Lipsius hiulcam esse orationem, qui legendum censebat: *statim exercitus in fugam datus*: & in verbis *consternati subito clangore*, quæ præcedunt, aliquid quoque desiderari, hinc rescribebat: *consternati subito clangore tubarum*. Sed N. Heinsius conjiciebat: *consternari subito clangore, statim*

*tim & exercitus in fugam agi.* In Ryckiano habetur: *Statim & in fugam exercitus.* dein probo Salmasii correctionem: *nec duces fortius, quam ut fugerent.*

Magnifice epulatus, postero die] Ryck. *magnifice epulatus est. Postero die.* Idem cum aliis veteribus: *superque mensas & pocula.* Non frustra hæc copula in omnibus codicibus vetustioribus hic reperitur. Nimirum totus locus sic distinguendus & scribendus est: *Juba cum se recepisset in regiam, magnifice epulatus est postero die cum Petreio fugæ comite, superque mensas & pocula interficiendum se ei præbuit.* Vides illud *superque*, quod in omnibus libris antiquis conspicitur, requirere in præcedentibus *est*, quod in plerisque intercidit, & pravam interpunctionem nebulas huic loco offudisse.

In nocte lecto ad lucernam Platonis libro] Nicolaus Heinsius: *In noctem lecto ad lucernam Platonis libro.* Mox Ryck. *qui immortalitatem animæ docuit quievit.* Editi: *paullulum quievit.*

Utramque classem naufragio cecidit] Ryck. *Utrumque classe naufragio cecidit.* forte: *utrumque classis naufragio cecidit.* Utrumque nimirum legatum Cæsaris & Pompeji: sed malim, si per libros liceret, *utraque classis naufragio intercidit.* hoc est periit, ut in illo versu apud Ciceronem: *Pereant amici, dum una inimici intercidant.* Nam *cadere classem naufragio* insolens est & a castigate loquentium usu remotum. *Castigare classem naufragio*, ut superius locutus est recte & eleganter dicitur, sed, *cadere classem naufragio* quis ferat. Si cui tamen magis arridet vulgata, eamque locutionem putat Flori ætati & ingenio acumina sępe frigida captanti, aut potius ejus cacozeliæ adscribendam, non multum regfragabor.

Viri, naves, armamenta confligerent.] Non possum assentiri magno Lipsio rescribenti: *viri, naves, elementa confligerent*, cum in suo libro invenisset *scementa.* Ryck. *armamenta* cum optimis quibusque. Nec vox magis propria potuit a Floro hic adhiberi. Sic enim dicuntur, vela

remi,

remi, rudentes, & omne instrumentum nauticum, quod propter tempestatem non minus negotii facessebat quam procellæ, & hostes. Sueton. Octav: *Tempestate in trajectu bis conflictatus*, &c. *Utrobique parte Liburnicarum demersa: simulque ejus in qua vehebatur fusis armamentis, & gubernaculo diffracto.* Liv. xxxviii: *Tradito & naves longas armamentaque earum.* Hinc *exarmata navis* apud Senecam præfat. lib. iii. Controv. est, in qua nulla sunt armamenta: navis sine velis, remis, ancoris: *Cum dixisset Albutius in illo, qui fratrem parricidii damnatum exarmata nave dimisit, imposuit fratrem in culeum ligneum.*

Vergentia in unum hinc Hispaniæ] Ryck. rotundius: *Vergentia hinc in unum Hispania.*

Omnium postrema certaminum Manda] Lipsius emendat: *Omnium postremum certamen Mundæ.* Sic sane Livius scripsisset, aut Cæsar. Verum nunc vereor ne hæc, quæ circumfertur, Flori sit scriptura, cujus memoriæ obversatus fuit sui Lucani locus de hoc prœlio:

*Ultima funesta concurrant prœlia* Munda.

Vides sententiam eandem esse, sed longe discrepare verba utriusque scriptoris. Sed hoc Flori est ingenium, ut enim paullo ante: *Nihil inter Pharsaliam & Thapson.* hoc est inter Pharsalicum prœlium, & id quod ad Thapson fuit commissum, sic hic omnium certaminum postremum fuit Munda, hoc est Mundense. Mox idem vir magnus malebat: *sed anceps diu, & triste prœlium.* Verum non video cur librorum scriptura repudianda sit.

Hic omnium sensus erat] Ryck. *& hic omnium sensus erat.* Freinshemius censet hæc verba glossema esse præcedentis *convenisset.* Verum hic aliter sentio. Florus iis significat, hoc silentio omnes sensum suum, sive quid sentiant testatum fecisse, se nimirum velle ut bellis civilibus modus tandem & finis imponatur. Est & hoc ex acuminibus Flori, & illius temporis.

Post quatuordecim annos probata veteranorum manus]

Vere Nicolaus Heinsius corrigit: *Per quatuordecim annos probata veteranorum manus.*

Quod etsi nondum fugerat] Lipsius: *quæ etsi nondum fugerat.* Nic. Heinsius: *quos, etsi nondum fugerat.* Vulgatam possis tueri. Nam *quod* sæpe παρέλκει. Liv. XXVII, 7. ex emendatione Gronovii: *quod mihi minus simile veri visum est, annum integrum Scipionem nihil gerundo in Hispania consumsisse.* Vide quæ ad illum locum notavit vir summus. paullo ante pro *inusitatum Cæsaris oculis* scribendum videtur: *invisitatum Cæsaris oculis.* Nam hoc vocabulum in plurimis locis in *inusitatum* refinxerunt imperiti librarii, quia usu illis temporibus minus tritum fuit, ut dudum ostenderunt Salmasius, Lipsius, Gronovius, aliique viri doctissimi.

In illa perturbatione & de extremis agitasse] Ryck. *in illa perturbatione & cede extremis agitasse.* forte: *in illa perturbatione & cæde de extremis agitasse.* Cæde nimirum sui exercitus. Est enim cædis initium gradum retro dare.

Et ita manifesto vultu fuisse, quasi occupare manu mortem vellet] Ryck. *& manifesto vultu fuisse quasi occupare manu mortem volet.* Sed altius vulnus hic latere puto. Nemo credo intelligit quid Latine significet *manifesto vultu esse.* Voluit Florus signa manifesta in ejus vultu fuisse voluntatis consciscendę sibi necis. Sed ex his verbis, quæ in omnibus libris habentur, hunc sensum quis colligat? Videtur autem Florus scripsisse: *& manifesto vultu prætulisse quasi occupare manu mortem voluisset.* Vell. Paterc. II, 118: *Ardorem animi vultu oculisque præferens.* Vide quæ de hac voce notavit N. Heinsius ad Vell. II, 116. Exciderat *præ*, *fuisse* frequenter MSS. pro *tulisse* supposuerunt, & vice versa. Possit etiam *manifesto* retineri pro *manifeste.* Cic. *cum manifesto venenum deprehendisset.* statim Ryckian. *quas Labienus periclitantibus castris præsidio miserat.*

Ex congestis cadaveribus agger effectus est] Delendum est *ex*, quod in Ryck. non invenitur. Præcepit hoc olim

olim Salmasius auctoritatem secutus Nazariani codicis. In Ryck. præterea pro *effectus est*, scribitur *confectus est* idem ante *obsidere imperasset*.

In Celtiberiam interim abscondit] J. Lipsius conjiciebat: *In Celtiberiam iterum abscondit.*

Tunc in ferculis Nilus, Arsinoë] Nic. Heinsio placebat legendum esse: *Juncti in Ferculis Nilus, Arsinoë.* dein Ryck. *ad simulacrum ignis ardens Pharus.*

Nemo cæsus imperio] Scribe, ut monuit idem vir & amicus summus Nic. Heinsius: *nemo cæsus ejus imperio.* Manifesta ratio est. statim sequitur: *satis ignoverat semel.* Satis ignoscere non satis Latinum est. Existimabat itaque Heinsius huic incommodo inventum esse remedium, si legamus: *Satis si ignoverat semel.* Satis scilicet erat.

Circa templa imagines] In mendo cubare hunc locum animadvertit Freinshemius. Sanitatem autem ei reddi posse arbitratur N. Heinsius si scribas: *In circo tensa, imagines in theatro, distincta radiis corona.* Primo omnium Julio Cæsari tensa in Circensibus a senatu decreta. Vide Sueton. in Julio cap. 76. theatrum non potest intelligi, nisi de Pompeji theatro, quod tunc Romæ unicum, ubi & imagines virorum illustrium, de quibus Tacitus non uno loco.

Cassius aliique patricii) Recte Palat. Secund. *aliique patres*, quod merito probarunt Lipsius & Rupertus, quamvis hic mallet: *aliique patrum.* Plerique enim erant senatores. Inde paullo post ait: *Ibi in curuli sedentem eum senatus invasit*, quod & Rupertus observavit.

## CAPUT III.

DEsciscit in regem. Nam aliter salvus esse non potuit.) Hiulcam orationem esse & sensum pendere vidit Freinshemius, qui putat aliquid excidisse, quod sic sit supplendum: *Desciscit in Regem. Populus Romanus aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset*

*ad servitutem.* Sed tantum abest ut aliquid sit inculcandum, ut potius *nam*, quod ex prava distinctione natum & interpositum est a pravo correctore, sit delendum, & sic interpungendum: *Dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octavium, aut amore Cleopatræ desciscit in regem, aliter salvus esse non potuit, nisi confugisset ad servitutem.* Populus Romanus ἀπὸ κοινοῦ est repetendum, ex præcedente nimirum periodo. Qui utramque periodum accuratius inspexerit, cognoscet nihil esse verius. Prima n. vox *quippe* ostendit & hanc periodum loqui de populo Romano, & velle liquidius docere, cur populus ille Romanus occiso Cæsare, non redierit in pristinæ libertatis statum. Dein nisi sic distinguas ultima periodi verba plane suspensa sunt. Non sequitur enim quid factum sit, dum Antonius desciscit in regem, ut in præcedentibus. Nam *dum Sextus paterna repetit*, toto mari trepidatur; *dum Octavius patrem ulciscitur*, fuit iterum movenda Italia. *Dum Antonius desciscit in regem.* Vides non finiri sententiam. Commode vere finietur, si meam secutus fueris sententiam, quam & Lipsio & Gronovio placuisse gaudeo.

Gratulandum tamen in tanta perturbatione est) Cur non additur cui sit gratulandum? lege: *Gratulandum tamen ei in tanta perturbatione est*, ei scilicet populo Romano.

## CAPUT IV.

TEnerum & obnoxium, & opportunum injuriæ. Non hæc interpolanda sunt cum viris doctissimis qui malebant *temere hunc obnoxium & opportunum injuriæ videret*, inducti hac ratione, quod quia paullo ante vocetur *acerrimus juvenis*, non possit hic *tener* dici. Præterea *teneros pueros* plerumque in malam accipi partem pro mollibus, impudicis, ut Orpheus apud Ovid. xi Metam.

Il

*Ille etiam Thracum populis fuit auctor amorem*
*In teneros tranferre mares.*

Sed *teneri* dicuntur etiam qui ſunt tenerioris ętatis, ut apud Suet. Aug. 64: *Cajum & Lucium adoptavit domi per aßem & libram emtos a patre Agrippa: teneroſque adhuc ad curam reip. admovit.* Præterea *tener*, & *obnoxius* ſæpe junguntur. Senec. Conſol. ad Marciam 21: *Labuntur humana & fluunt, neque pars vitæ noſtræ tam obnoxia aut tenera eſt, quam quæ maxime placet.* Si quid hic mutandum eſſet invitis libris, delerem *opportunum injuriæ.* Nam quid eſt *obnoxius*, niſi oportunus & expoſitus injuriæ? ut ſuperius lib. III, 20: *Nam & ipſi per fortunam in omnia obnoxii*: ubi vide quæ notavi. Senec. Nat. Quæſt. III, 27: *quam diligenti nutrimento obnoxium corpus adoleſcit.* hoc eſt mille caſibus, & injuriis expoſitum, & opportunum, quod eandem ob rationem ep. 66. vocat *obnoxium animi domicilium*, ipſeque quid ſit explicat, nimirum, quod injuriam pati poteſt: *Quicquid in me poteſt injuriam pati, hoc eſt: in obnoxio hoc domicilio animus liber habitat.* Sæpiuſcule hac utitur voce Seneca & pervenuſte, ut ad eum oſtendit, cui plurimum debet ὁ μακαρίτης Gronovius. In loco tamen Flori nihil novo.

## CAPUT V.

VEteranis in caſtris) Suſpicatur Nilocaus Heinſius *in* a ſciolo inſertum importune delendum eſſe. Caſtra enim veterana accipi a Floro pro veterano milite. Lucan. *caſtra fremunt confuſa.* Poëticum hoc quidem eſt, ſed poëticarum locutionum plenus eſt Florus. Lipſius non ſolum τὸ *in* ſed & *caſtris* cenſet eſſe νόθον. Sed Heinſii ſententiam amplector, ne nimis ab antiquis codicibus recedamus. Illam caſtrorum ſignificationem, quam vir illuſtris oſtendit, ſi repudiemus hic loci, nihil verius opinione Lipſii. Nam nulla in caſtris præmia veteranis ſunt

data, sed in conventu triumvirorum ad Confluentem coloniæ iis sunt decretæ.

Gladio cincta virilis militię uxor) Dudum hic locus suspectus fuit eruditis hominibus. Nam *gladius virilis militiæ* aut, ut alii volunt, *virilis militiæ uxor* sunt nihil. Lipsius emendabat: *Fulvia gladio cincta militiæ, virilis uxor agitabat.* Sed hæc non sunt editis meliora. Ingeniosior fuit Anna, Tanaquilli filia, quę scribit: *virilis audaciæ uxor.* idque firmat exemplo Sallustii de Sempronia scribentis: *Quæ multa sæpe virilis audaciæ facinora commiserat.* Mox Nic. Heinsius *iterum in arma ire* aut *ruere* malebat, pro *iterum in arma ierat.*

## CAPUT VI.

QUid contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem?] Locus contaminatissimus, & in quo purgando laborarunt omnes, qui Floro castigando manus admoverunt. Nolo illorum, qui in manibus omnium versantur, suspiciones enarrare. J. Lipsius in scholis, quas olim Lugduni Batavicæ habuit, hunc scriptorem exponens, putabat verba quædam excidisse, & sic posse redintegrari, si legatur: *Quid contra duos exercitus? necesse fuit venire incruentissimo duci in cruentissimi fœderis societatem.* Sed excedit medicina modum. N. Heins. monuit, quia non nulli MSS. pro *quid* præ se ferant *quod*, &, *ut cruentissimi viri fœderis*, scribendum esse: *Quo contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi viro fœderis necessitatem* Quo hoc est quare, qua propter necesse fuit Augusto venire in cruentissimi fœderis necessitatem, quod solus binis exercitibus in unum conjunctis non posset resistere, eoque modo factum ejus excusat. *quo* ut *eo* quod passim apud Historicos occurrit. *Viro* eleganter additum ut apud Maronem Eclog. x. de Cornelio Gallo:

*Utque*

*Utque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis.*

τὸ *Viro* uſitatum Maroni, Naſonique cum loquuntur de Auguſto. Hæc vir excellentiſſimus in litteris ad me datis de hoc loco. quæ proxime ſane accedunt ad veterum codicum ſcripturam. Ryck. *Quia contra duos exercitus neceſſe fuit venire in cruentiſsimi viri fœderis neceſsitatem.* Sed parum in hoc codice hic eſt ſubſidii. Nunquam potui in animum inducere omiſſum eſſe illius nomen, cui contra duos in neceſſitatem fœderis veniendum erat, hoc eſt tertii triumviri. Quis enim hiſtoriæ illius temporis ignarus hoc divinando poſſet aſſequi? Antonium & Lepidum nominavit. Cur præterit Cæſarem Octavium, in principio capitis, cum non longe poſt ſingulorum nomina repetat? Cenſeo Florum reliquiſſe: *Quid contra duos exercitus Cæſar? neceſſe fuit venire in cruentiſsimi fœderis ſocietatem.* Sequens vocula *neceſſe* τὸ *Cæſar* abſorpſit. Alluſit forte ad tritum vulgo dictum, Ne Hercules adverſus duos. Diſtinctio hec, ut vidimis, Lipſio quoque probatur, & politiſſimæ Tanaquilli Fabri filiæ.

Diverſa omnium nota incendia. Lepidum divitiarum cupido] Ryck. *diverſa omnium tota incendia. Lepidum divitiarum cupido.* J. Lipſius: *diverſa omnium vota, ac incendia.* aut: *diverſa omnium vota ac ingenia.* Sed nihil verius eſt emendatione doctiſſimi Freinshemii: *diverſa omnium vota. Incendit Lepidum divitiarum cupido.* quod & Nic. Heinſio in mentem venerat.

Antonium ultiones] Lege ſine mora ex Ryckiano: *Antonium ultionis* ſcilicet cupido. Vulgatam reſpuit Latina lingua. Sic tamen & J. Lipſius & Nic. Heinſius conjecerant ſcribendum eſſe valde εὐςόχως, cum alii caſtigatores hunc ſcopulum intactum præteriiſſent.

Apud Confluentes inter Peruſiam & Bononiam] Hallucinatur hic Florus. Confluentes hi, plus quam nongentia millia paſſuum abſunt Peruſia, quod & Gerh. Voſſius animadvertit ad Vell. II, 65. Rectius Appianus & Dio inter Bononiam & Mutinam. Ex-

Exercitus consalutant] Videtur hic aliquid excidisse. Nam *consalutant* non addito qui consalutentur non memini legere. Puto Florum reliquisse: *exercitus consalutant inter se.* Cic. 2. de Orat. *Qui cum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent.* Mox Nic. Heinsius: *Lepidus L. Paullum fratrem proscripserit*, deleto *suum*, quod supervacuum sit, & in præcedente versu legatur. Paullo post malebat Lipsius: *proponere rostris jam visitatum erat.* hoc est jam ante viderant tempore nimirum Sullæ. dein idem *videret*, *concurreret.* pro *videretur*, *concurreretur.* Sed non opus mutatione.

Cum Antonius Lucium Cæsarem avunculum suum, Lepidus L. Paullum fratrem proscripserit.] Sic scribendum deleto τὸ *suum*, quod perperam repetitur in vulgatis, qui pręse ferunt *L. Paullum fratrem suum proscripserit*, monente Nic. Heinsio.

## CAPUT VII.

BRutus & Cassius sic Cæsarem quasi Tarquinium regem depulisse regno videbantur] Pulchre vidit Nic. Heinsius superfluum esse *regem*, & expungendum. non longe post idem censet Florum dedisse: *sed libertatem, quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso parricidio prodiderunt.* Sic sane cultiores scriptores malunt loqui, quam quod circumfertur, *perdiderunt.* Sic equus *prodit* rectorem cum dat præcipitem in pugna. Sed nec desunt exempla, quibus vulgata scriptura defendi possit.

Nec illis ad ultionem deerat animus sed ducem non habebant] In hoc loco tricatur vir χαριέςατος, &, mihi dum fata sinebant, amicissimus. Non sunt Cassius & Brutus, quibus ad ultionem animus non deerat, sed veterani Cæsariani, qui in urbem confluxerant, ultionem spirantes Cæsaris, sed tum nondum ducem habebant, non longe post nacti sunt Octavianum Cęsarem.

Displicuit ultio cum consulis abolitione decreta] Ex his

is verbis nullam sententiam elicias. Quid enim sibi ve-
nt nemo intelligit, ut pridem Freinshemius animad-
ertit. Non libet aliorum emendationes hic recoquere.
x vetustis membranis nihil opis expectes. Forte sic lo-
us constituetur bene, si scripseris: *Displicuit ultio Senatus-
nsulto abolitione decreta discordiæ.* τὸ *discordiæ* vitio libra-
orum somnolentorum propter affinitatem litterarum
ræcedentis vocis *decreta* videtur intercidisse. Quis enim,
alii historici intercidissent, intelligeret, cujus rei aboli-
o esset decreta, nisi addatur. *Abolitio* enim simplici-
r pro ἀμνηστία nemo dixerit, aut intellexerit. *Senatus-
nsulto* debetur ingenio litteratissimæ fœminarum Annæ
abri. Non tantum cædis, sed omnis injuriæ ac discor-
æ abolitio decernebatur. Cic. Philipp. *Omnem memo-
am discordiarum oblivione sempiterna delendam censui.* Si
nsensu consulis, quod in Stadii extat editione, veteris
odicis auctoritate stabiliretur, non rejicerem sed lege-
m. *Displicuit ultio, consensu consulis abolitio decreta di-
ordiæ.* Consul est Antonius, qui Ciceroni ἀμνηστίαν
adenti assensus est metu Lepidi, & ut ea SC. sanciretur
peram navavit. vide Dionis lib. XLIX.

Ne tamen publici doloris oculos ferrent] Prærupta hæc
depravata. Modo locutus est de Antonio. Nunc ad
assium & Brutum transit nulla eorum mentione facta,
de quibus agat in hac periodo historiæ illorum tempo-
m ignarus non possit videre, peritus difficulter divina-
. Nullus dubito quin hic non pauca verba descripto-
m vitio perierint. Dein qui sunt *publici doloris oculi*?
*olores oculorum* nemo paulo humanior ignorat. Sed
*uli doloris* Latinis quid sint fateor me ignorare.
ec enim sic dici possunt homines dolentes, vultuque
fronte dolorem præ se ferentes. Sententia loci hæc est.
assius & Brutus quamvis decreta esset injuriarum aboli-
o & oblivio, non poterant tamen ferre luctum illum
omani populi morte Cæsaris dolentis, & percussores
us detestantis, itaque in provincias sibi a Cæsare datas
pro-

profecti sunt. De populi dolore & indignatione Dio lib. XLIV, & Sueton. in Julio. Provincias Cæsarem dedisse Bruto & Cassio non solum ex aliis, sed & ex Ciceronis constat epistolis. Verba quomodo constituenda sint certo non liquet. Cogitabam: *ne tamen publici doloris vis oculos ureret.* ut superius lib. 2: *urebat nobilem populum ablatum mare.* Horat. *Urit me Glyceræ nitor.* Mallem nisi longius recederet a libris, *ne tamen publicum dolorem horum oculi ferrent. Horum* nimirum Cassii & Bruti. Cic. lib. IX. ad fam. ep. 2: *Denique, levissime qui suspicaretur, & qui fortasse me novisset optime, putaret me idcirco discedere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possent.* Aliud est in eadem epistola: *Tibi autem idem consilii do, quod mihimet ipsi, ut vitemus oculos hominum, si linguas non possumus.* Nic. Heinsius tamen de hoc loco ad me his verbis scripsit: legebam olim: *ne tamen publici doloris aculeos ferrent.* pungebat, inquit, dolor publicus Brutum Cassiumque, quod se scirent auctores & caussam esse hujus doloris. Plautus Trinummo: *Jam dudum meum illi pectus pungit aculeus, quid illi negotii fuerit ante meas ædes.* Cic. *maledicti & contumeliarum aculeos* dixit ad Q. Fratrem: *Fuerunt nonnulli aculei in C. Cæsarem, contumeliarum in Gellium, expostulationes cum absente Pompejo.* & si ille passim, vide Gronovium ad Livii lib. XXIII, cap. 42. Sed postea prætulit vulgatum, putatque dictum ut apud Nasonem *oculos non feret ille tuos.* Verum si libere mihi de hoc loco sententia ferre licet, omnino existimo eum mutilum esse; & quasdam voces, si non versus intercidisse. Nam ultima præcedentis periodi verba, ut circumferuntur, nullius sunt sensus, & hæc scabra sunt & cum prioribus non cohærent.

Igitur ordinata magis ut poterat, quam ut debebat in Triumviros republica] Ryck. *Igitur ordinata magis ut poterat, quam ut decebat inter triumviros respublica.* Sed quum in Nazianz. aliisque melioribus libris non habetur *in triumviros* caussæ nihil est ut hæc verba non pro spuriis du-

cantur

cantur, & *respublica* ex iisdem cum Salmasio recipatur.

Eandem illam, quæ fatalis Cn. Pompejo fuit, arenam insederant] Ryck. *eadem illa, quæ fatalis Cn. Pompejo fuit, arena insederant.* Possunt ferri Virg.

*Qui nunc lenti consedimus arvis.*

Sed nihil muto. Nam & *insidendi* verbum passim Livium Sallustium aliosque Historicos, ac poëtas, atque in his Silium, jungere cum casu quarto Nic. Heinsius ostendit. Sil. XII, v. 48.

*Arduus ipse*
*Tifata insedit propior.*

Sic enim scripti, vel *insidit*, ut Coloniensis. & sic etiam ex vetustis nescio quibus editionibus pro *insederant* Freinshemius hic loci notat *insiderant.* Veteres enim *insidere* potius dixisse quam *insedere* copiose ad Maronem est ostensurus. Vulgati apud Silium *Tifata invadit.* Idem Silius lib. V e Coloniensi:

*Silvarum anfractus cæcis insiderat armis.*

Sic & ipse Florus *insidere arcem* III, 21. *collem* IV, 2. *mare* IV, 8.

Sed nec tum imminentia cladis destinatæ signa latuere] Ryck. *sed nec tum imminentia cladis destinata signa latuere.* Bene Salmasius, & olim Lipsius: Sed *nec tum imminentis cladis destinata signa latuere.* forte melius: *imminenti cladi destinata signa.* Imminens clades, quæ illi exercitui impendebat. destinata signa nimirum a fatis. Sic mox *excedens castris quibus capi imminebat.*

Pari in meliora præsagio in Cæsaris Castris.] Ryck. *Dari in meliora præsagio in Cæsaris castris.* Quid hic sibi vult *par præsagium*, cum potius dispar præsagium esset? Nec video quam

quam Latine dicatur *promittere pari præsagio in melius* ve *meliora*. Forte: *At meliore præsagio in Cæsaris castris omnia aves victimæque promiserant*. natum est *in* & *ri* in *dar* ex repetitione litteræ *in* sequentis vocis. & pro *at* scriptum fuit *ad* & dein inversis litteris *da*. Acutiores si quid probalius possit extricari cogitent. Nic Heinsius post has notas litteris mandatas scribit, sibi legendum videri: *Dispari & in meliora præsagio*, ut subintelligatur *converso* ut alibi: *In Ciliciam* Pompejus, *Cæsar in Oceanum*, *exercitus in fugam*, scilicet convertitur; aut si hoc durius sit legendum, *dispari meliora præsagio*, nimirum meliora promittebant.

At, quamvis duces non essent præsentes] copula non extat in Ryckiano. dein pro *quorum alterum*, idem *cum hinc alterum*. præterea verba mox sequentia *primum adeo anceps fuit & par utrimque discrimen, ut exitus prœlii docuit*, sunt turbata, & loco, in quo a Floro fuerant posita, exciderunt. Non enim exitus prœlii docuit par utrimque discrimen, & primum prœlium anceps fuisse, sed id docuit, stetisse absentibus ducibus fortunam & ultoris, & qui vindicabatur, hoc est Octavii & Julii, pro partibus. Totus locus sic est refingendus, si suam ill constare velis integritatem. *Acie namque commissa, cum pari ardore aliquandui dimicatum foret, quamvis duces non essent præsentes, cum hunc corporis ægritudo, illum metus & ignavia subduxissent, stabat tamen pro partibus in victa fortuna & ultoris, & qui vindicabatur, ut exitus prœlii docuit. Primum adeo anceps fuit, & par utriumque discrimen. Capta sunt hinc Cæsaris castra, inde Caßii.* Spero hanc emendationem me probaturum eruditis; qu συνέχειαν istius loci recte perpenderint. Nihil immutavi in vitis libris nisi quod pro *staret* scripserim *stabat*, sententia flagitante. Quia perperam copulam intruserant interpolatores, quam fide Ryckiani expunxi, crediderunt i verbum pendere a præcedente *cum* indeque in *staret* verterunt. P*rimum adeo anceps*, si relinquitur in hoc, in qu

i

in libris extat, loco, nullum eſt ſubſtantivum ad quod accommodetur. Sin reponas in ſuum, quem oſtendi, ordinem, pendebit a præcedenti voce *prœliis.*

Caſſius inclinato cornu ſuorum] Melius Ryck. *Caſſius inclinato cornu ſuo.* ſtatim idem: *& captis caſtris, rapido impetu recipientes ſi videre equites.* Scribe: *& captis caſtris rapido impetu recipientes ſi videris equites.* alii libri tam editi quam exarati manu: *cum captis caſtris rapido impetu recipientes ſe videret equites.* quod tamen non damno. dein idem codex cum Nazar. *tardius enunciaret* & paullo poſt *uni ex proximis.*

Ita enim par ſupereſſe bello convenerat] Ryck. *ita enim ſupereſſe bello convenerat,*ut & non nulli alii libri. Nic. Heinſius vulneri huic medicas quoque manus admovet, Florumque ſcripſiſſe ſciſcit: *ita enim impares ne ſupereſſent bello, convenerat.* & hoc quidem ex fide hiſtoriæ, quæ videnda ſit apud Plutarchum in Bruto. *impares* ut lib. II, cap. X: *Ipſo Oceano tranquillo magis, quaſi ſe imparem fateretur.* & II, 17: *Cum interim imparem Druſum, ægrumque rerum temere motarum mors abſtulit.* Convenerat Brutum inter Caſſiumque, ſi prœlio ſuccumberent, ſibi manus inferre, aut ſaltem non ſupereſſe bello. Mutatio autem hic non eſt magna ſi veſtigia corruptionis inſpiciantur. *Im τῦ enim* eſt iterandum, ſic habebimus *impar*, deinde mutuandum *es* e ſubſequenti *ſupereſſe* ita fiet *impares*, ſed & *ne* excidit quod paullo ante habuimus.

Ad ultimum non ſuis manibus uſos] Lipſius malebat: *Ad ultima non ſuis manibus uſos.* Mox bene Gruterus delevit negantem particulam, firmante Ryckiano: *Niſi hoc quoque ex perſuaſione defuit.*

## CAPUT VIII.

HIc ſecum piratas navales agitabat] Eſt & hic locus inter conclamatos. Lipſius conjiciebat, *hic ſemipirata navales pugnas agitabat.* quod indignum tanto viro. Nic. Heinſius exiſtimat perperam omiſſam a librariis eſſe vocem *prædas*, quæ ſi reponatur, omnia eſſe expedita. *Hicce pirata prædas navalis* (pro *navales* antiquo more) *agitare.* Eſſe autem Salluſtianum *prædas agitare*, pro quo alii *prædas agere* dicant. Reſpexiſſe Florum ad illa Lucani, qui eodem modo de hoc ipſo Sexto:

*Polluit æquoreos Siculus pirata triumpohs.*

Ut ſuperius jam notavimus. Sed cum ſequentia conſidero non unam hic vocem ſed plures verſus intercidiſſe perſuaſum habeo, quod & Gronovius ὁ μακρίτης ſentiebat. Copiarum navalium magnitudinem deſcripſerat. Verba ſequentia oſtendunt. *Tanta mole belli penitus in Siculo freto juvenis oppreſſus eſt.* Hęc cum præcedentibus non cohærent.

Sub percuſſore] Ryck. cum Pall. *ſub percuſſoribus.*

Aſiamque velis petit] Lipſius: *petiit. Tandem &c.*

## CAPUT IX.

TErrore ſui ſeculum liberavit] Hoc ex Stadii editione recepit Freinshemius. Alii *terræ ſeculum liberavit.* Sed Ryck. *tandem & totum terre ſeculum liberavit.* lege: *tandem & totum terrore ſeculum liberavit.*

Diſſipant Antoniana præſidia] Nazar. *diſputant Antoniana præſidia.* Sed excidit ſyllaba, quam integram ſervavit Ryckianus, in quo recte ſcribitur: *diſpulerunt Antoniana præſidia.*

Equitatum toto inter Orontem & Euphratem ſinu late cecidiſſet] Ryck. *Equitatum inter Orontem & Euphratem Atum late cecidiſſet.* Nihil multo. Eſt enim hoc loquendi genus Floro familiare. Sic ſuperius 11, 16: *Critolai manum*

*num Metellus Conſul per patentes Elidis campos toto cecidit Alpheo.* & ſic alibi quoque.

## CAPUT. X.

VIrium mutuarum documenta feciſſent] Alii dicerent *virium mutuarum documenta dediſſent.* forte ſic Florus ſcripſit.

Cum ſubito nec magna hoſtium manus] Quomodo non magna hoſtium manus tanquam nimbus potuit erumpere, & duas legiones operire telis? lege: *cum ſubitanea & magna hoſtium manus.* Hoc & Lipſio ſuccurriſſe poſtea deprehendi, cum olim ſic emendandum eſſe dixerit. Dein Lipſius malebat: *cum fidem eo ipſo feciſſet.* Eſt hoc ſane Latinius.

Quadam forte] Sic recte Ryck. & alii libri meliores. *Quadam forte* eſt quodam caſu. Suet. Tib. XI: *Forte quadam in diſponendo die.* Sic enim ibi legendum oſtendi.

Qui Parthorum tela fugiſtis) Ryck. *qui Parthorum tela fugitis.* Unde vitio librariorum in aliis membranis *fudiſtis*, ſeu *fuditis.* Hinc correctores formarunt *fertis.*

Tum quibuſdam Salmacidis fluvius infeſtior)· Sic & Ryck. Sed legendum cum Salmaſio *quibuſdam ſalinacidis fluvius infeſtior.* Salinacidis ſcilicet aquis, quæ ſallæ erant & acidæ. Salinacidæ Latinis dicuntur quæ Græciis dicuntur ὁ ξαλυκαί, ὁ ξαλμυϱαὶ. legitur hæc vox & apud Plinium tam Veronenſem, quam Valerianum, nec non Gariopontum alioſque. de ea vide Viros Magnos Salmaſium in Exercitationibus Plinianis. & Reineſum, III Variarum Lectionum c. 4.

Cum noxiæ etiam dulcis fieret] Hic etiam correctores graſſati ſunt. Nam & triviales litterionum canones dictitant dicendum fuiſſe: *cum noxiæ etiam dulces fierent.* Ryck. *cum maxime quoque dulces fere.* Sed totus locus ex illius codicis veſtigiis ſic eſt reſcribendus: *noviſſime, quia ab invalidis & avide hauriebantur, noxiæ quoque dulces fuere.* & ſic fere Freinshemius.

## CAPUT XI.

FUror Antonii quatenus ambitu Antonii non inter ret] Ryck. *Furor Antonii quum ambitu Antonii n interiret.* Sane videtur hanc vocem postulare *inter ret.* Hinc & Acidalius ad Vell. II, 68. notavit *interib* legendum esse.

Tabulis allevatæ] Ryck. *elevatæ.* dein: *adhæc ignib jactis.*

Toto mari ferebatur. Arabumque & Sabæorum spolia Ryck. *toto mari ferebat Arabumque.* Distingue: *toto m ri ferebat Arabumque & Sabæorum & mille aliarum ge tium Asiæ spolia. Purpuram, aurumque.* vidit & Salma Nam & Naz. & Pal. hanc lectionem ostendunt. Circun ferebant toto mari in prœlio fractæ naves Antonii res pr tiosas, quas ex Arabia & Sabæis Ægypto vicinis secu Antonii milites portarant. Mallem tamen pro *fereba* scribere *spargebant* si libri suffragarentur.

Se in altum dedit] Ryck. *se in altum tulit.* non ma Terent. *huc te fer.* & similia alia. *Dare in altum*, qu Salmasius vult non legitur apud scriptores antiquos, si r cte memini: *Dare vela in altum* sæpe.

## CAPUT XII.

AD Septentrionem conversa plaga ferocius fern agebat; Norici, Illyrii Pannonii] Nic Heinsiu *Ad Septentrionem conversa plaga ferocius fere ag bant Norici, Illyrii, Pannonii.* pro in plaga ad Septentri nem conversa ferocius agebant illi populi.

Quæ fuerit callidarum gentium feritas] Salmasius mu tis disputat has gentes barbaras fuisse & incultas non ca lidas. Naz. & Ryck. *albidarum gentium.* Hinc Nic. Hei *validarum gentium.* Sic infra hoc capite, *duæ validissim gentes Cantabri, & Astures.* & sæpius alias. hoc & I pl

psio placebat. Salmasius *Alpicarum gentium* rescribendum censet. Quæ vox non solum in notis Tyronis reperitur, sed & in elegantissima inscriptione antiqua in Allobrogibus inventa, quam mecum communicavit amicus.

SYLVANE. SACRA. SEMILCUSE. FRAXINO.
ET. HUJUS. ALTI. SUMME. CUSTÓS. HORTULI.
TIBI. HASCE. GRATES. DEDICAMUS. MUSICAS.
QUOD. NOS. PER. ARVA. PERQUE. MONTES. ALPICOS.
TUIQUE. LUCI. SUAVEOLENTIS. HOSPITES.
DUM. JUS. GUBERNO. REMQUE. FUNGOR. CAESARUM.
TUO. FAVORE. PROPERANTI. SOSPITAS.
TU. ME. MEOSQUE. REDUCES. ROMAM. SISTITO.
DAQUE. ITALA. RURA. TE. COLAMUS. PRAESIDE.
EGO. IAM. DICABO. MILLE. MAGNAS. ARBORES.
T. POMPONII. VICTORIS. PROC. AUGUSTO. T.

In versu septimo nescio descriptoris, an marmorarii culpa scriptum sit, *tuo favore properanti* pro *tuo favore properanti*.

Infantes ipsos adflictos humo in ora militum] Nic. Heinsius: *adflictos humi* dicerent melioris ævi scriptores. Nazarian. *adflictos humano*. Puto *adflictos humi* (*immane!*)

*ne!)in ora militum adversa miserunt.* & sane pro genio Flori.

Ad quædam quasi claustra custodiunt] Ryck. & Pal. Prim. *& quædam quasi claustra custodiunt.* Pal. Tert. *ad quædam claustra custodiunt.* Scribendum videtur: *imasque valles earum, quædam quasi claustra, custodiunt.*

Fierique pontes imperavit] Mss. *fierique pontem & aquis imperavit.* an, *fierique pontem e cratibus imperavit.* de tali ponte videndus inter alios Lucanus lib. v, v. 118 E cratibus enim naves quandoque texebantur. Hæc vir Illustris Nic. Heinsii de hoc loco est sententia.

Cum Illyricus multitudine pontem succidisset] Hæc nullius esse sententię & adversari historiæ dudum notavit Salmasius, qui ex codice Nazar. legit *cum lubricus pons multitudine succidisset.* Sed cur *lubricus*? Verior est scriptura Jornandis probata quoque Grutero & Lipsio: *cum subruptus multitudine pons succidisset.* Mox Ryck. etiam *speciosiore sanguine*, ubi non male Salmas. *speciosior e sanguine.* Dein idem Ryck. tuetur *tribus fluviis.* Verius tamen alii *duobus fluviis.* ut pluribus ostendit Salmasius.

Vibium misit] Lipsius mallet: *Fusium misit* de quo Dio lib. XLIX. Ryck. *Virinum misit.* Corrupte.

Quod alioqui gens omnium cupidissima] Sic quidem fateor, omnes libri. Mihi tamen suspectus est hic locus partim quia nusquam legitur Dalmatas auri tam cupidos fuisse, aut magis cupidos quam alios populos, dein, quia *cupidus* sine suo casu nunquam positum me legere memini, nisi apud Poëtas, quibus *cupidus vir, sponsus, puella* dicitur; & tandem quod totius loci sententia sit perabsurda quod & eximius ille Freinshemius vidit & annotavit. Omnes vero hi scrupuli e medio tollentur, si levi immutatione scripseris pro *cupidissima, stupidissima.* Hoc, inquit, aurum gens in omnibus aliis negotiis stupidissima tanta diligentia ac studio quærit, tota in metallis suis quasi defossa, ut videatur id sibi quærere, & suis usibus eruere, ac repurgare, cum tamen omnis hic labor in gratiam & usum Romanorum perferatur.

Et illi, ita, inquiunt] Atqui unus tantum erat, qui an

te aciem Romanos adloquebatur. Crediderim itaque Lipsio, qui olim in prælectionibus suis Leidæ habitis monuit legendum esse: *Et ille, ita, inquit, si nos viceritis.* Nisi malueris totum exercitum oblocutum esse Romanorum responso superbo.

Non minimum terroris] Non male Ryck. *Nec minimum terroris.* Melius cohærebit sic præcedentibus. Mox idem codex: *Conidius* æque ut Lipsian. & Pall.

Ante hos Thracum maxime populus desciverat.] Hunc locum corruptissimum esse viderunt omnes, sed qui restitui possit nondum potuerunt pervidere. Pall. Lips. Ryck. *Apud hos Thracum maxime populus desciverat.* Lipsium notat Nansius hinc finxisse: *Sub hos* hoc est post hos. Sed hoc non est Lipsianum. Salmasius scribit in Nazar. *Ante A S S E R E G V M maxime desciverat. ille barbarus*, præfatus aliquot populorum Thraciæ nomina sub ista latere balbutie, quæ exclusus angustiis nunc non possit e latebris eruere. Vide tamen an mihi Apollo fuerit propitius & bona mens in vera lectione hujus loci e vestigiis veterum codicum restituenda. Non multorum Thraciæ populorum nomina sed unius tantum populi nomen intercidisse ostendit *populus desciverat.* Si de omnibus Thraciæ populis locutus esset dixisset *Thraces*, ut paullo post, *Daci*, ante *Dalmatæ*, aut Thracum populi. Certum utique est latere populi Thracici, qui tum desciverat, nomen. Legendum itaque censeo: *Bessi Thracum maximus populus desciverat.* Dio Cassius lib. LIV. ubi de hoc bello agit, & narravit Vologæsum Thracem Bessum sacerdotem Bacchi hujus belli auctorem esse, subjicit non longe post: Λούκιος Πείσων ἐκ Παμφυλίας, ἧς ἦρχε, προσετάχθη σφίσι. καὶ προαναχωρησάντων οἴκαδε τῶν Βησσῶν, ἐπειδὰν ἐπυνθάνοντο αὐτὸς προσιόντα, ἔς τε τὴν γῆν αὐτῶν ἀφίκετο, καὶ ἡττηθεὶς τὸ πρῶτον, ἀντεπεκράτησε, καὶ ἐκείνην τε καὶ τῶν προσχώρων τῶν συνεπαναστάντων σφίσιν ἐπόρθησε. *Contra hos L. Piso, qui tum Pamphyliæ præerat, bellum gerere jussus est. Cujus adventu præcognito cum recessissent Bessi, ipse*

*in eorum regionem exercitu adducto , primo prælium sinistrum fecit, deinde recuperata victoria Bessorum & circumjacentes agros eorum , qui defectionis socii fuerant, vastavit.* Corruptionis vulgatorum librorum hæc videtur origo. Ex præcedente vocula *fundebat* ultima syllaba a scriba fuit geminata, & vocabulum gentis Thraicæ ignotum descriptoribus cœpit quoque vitiari, ex *fundebat at bessi* natum est *fundebat. a te se* & *a te asse*, quod cum nullius esset sententiæ natum est illud vulgatum *fundebat ante hos*, & in aliis, *fundebat apud hos.* Pro *maxime* jam in aliis editionibus *maximus* legitur rectius, quod & Anna Tanaquilli Filia probat. Quam prodigiose vitiata sint nomina gentium, montium, oppidorum, non ignorant ii qui veteres codices inspexerunt. Sic paullo post in Ryck. & aliis Mss. legitur: *inde ceteros percurrit etiam factos*, pro *inde Tencteros percucurrit & Cattos.*

Decurrere] Malebat Lipsius *discurrere*, quomodo & in Nazarian. scribi notavit Salmasius. Sed cum in montibus Dacos hærere paullo ante dixerit Florus, aliorum codicum lectio non est removenda, *decurrere* enim est ex montibus descendere & planas terras infestare.

Cæsarem bis trajecto ponte Rheno quæsisse bellum] Ryck. *Cæsarem bis transuetum pontem Renum quæsisse bellum.* forte Florus scripsit *Cæsarem bis transvectum ponte Rhenum quæsisse bellum*, hoc est *Cæsarem* bis per pontem trans Rhenum quæsisse bellum. Sic apud Claud. *Transvehitur Tuscos.* Sed expectandus aliorum bonorum librorum consensus.

Et factum erat] Recte Gronovius: *& facta erat* scilicet provincia.

Nam Marcomannorum spoliis insignibus quendam editum tumulum in tropæi modum excoluit] *Nam* quid hoc loco faciat non exputo. Nihil enim præcessit, cujus hic ratio redditur. Scribendum *jam*, qua vocula solent uti in connexionibus, ut superius, & pluribus ad Justinum ostendi. *Jam* frequenter in *nam* degeneravit. Dein

non

non concoquo *insignia spolia*, nec qui Latine scit feret hanc locutionem. Scripsit Florus: *Jam Marcomannorum spoliis insignem quendam editum tumulum in tropæi modum excoluit.* ut superius 11, 17: *insignia trabeis & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis tropæa fixit.* Just. v. 8. *nec postea virtutibus, sed cladibus insignes fuere.*

Ipsosque prœda divisit] Num quis est, qui nos docere possit, quid sit *præda dividere & vendere*? Nugæ. Ante multos annos docui legendum esse *prædam divisit.* quod etiam Lipsius & Nic. Heinsius viderunt. Hic si mavis, inquit, scribi possit *postea in prædam.* Sed ego præfero *ipsos prædam divisit.* ut apud Justin. *redemtionis pretium arma reginæ poposcit.* Hac ἐπεξηγήσει quid est apud Florum frequentius?

Albim] Ryck. *Albium.* Sic & aliorum scriptorum libri veteres.

Bonnam & Gesoriacum cum pontibus junxit] Hanc scripturam quamvis contaminatam retinet quoque cum multis aliis Ryck. Sed nullus dubito quin recte viderit Cluverius ille eruditus legendum esse *Moguntiacum.* Gessoriacum, Icius portus, qui postea Bononia dicta, in ultimorum Morinorum littoribus sunt, & longe a Rheno remota.

Defuncto ibi fortissimo juvene, ipsi, quod nunquam alias, Senatus cognomen ex provincia dedit] Turbat τὸ *ipsi* & sententiam hujus περικοπῆς, & non convenit emendate scribentium consuetudini. Quis enim sic loquitur. *Cicerone mortuo ipsi hic honor habitus.* Priscianus sane hanc balbutiem & stribiliginem non ferret. Si vis ergo huic loco suam constare valetudinem ejice τὸ *ipsi* & scribe: *Denique non per adulationem, sed ex meritis defuncto ibi juveni, quod nunquam alias, senatus cognomen ex provincia dedit.* Videas quam niteant nunc omnia detersa hac rubigine. defuncto juveni cognomen Germanici dedit Senatus, quod nunquam alias factum, cum soleret vi-

ctoribus vivis ex provinciis redeuntibus cognomina decernere, non defunctis.

Libidinem ac superbiam haud secus quam sævitiam] Nemo sævitiam objecit Varo. Quin sic describitur a Vellejo Paterculo ejus ingenium, ut quam longissime ab hoc crimine videatur esse remotum. *Varus Quinctilius*, inquit, *illustri magis quam nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus, ut corpore & animo immobilior, otio magis castrorum, quam bellicæ adsuetus militiæ.* Itaque legendum censeo, *libidinem ac superbiam haud secus quam segnitiam.* Et sane sequentia hoc comprobant. Nam securitatem ejus & segnitiem redarguit, & clarius Vellejus eodem loco: *simulantes fictas litium*, &c. *in summam socordiam perduxere Quinctilium, usque eo, ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui praeesse crederet.*

Rubigine oblitos enses] Nic. Heinsius scribi jubet ex Palatino: *rubigine obsitos enses.* Sic enim loquuntur Latini. Mox idem ex Nazarian. in quo habetur. *Inertesque ererent equos* legendum vidit: *inertesque quererent equos. que* scilicet iterandum erat.

Unius os sutum] Optime Nicolaus Heinsius *μυτῶν μέγα κλεός* in notis ad Ovidium legendum censuit: *uni os obsutum. Uni* sane quædam editiones ostendunt, *obsuere* vero verbum rarius sæpiusque corruptum multis scriptoribus vir summus restituit. *Obsuere* enim est os acu & filo constringere, & connectere.

Tandem vipera sibilare desiste] At jam desierat. Credo Florum scripsisse: *tandem vipera sibilare desisti*, pro desivisti.

Hac clade factum, ut imperium; quod in littore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret] Ubi ergo steterat imperium, si non stabat in Oceani littore? Num extendebatur ultra hujus Oceani Septentrionalis littora? Dele negandi particulam, perperam ab inepto homine in-

intrusam. Florus exaravit: *Imperium quod in littore Oceani steterat, in ripa Rheni fluminis staret.* Prolati erant fines imperii ad Albin & littora Oceani, sed cæsis legionibus Quintilii Vari, retracti sunt ad ripas Rheni. Ripas Rheni opponit littori Oceani.

In hoc unum servitutis genus adsueverat] *Genus* ignorat Ryck.

Strictus ac recreatus ex vulnere in tempus] Monstrum lectionis præfert Nazarian. *stricto farre creatus*, aut *stricto serre.* Ne recedunt longe codices alii, qui omnes *stricto* aut *strictos.* Hæc cum expendisset Nic. Heinsius, sic huic loco medicinam faciendam esse censet: *stricto Cæsar recreatur e vulnere in tempus.* Istius emendationis has subjecit rationes vir eruditissimus: *In tempus* pro ad tempus, ut solet Florus. Sic lib. 1, cap. 6. *quasi in tempus*, ut e codicum vestigiis Salmasius. alibi *in Cæsarem* pro ad Cæsarem. *Stricto vulnere*, ut apud Livium XXII, 51: *assurgentes quidam ex strage, quos stricta matutino frigore excitaverant vulnera.* Eleganter etiam *recreari e vulnere* dictum. Idem Livius XXIX, 18: *Recreatus deinde legatus ex vulneribus tribunos militum in vincula conjectos trucidando occidit.* Valer. Maxim. IX, II: *quem postquam ex vulnere recreatum conspexit, accusare ad populum instituit.*

Non incruento, nec inulto tamen certamine] Scribendum censuit Lipsius: *nec multo tamen certamine.*

Segisamam] Sic emendavit recte Salmasius. Ryck. *Secus Samam.* Mallet autem Lipsius. *ipse venit, apud Segisamam castra posuit.* Sed liberalitatem hanc refutant libri. Nic. Heinsius e contrario rectius habiturum hunc locum putat, si sublato τοῦ *venit*, scribamus: *Ipse ad Segisamam castra posuit.*

Totam indiem amplexus Cantabriam] Hoc *indiem* quid sibi velit nemo exputabit. Jam olim Freinshemio merito suspectum est. Lipsius & Gronovius conjecerunt.

*Totam*

*Totam amplexus Cantabriam* N. Heinſ. *unde partito exercitu totam indidem amplexus Cantabriam*, *indidem* inquit, notum etiam Ciceroni vocabulum.

Sub mœnibus Belgicę] Belgica nulla eſt in Hiſpania. Non male Stadii editio: *ſub mœnibus Vellicæ.* Nimirum pro *Vellica* ſcripſerunt librarii *Bellica*, infinitis in locis pro V. veteres libri & inſcriptiones habent B. hinc ſcioli *Belgicam* finxerunt. Vellica vero fuit Cantabrię civitas, quod docti non ignorant, a qua videtur etiam dictus *Deus Endovellicus* in antiquis inſcriptionibus notus, de quo extat erudita *διατριβὴ* Thomæ Reineſii.

Major pars a captivitate, quæ videbatur] Hæc ſuſpecta ſunt N. Heinſio, qui malit, *quæ prævidebatur.* paullo inferius reſcribendum idem cenſet: *fuiſſet & anceps*, *& cruentum*, *& utinam mutua clade certamen*, *cunctis tam fortibus.* Male vulgo: *tunc tam fortibus.*

Ægre dux impetravit veniam] Omnino ſcribendum: *ægre dux impetrarit veniam*, ut recte vidit Nic. Heinſius. Si vulgatam retines, dicam tibi ſcribet Priſcianus.

Medulii montis obſidio] Videtur ſcribendum: *Inde Edulii montis obſidio.* mox pro *quæ videbatur* legendum *qua videbatur* hoc eſt qua via ſeu ratione cuilibet videbatur. & non longe poſt *per id tempus* præſtat ſcribi pro *per idem tempus.*

In pacis partes promtiore] Legit Lipſius *in pacis partes proniore.* Nic. Heinſio magis placebat: *in pacis artes promtiore.*

Ingentis eſſe conſilii illud obſervari cœpit] Nazar. *in gentis eſſe conſilium illud obſervari caput conſilio.* Quid ex his Salmaſius conficiat in ejus notis poteſt legi. Sed hominibus eruditis non probavit hanc emendationem. Lipſius ſic reſcribi hunc locum præcepit in acroaterio Lugdunenſi: *Ingentis arbitratus eſſe conſilii illud, obſerari caput conſilii.* hoc eſt, ut puto, celare rationem conſilii. Sed nec hæc poſſunt placere, nimis ab hoc loco aliena, ne dicam de illa locutione inuſitata *obſerare conſilium.* N.

Hein-

Heinsius animum etiam appulit ad hunc locum sanandum, qui vetustissimi libri ductum secutus, existimat Flori hanc esse manum: *Ibi ingentis usus esse consilium illud observari. Caput consilio natura regionis circa omnis aurifera. Ingentis usus* est ingentis utilitatis. *Ingens Consilium* sibi haud lectum ait in Latinis scriptoribus, quod sciat. Sed vulgatam non rejicio lectionem, quam alii codices asserunt. Apud Ciceronem est *magnum consilium.* In epist. ad Att. VI, *Quid ætati sit credendum, magni consilii est.* Idem in iisdem epistolis: *Nihil mihi adhuc accidit, quod majoris consilii sit.* Alibi sic etiam loquitur. Cur repudiem *ingentis consilii?* Florus scripsit, ut est acuminum affectator. *Ingentis esse consilii consilium illud, observari cœpit.* Istud consilium Augusti, quod verbis præcedentibus exposuit, cum ex montanis terris jussit Astures in planos campos migrare, ne fiducia mentium rebellarent, observabatur esse prudentissimum. Hoc consilio enim in officio & obsequio retentus est contumax populus. Lusit Florus in voce *consilium*, quod modo accepit pro ratione agendi quam excogitarat Augustus, ut in fide manerent subacti, modo pro prudentia, ita ut *consilium magni seu ingentis consilii* ei sit consilium plenum prudentię, consilium sapientissimum. *Observari cœpit*, est observatum tum est. Sed nihil hic novi consilii, quod ante ignoravit respublica. Idem consilium secutus erat ante Pompejus in piratis coercendis & perdomandis, quod ipse Florus prædicavit III, 6: *Nec fidelior in posterum reperta gens ulla est. Idque prospectum singulari consilio ducis, qui maritimum genus a conspectu longe removit maris, & mediterraneis agris quasi obligavit.*

Regio circa se omnis aurifera] *Se* intrusum esse a barbaris ante multos annos vidi & docui. Latini enim dicunt *regio circa omnis aurifera.* Liv. I, 4: *Lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse.* Hoc Heinsius etiam vidit. & supra de hac locutione non nihil notavi. Mox Ryckianus: *Igitur exerceri solum jussit.*

Intra

Intra Taurum & Euphratem] Intra Taurum dudum ante Augustum omnia fueruntpacata. Igitur Lipsius conjiciebat: *intra Euxinum & Euphratem*, sed verius Salmasius *intra Cyrum & Euphratem*. Totidem litteris sic in Ryckiano scriptum legitur.

Rapta clade Crassiana signa] Nic. Heinsius legit: *Capta clade Crassiana signa.*

Cuncta atque continua pax] *Cuncta pax* quid sibi velit nec ego scio nec alius quisquam Latine doctus intellexerit. Non id fugit aciem ingenii magni Lipsii, qui rescribi volebat: *juncta atque continua pax.* Non nego *junctos ac continuos agros* legi in veterum scriptis: sed quid sit *juncta pax*, æque intelligo, ac quid sit *cuncta pax*. Florus videtur usus esse recondito vocabulo quod correctores interpolarunt, ut fit. Puto autem eum scripsisse, quod & Gronovium doctorem nostrum audio observasse, *una atque continua pax. Una pax* est, quæ per omnes gentes & terras eodem tempore est diffusa; ut e contrario superius lib. III, 17. *unum bellum*: *Post illa duo clarissima urbium incendia late atque passim, neque per vices, sed simul pariter & quasi unum undique bellum fuit.* Statio *una mors* de pestilentia: *populis mors una venit*, quæ multos eodem tempore tollit e medio. Hæc exquisitior hujus vocis notio, magistris ignota & descriptoribus caussa fuit vitii, quo hic locus contaminabatur.

CO-

# COLUMNÆ ROSTRATÆ

## INSCRIPTIO

## A PETRO CIACONIO

## *SUPPLETA.*

C. BILIOS. M. F. COS. ADVORSOM. CARTACINIENSEIS. EN. SICELIAD
REM. CERENS. ECEST. ANOS. COCNATOS. POPLI. ROMANI. ARTISUMAD
OBSEDEONED. EXEMET. LECIONEIS. CARTACINIENSEIS. OMNEIS
MAXIMOSQUE. MACISTRATOS. LUCAES. BOVEBOS. RELICTEIS
NOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACELAM. MOENITAM. URBEM.
PUCNANDOD. CEPET. ENQUE. EODEM. MACESTRATOD. PROSPERE
REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. CESET. RESMECOSQUE
CLASESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PARAVETQUE. DIEBOS. LX
CUMQUE. EIS. NAVEBUS. CLASEIS. POENICAS. OMNIS. PARATASQUE.
SUMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRÆSENTED. MAXUMOD
DICTATORED. OLOROM. IN. ALTOD. MARID. PUCNANDOD. VICET
XXX QUE. NAVEIS. CEPET. CUM. SOCIEIS. SEPTEMRESMOMQUE. DUCIS
QUINRESMOSQUE. TRIRESMOSQUE. NAVEIS. XX. DEPRESET

AUROM. CAPTOM. NUMEI ΦΦΦ DCC
ARCENTOM. CAPTOM. PRÆDA. NUMEI CCCIↃↃↃ C
CRAVE. CAPTOM. AES. CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ
CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ
CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ PONDOD

TRIOMPOQUE. NAVALED. PRÆDAD. POPLOM. ROMANOM. DONAVET
DAPTIVOS. CARTACINIENSEIS. INCENVOS. DUXET ANTE. CUROM
PRIMOSQUE CONSOL. DE. SICELEIS. CLASEQUE. CARTACINIENSEOM
TRIOMPAVET. EAROM. REROM. ERCO. S.P.Q.R. EI. HANCE. COLUMNAM. P.

COLUMNÆ

# COLUMNÆ IN A P E O

S ?

C. BILIOS. M. F. COS. AIN. SICELIAD
REM. CERENS. ECEST. A. ARTISUMAD
OBSEDEONED. EXEMEEIS. OMNEIS
MAXIMOSQUE. MACIS RELICTEIS
NOVEM. CASTREIS. ETAM. URBEM.
PUCNANDOD. CEPET. ). PROSPERE
REM. NAVEBOS. MARIESMECOSQUE
CLASESQUE. NAVALESUE. DIEBOS. LX
CUMQUE. EIS. NAVEBUARATASQUE.
SUMAS. COPIAS. C MAXUMOD
DICTATORED. OLOR NDOD. VICET
XXXQUE. NAVEIS. CEPOMQUE. DUCIS
QUINRESMOSQUE. TRX. DEPRESET
AUROM. CAPTOM. N
ARCENTOM. CAPTO
CRAVE. CAPTOM. A CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ
CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ
CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCICIↃↃↃ PONDOD
TRIOMPOQUE. NAVALↃM. DONAVET
DAPTIVOS. CARTACINANTE. CUROM
PRIMOSQUE CONSOL. DEACINIENSEOM
TRIOMPAVET. EAROM. . COLUMNAM. P.

COLUMNÆ

COLUMNA ROSTRATA

A

CIACCONIO SUPPLETA,

EXPLICATA.

*Semicirculis incluſa explicationis gratia adjecta ſunt.*

CAjus Duilius Marci filius Conſul adverſus Carthaginienſes in Sicilia
rem gerens, Egeſtanos (ſocios atque) cognatos populi Romani artiſſima
obſidione exemit. Legiones (enim) omnes Carthaginienſium (qui Egeſiam obſidebant, & Amilcar)
maximus (eorum) magiſtratus (feſtinandi ſtudio) elephantis relictis
novem, caſtris effugerunt. Macellam (deinde) munitam (validamque) urbem
pugnando cepit. Atque in eodem magiſtratu
proſpere rem navibus mari Conſul primus geſſit; remiges
claſſeſque navales primus ornavit atque paravit
diebus ſexaginta. & cum his navibus, claſſes
Punicas omnes, paratas (ornatas) que ſummas copias Carthaginienſium, præſente (Annibale) maximo dictatore illorum, in alto mari pugnando ſuperavit;
trigintaque naves cum ſociis (hoc eſt cum ipſis hominibus) cepit, & ſeptiremem prætoriam,

quin-

quinqueremes ( præterea ) ac triremes naves xx
depreſſit.

Aurum captum in præda nummi III. M
DCC.

Argentum captum in præda nummi C. M.

Æs grave captum vicies ſemel centena millia pondo atque in triumpho navali prædam ( omnem in ærarium ) Popul. Rom. intulit. captivos ( etiam ) Carthaginienſes ingenuos (hoc eſt, nobiles aliquot) ante currum duxit primuſque Conſul, de Siculis, & claſſe Cartaginienſium triumphavit. Earum rerum ergo S.P.Q.R. ei hance columnam poſuit. *vel* triumphavit. Earum rerum ergo Marti donum dedit atque dicavit.

PETR



# PETRI
# CIACCONII
# TOLETANI
## IN
## COLUMNÆ ROSTRATÆ
## INSCRIPTIONEM
### *a se conjectura suppletam Explicatio.*



OLUMNAE Rostratæ, quam primo Punico bello, ob gloriosam illam navalis prælii de Carthaginiensibus victoriam, C. Duilio Populus Romanus in Foro posuit, ita meminit Plinius lib. trigesimo quarto, cap. uinto: *Antiquior columnarum celebratio, sicut C. Mæ-*, *qui devicit priscos Latinos; item* [a] *C. Duilio, qui imus navalem egit triumphum de Pœnis, quæ est etiam nc in Foro.* Et Quinctilianus lib. primo, cap. septimo: *atinis*, inquit, *veteribus* D, *plurimis in verbis in ulti adjecta est; quod manifestum est etiam ex columna Roata, quæ est Duilio in Foro posita.* Servius etiam ad illud irgilii Georg. III.

*---- & navali surgentes ære columnæ;*

scribit, ut quidem in vulgatis exemplaribus legitur: *stratas Julius Cæsar posuit victis Pœnis navali certami-, e quibus unam in Rostris, alteram ante arcum vide-s, à parte januarum.* Sed rectius in Vaticano libro:

 Ro-

a Sive ut in mss. lib. legitur. C. Vilio.

*Rostratas* [a] *Vilius posuit victis Pœnis navali certamine, e quibus unam in Rostris videmus, alteram ante Circum, a parte januarum.* Ejus columnæ basis, seu parastata potius, non procul ab arcu Septimii, in Foro ipso Romano, proximis superioribus annis e ruderibus effosa fuit; sed ea reliquis partibus integra, qua inscriptionem habuit, quę Duilii res terra marique gestas continebat, pluribus locis fracta, misereque lacerata est, ad eum modum qui supra scriptus est. Verum sit ne ea ipsa, quam Plinius, Quinctilianusque viderunt, non facile dixerim certe antiqua illa, quæ ipsius Duilii ætate, hoc est, quingentesimo fere P. R. C. anno collocata fuit, non esse videtur. nam & litteræ elegantiores sunt, quàm ut illo rudi harum artium sæculo incisæ videri possint; & scribendi ratio, qua illa ætate Romani utebantur, non ad amussim in ea servata reperitur. In iis enim quę restant ejus marmoris fragmentis, EN, scriptum est, & IN. NAVEBVS. & NAVEBOS. CLASEIS, & CLASES. PRAEDAD, & PRAEDA. præterea MACISTRATOS, I, quarta littera, cum scribat Quinctilianus lib. primo cap. quarto, antiquos *magestrum* & *magestratum* dixisse: a quo etiam *mage*, pro *magis* Plautus, aliique veteres usurparunt. MAXIMOS etiam ibi est, cum sic scribat idem Quinctil. lib. primo cap. septimo. *Etiam optimus, maximusque ut* I, *media littera, quæ veteribus* V, *fuerat, acciperent, C. primum Cæsaris inscriptione traditur factum.* Quod & ipsum ex Varrone Isidorus refert lib. primo Etymol. cap. vigesimo sexto his verbis: *Maxumus an maximus, & si qua similia sunt, qualiter scribi debeant, quæsitum est. Varro tradit Cæsarem per* I, *ejusmodi verba enuntiare solitum esse & scribere. inde propter auctoritatem tanti viri, consuetudinem factam, ut optimus, maximus, pessimus scribatur.* Quod si idem Isidorus vera scribit lib. primo Etymol. cap quarto,

[a] V. enim pro B, in antiqu. libris sæpe reperitur: inde est hoc loco Vilius pro Bilius.

quarto, *X, littera usque ad Augusti tempora nondum apud Latinos erat, sed pro ea c, & s, scribebant, unde duplex vocatur, quia pro c, & s, ponitur, unde & eisdem litteris compositum nomen habet.* Ergo, ut maxime quidem videtur, hæc basis post C. Cæsarem restituta fuit, ac fortasse etiam post Plinium, atque Quinctilianum, eoque ad antiquam illam scribendi rationem negligentius efficta atque expressa est. Sed in iis supplendis quæ barbarorum hominum injuria corrupta sunt, minus utique laboraremus, si T. Livii historia, quæ magnam his rebus lucem adlatura esset, integra exstaret. nunc illa quoque eadem injuria amissa, fit ut conjecturę vix ullus relictus locus esse videatur. Nec enim mihi ipse tantum arrogo, ut quod eruditi quidam viri, cum in eo non parum studii posuerint, non satis feliciter perfecisse videntur, id vel aliqua ex parte assecutum esse me sperem. pręclare mecum actum existimavero, si ea quæ addidi, ab historię fide, antiquitatisque illa forma atque effigie non multum abscedere alii judicaverint. Id quo facilius perspici possit, eorum omnium rationem reddere statui. ac primum compendium rerum a Duilio gestarum ex Zonara, qui res Romanas a probatissimis Gręcorum auctoribus, Polybio, Dionysio, Plutarcho, Dioneque acceptas, non ingrate est brevitate complexus, exscribam: sed paulo altius repetito principio, ut totius historiæ series clarius cognoscatur. Is igitur tomo secundo ad hunc modum scribit: *Romani Etruriæ rebus compositis, atque Italia plane pacata, Carthaginiensium autem crescentibus rebus, utrumque consulem in Siciliam miserunt. Igitur Valerius Maximus, & Otacilius Crassus, tam seorsum quam una insulam peragrantes, multos in deditionem acceperunt; ac locis plerisque adjunctis Syracusas contenderunt. Quorum successibus Hieron territus, redditis urbibus quas eis ademerat, promissaque pecunia, & captivis dimissis, pacem petiit, atque impetravit: quod Coss. ejus opibus adjunctis, Carthaginienses a se facilius debellari posse sperabant. Pactis firmatis,*

 *ad*

*ad alias urbes, in quibus Punica præsidia erant, conversi, atque a ceteris repulsi,* [a] *Egestam ultro se dedentem acceperunt. Cives enim ob necessitudinem sibi cum Romanis intercedentem (nam suum quoque ortum ad Æneam auctorem referebant) Carthaginiensibus cæsis, illorum fidei se commiserunt.* Et paulo post: *Carthaginienses Annoni irati, Amilcarem Barchinum ei successorem dederunt, imperatorem (Annibale filio excepto) inter suos præstantissimum: qui cum Siciliam ipse tueretur, Annibalem* [Gisconis filium] *classis præfectum in Italiam, oræ maritimæ infestandæ causa misit, ut Consules ad se retraheret; Sed eum fefellit opinio. nam præsidiis ubique in ora maritima collocatis, in Siciliam profecti, nihil memorabile gestum est.* Et deinde: *Consulibus domum reversis, Amilcar etiam Italiæ oram classe vastavit, & quasdam Siciliæ urbes subegit. quo audito Romani classem instruxerunt, cui Consulum alter* [b] *C. Duilius est præfectus, collega ejus Cn. Cornelius in Siciliam missus: qui cum bello terrestri, quod mandatum ei fuerat, neglecto, navibus quas habebat, Liparæ, spe proditionis dolo Carthaginiensium facta, appulisset, a Bode Annibalis legato circumventus est. Cum autem ad defensionem se pararet, ille Romanorum audaciam veritus, Consulem ad pacis conditiones provocavit. Cumque Consuli & Tribunis militum persuasisset ut ipsius triremem conscenderent, quo cum præfecto colloquerentur, eos Carthaginem misit, ceteros non repugnantes cepit. Deinde Annibal in Italiam profectus est, Amilcar ad Egestam exercitum adduxit, ubi maxima pars Romani peditatus erat; & C. Cæcilio Tribuno militum opem illis ferre volenti, per insidias multos milites occidit. His Romani cognitis rebus,* [c] *præfectum Urbis statim ablegarunt, & Duilium maturare jusserunt. Qui in Siciliam cum venisset, navesque Carthaginiensium crassitudine & magnitudine Romanis inferiores, sed celeritate remigii, & navigandi arte*

[a] ἐγέσαν. [b] γάϊος δυΐλιος. [c] τὸν μὲν ἀστυνόμον εὐθὺς ἐξέπεμψαν.

*te superiores esse vidisset; machinas quasdam, anchorasque & manus ferreas longis contis præfixas, aliaque ejus generis fabricavit, quibus hostiles naves attraherentur, ac transitu in illas facto, sui cum Carthaginiensibus veluti in terrestri pugna cominus dimicarent. Carthaginienses cum Romanas naves crebra remigatione circumdatas, subito invasissent, aliquamdiu æquo Marte pugnatum est; deinde vero Romani superiores facti, multos demerserunt, multos ceperunt. Annibal septireme in qua pugnabat, cum trireme commissa, veritus ne caperetur, in aliam navem saltu facto evasit. Hoc navalis prælii exitu Romani multis spoliis potiti atque aucti sunt.* Et post pauca: *Duilius peditatu sibi adjuncto,* a *Egestanos liberavit, Amilcare nec ad manus venire auso: & sociis civitatibus firmatis elapsa æstate Romam rediit.* Hucusque Zonaras. Deinceps meas conjecturas apponam.

C. BILIOS. In tabulis quidem Capitolinis A. P. R. C. CLXIII. legitur: C. DUILLIUS. M. F. M. N. sed longe aliam scribendi rationem fuisse Romanis Duilii ætate, quam ea qua marmora Capitolina incisa sunt, ex Cicerone, Varrone, Festo, Quinctiliano, & ex hac ipsa inscriptione manifestum est. Quare in ea C. BILIOS scriptum olim fuisse propemodum mihi persuadeo Ciceronis auctoritate, qui in Oratore de Latinis veteribus ita scribit: *Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo essent aptiora? Nam ut duellum bellum, & duis bis, sic Duellium eum qui Pœnos classe devicit, Bellium nominaverunt, cum superiores appellati essent semper Duellii.* Et Quinctiliani etiam, qui lib. primo cap. quarto: *Sed* B, inquit, *in locum aliarum* [ litterarum ] *dedimus aliquando; unde Burrus, & Bruges, & Belena: nec non eadem fecit ex duello bellum, unde Duellios quidam dicere Bellios ausi.* Sed Ciceronis



Quin-

a ἐγεστάιους ἐῤῥύσατο, μήδ᾽ εἰς χεῖρας αὐτῷ τοῦ Ἀμίλκα ἐλθεῖν ὑποθείναντος.

Quinctilianique libros iis in locis corruptos esse, legendumque, *Duilios* & *Bilios*, illi ipsi libri pluribus aliis locis argumento sunt. Nam apud Ciceronem lib. de Senect. etiam in vulgatis codicibus ita loquitur Cato: *C. Duilium* M. F. *qui Pœnos classe primus devicerat, redeuntem a cœna sæpe videbam puer; delectabatur crebro funali & tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumpserat: tantum licentiæ dabat gloria.* Sed & marmora Capitolina constanter *Duilium* habent, non *Duellium*, ut auctores Græcos omittam; in quibus semper δυίλιος legitur. Apud Quinctilianum certe eo loco in duob. mmss. exemplarib. *Duilius* est, aut *Vilius*, V, pro B, ut etiam apud Servium loco supra citato. Ergo quemadmodum ex *duis* veteres fecerunt *bis*, & *duidentem hostiam* dixerunt *bidentem*, & *duigas*, *bigas*, & *duonum*, *bonum*; sic in hac basi pro *Duilio*, *Biliom* scripserunt. Alioqui quo nam modo ita Cicero scribere ausus esset, quum in medio Foro, in luce atque in oculis omnium, tamquam testis positus esset lapis, qui illum aut mendacii aut negligentiæ argueret? aut unde, nisi ex hac inscriptione scire ille potuit, ex omnibus Duiliis hunc potissimum ante ducento (tot enim fuerunt a Duilio Cos. ad Ciceronem) & eo amplius annos, *Bilium* fuisse appellatum? Accedit ad hæc, quod in Græcis Polybii codicibus, qui non multo post illa tempora vixit, γάϊος λίβιος legitur, litteris ut fere fit, permutatis, pro γάϊος βίλιος. [C. LIBIOS pro, C. BILIOS.] Plutarchus in Gracchis: γάιον δέ τιν βίλλιον εἰς ἀγρὸν, &c. Sed de hoc quisque ut sibi libitum fuerit, opinabitur: mihi major videtur Ciceronis auctoritas, quam ut ab ea tuto discedi possit; præsertim cum D. Hieronymus lib. primo adversus Jovinianum sic scribat: *Duilius, qui primus Romæ navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem, tantæ pudicitiæ ut illo quoque sæculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat, non vitium.* Duilius ergo, sive potius *Bilius*, *Biliam* virginem, gentilem nempe suam, uxorem duxit

duxit. BILIOS autem ſcripſi, ut infra MAXIMOS. MACISTRATOS, pro *maximus magiſtratus*, & CONSOL. PRIMOS, & reliqua, ex Victorino.

M. F. COS. Avi prænomen omiſi, quod in Capitolinis tabulis M. traditur; nam illo ſæculo nondum apponi ſolitum exiſtimo. & licet inferius omnibus litteris ſit ſcriptum CONSOL, hic tamen, cum literis aliis ſingularibus ſit conjunctum, notis perſcribendum eſt.

ADVORSOM. Poſſet quidem ſcribi ASVORSOM. tradit enim Quinctilianus lib. duodecimo cap. decimo, veteres D, litteram mollire tentaſſe, *aſverſa* pro *adverſis* dicendo. Sed eo loco *aſvorſa*, non *aſverſa* legendum eſſe, docet ipſe lib. primo cap. ſeptimo, cum ſic ſcribit: *Quid dicam vortices, & vorſus, ceteraque ad eumdem modum, quæ primum Scipio Africanus in* E, *litteram ſecundam vertiſſe dicitur?* Sed cum id alibi non reperirem, ADVORSOM malui ſcribere. Porro ex hiſtoria Zonaræ, quam ſupra retuli, notum eſt, Duilium adverſus Carthaginenſes in Sicilia rem geſſiſſe. Auctor etiam de viris illuſtribus: *C. Duilius*, inquit, *primo Punico bello dux contra Carthaginienſes miſſus*, &c.

EN SICELIAD. *En* pro *in*, ſcripſiſſe antiquos hic lapis teſtimonio eſt, in quo legitur: ENQUE. EODEM. MACESTRATOD. & Kalendarium marmoreum, quod ex antiquis ruinis effoſſum, in Farneſiana bibliotheca Romæ aſſervatur, in quo dies aliquot ita notantur, EN. quos *intercifos* interpretor ex Varrone, Macrobio, & hoc lapide, non *endotercifos*, ut quibuſdam doctiſſimis alioqui viris placuiſſe video. SICELIAD autem ſcripſi, quod Greci dicunt σικελία: quos Romani in illam tunc primum tranſgreſſi, in eo nomine proferendo imitabantur. Ex ea enim antiquitate Virgilius ſcripſit, *Sicelides muſæ*. & ex eadem in vetuſta inſcriptione, quæ nunc eſt in ſuſperiori limine arcis Carthaginis novæ, legitur:

L. AEMILIUS. M.F.M.N. QVIR. RECTUS. DOMO. ROM. QUI. ET. CARTHAGINIENSIS. ET. SICELITAN. ET. ASSOTAN. ET. LACEDAEMON. ET. ARGIVUS. ET. BASETANUS, &c.

D, vero in fine ejus addidi, quod videam omnibus ablativis casibus singularis numeri (nisi particula QUE sequatur) eam litteram in hoc lapide semper in parte ultima adjectam, neque aliis præterea aut verbis, aut casibus, licet Quinctilianus plurimis verbis in fine additam scribat: & Charisius lib. primo omnibus pæne vocibus vocali littera finitis, veteres D, litteram adjungere solitos dicat his verbis: *Haud similiter* D, *littera terminatur* ἐδὲ *enim Græca vox* D, *littera terminatur* ........ *cæpit.* quibus *mos erat* D, *litteram* .... *pæne vocibus vocali littera finitis adjungere*; *ut* Plautus:

*Quo ted hoc noctis dicam proficisci foras?*

Id autem frequens est apud Plautum. In antiquissimo libro Festi Pompei in *Plorare*, verba antiquæ legis ita leguntur: SI NURUS SACRA DIVIS PARENTUM ESTOD.

REM. CERENS. Sic solet loqui Livius, ut lib. vigesimo secundo: *Omnium*, inquit, *prope annales Fabium Dictatorem adversus Annibalem rem gessisse tradunt.* atque ex eo hunc locum sic restituendum existimavi. Posset etiam scribi. REM. CESET.

ECESTANOS. Egestanos ab Amilcare obsessos, in extremum, jam discrimen adductos, a Duilio fuisse obsidione liberatos, his verbis tradit Polybius lib. primo: τότε τὴν τε αἰγεςαίων ἔλυσαν πολιορκίαν, ἐσχάτως αὐτῶν ἤδη διακειμένων. Et Zonaras tomo secundo, ut superius scripsi. Ceterum hanc urbem *Ægestam* vocant Polybius, Diodorus, Strabo, atque alii: Cicero autem, Plinius, & Ptolemæus *Segestam*: Thucydides, Stephanus, Zonaras, *Egestam*. Sed hanc auctorum discor-

ſcordiam Feſtus Pompejus, velut arbiter honorarius, ita componit: *Segeſta*, inquit, *quæ nunc appellatur, oppidum in Sicilia eſt, quod videtur Æneas condidiſſe; præpoſito ibi Egeſto, qui eam Egeſtam nominavit. ſed præpoſita eſt ei S, littera, ne obſcœno nomine appellaretur, ut factum eſt in Malevento, quod Beneventum dictum eſt; & in Epidamno, quod uſurpatur Dyrrhachium.* hæc ille. Porro quod de *Malevento* ſcribit, ſic ipſe Feſtus exponit alio loco: *Beneventum colonia cum deduceretur appellari cœptum eſt, melioris ominis cauſa namque eam urbem antea Græci incolentes μαλεβέντον appellarunt.* De *Epidamno* vero Mela ita ſcribit lib. ſecundo cap. tertio: *Urbium prima eſt*, inquit, *Oricum, ſecunda Dyrrhachium; Epidamnos antea erat. Romani mutavere nomen, quia velut in damnum ituris omen id viſum eſt.* Quod & Plautus innuit in Menæchmis, cum ait:

a *Propterea huic urbi nomen Epidamno inditum eſt.*
*Quia nemo ferme huc ſine damno divortitur.*

Igitur Romani tamquam in *egeſtatem* ituri eſſent, omen abominati, nomen urbi mutavere, ut potius a *ſegete*, *Segeſta* eſſet (quo nomine etiam *ſegetum Deam* appellabant, teſte Plinio lib. decimo octavo cap. ſecundo) quam ab *egeſtate Egeſta.* verum hoc aliquanto poſt Duilii victoriam factum: nam eo tempore Romani illam, ut & Græcorum aliqui, *Egeſtam* appellabant? Siculi vero ipſi, ut veriſimile eſt, *Ægeſtam.* Exiſtimat vero Servius hanc eſſe, quam Virgilius lib. quinto Æn. *Aceſtam* vocat.

*Urbem appellabunt promiſſo nomine Aceſtam.*

COCNATOS. POPLI. ROMANI. Egeſtanos pro ea neceſſitudine, quæ ſibi cum Romanis intercedebat, quod originem videlicet ſuam ad Æneam am-



a *Act. 2. Scen. 1.*

bo populi referebant. Carthaginienſium occiſo præſidio, ſeſe ultro Romanis Conſulibus dediſſe, ſuperius, ex Zonara ſcripſi. Eam vero cognationem ita comumem orat Cicero lib. quarto in Verrem: *Segeſta eſt oppidum pervetus, judices, quod ab Ænea fugiente a Troja, atque in hæc loca veniente conditum eſſe demonſtrant. itaque Segeſtani non ſolum perpetua ſocietate atque amicitia, verum etiam cognatione ſe cum populo Romano conjunctos eſſe arbitrantur.* Et lib. quinto.: *Illa Segeſtanorum non ſolum litteris tradita, & commemorata verbis, ſed multis officiis illorum uſurpata & comprobata cognatio.* Itaque licet poſſet etiam ſcribi SOCIOS, aut AMICOS. POPLI. R. tamen hoc prętuli: nam hujuſmodi neceſſitudinis nomina Romani libenter amicis populis tribuebant, ut *Æduis* in Gallia, quos fratres & conſanguineos appellarunt. Cæſar lib. primo de bello Gallico: *In primis quod Æduos fratres conſanguineoſque ſæpenumero a Senatu appellatos, in ſervitute atque in ditione videbat Germanorum teneri.* POPLI autem ſcripſi, quod inferius in hoc ipſo marmore ſit POPLOM. & in tabulis Capitolinis POPLICOLA. in Kalendario veteri POPLIFUGIUM: & apud Plautum in Amphitruone:

[a] *Deduntque ſe, divina humanaque omnia, urbem & liberos*
*In ditionem atque in arbitratum cuncti Thebano poplo.*

ARTISUMAD. OBSEDEONED. EXEMET. *Obſidione eximere*, frequenter ſcribit Livius, ut lib. vigeſimo ſexto: *Legati adfuerunt, orantes ut ſe obſidione eximerent.* & lib. trigeſimo octavo: *Adveniens* COS. *obſidione Hyrienſes exemit. Artiſſima* vero addidi, Lucanum ſecutus, qui ait:

*---- & nimis arta*
*Obſidione premit.*

a *Act.* I. *Scen.* I.

& Polybius ſcribit, eos ab obſidente Amilcare in extremum jam diſcrimen adductos fuiſſe. Livius item lib. vigeſimo ſexto: *Obſidebatur Capua acrius quam oppugnabatur, nec mittere nuntios ad Annibalem per cuſtodias tam artas poterant.* Eutropius lib. primo: *Actumque infeliciter foret; ni Quinctius Cincinnatus præcipuus ille Dictator, artam obſidionem oppreſſo hoſte ſolviſſet.* Uno autem S, ARTISUMA ſcripſi, quod Quinctil. lib. primo cap. ſeptimo dicat: *Semivocales non geminare diu fuit uſitatiſſimi moris.* Quod etiam Feſtus pluribus locis refert, & ab Ennio primum id mutatum ſcribit in *Solitaurilia* his verbis: *Quod ſi a ſollo & tauris earum hoſtiarum ductum eſt nomen, antiquæ conſuetudinis per unum* L, *enuntiari non eſt mirum, quia nulla tunc geminabatur littera in ſcribendo. quam conſuetudinem Ennius mutaviſſe fertur, utpote Græco more uſus, quod illi æque ſcribentes ac legentes duplicabant mutas ſemivocales.* Porro Ennius centum fere annis poſt hanc victoriam mortuus eſt, nempe anno Urbis DLXXVI v. Philippo & Cępione COSS. ut Cicero refert in lib. de Seneƈt. Iſidorus quoque lib. primo Etymol. cap. vigeſimo ſexto: *Veteres litteras non duplicabant, ſed ſupra ſicilicum apponebant; qua nota admonebatur lector geminandam eſſe litteram, ut* SE'LA. SE'RA. AS'ERES. Quod ex Victorino in lib. de Orthographia tranſcripſit, qui etiam ejus ſcripturæ veſtigia in multis antiquis libris ſua ætate adhuc exſtare plane tradit: quod Græcorum imitatione fortaſſe fuit. In hac etiam inſcriptione eſt CLASEIS. SUMAS. OLORUM. pro *claſſeis ſummas illorum.* Pręterea in ſuperlativis omnibus ante C. Cæſarem, I, pro V, uſurpabant Romani, ut *optumus, maxumus*; quod ſupra ex Quinctiliano & Varrone retuli. OBSEDEONED vero ſcripſi, quod verum ſit *ſedeo*, & antiqui potius I, in E, mutabant, quam contra.

LECIONEIS. CARTACINIENSEIS. OMNEIS. Cum ex Zonaræ hiſtoria conſtet, Amilcarem ſummum ducem-

ducem omnibus Carthaginiensium copiis Egestam obsedisse, eamque vehementissime oppugnasse, neque tamen cum Duilio Cos. qui Egestanis subsidio venerat, prælio decertare ausum; legiones has Carthaginiensium fuisse, & Amilcarem ipsum castris effugisse facile mihi persuasi. Quod autem ad orthographiam attinet, in hac inscriptione C, duarum litterarum C, & G, munere fungitur, & nullum inter eas discrimen est; quod à veteribus usitatum tradit apud Festum Verrius Flaccus, his verbis: *Orcum quem dicimus, ait Verrius ab antiquis dictum Urgum, quod & V, litteræ sonum pro O, efferebant, & per C, litteræ formam, nihilominus G, usurpabant.* Idem: *Prodigia*, inquit, *quod prædicunt futura, permutatione G, litteræ. nam quæ nunc G, appellatur, ab antiquis C, vocabatur.* Et Victorinus lib. de Orthographia: *C, autem & nomen habuit G, & usum præstitit: quod nunc Gajus per C. & Gneus per Cn. quamvis ultimæ syllabæ sonus G, exprimat, scribuntur.* Servius etiam Georg. I. *Amurca per C, scribitur, & per G, pronuntiatur, ut C. Gajus, Cn. Gneus.* Diomedes etiam de ea sic scribit: *G, nova consonans est, in cujus locum C, solebat apponi, ut & hodie cum Gajum Cæsarem notamus, scribimus C. Cæsarem: ideoque post B, litteram tertio loco digesta est, ut apud Græcos Γ, in eo loco posita reperitur.* Scaurus & Victorinus affirmant G, litteram longa annorum serie apud Latinos non fuisse; inventam vero a Sp. Carbilio nova forma. Porro hic Sp. Carbilius primus Romæ divortium fecit, anno Urbis DXXVI. si tamen is fuit. Idem Victorinus: *Sed nec G, quidem, nec Q, Latinus sermo introduxit. ex quibus Q, & fuisse apud Græcos, & quare* [a] *desiderat fungi vice litteræ, cognoscere poteritis, si Pontificum libros legeritis. nunc enim apud Græcos* [b] *juxta π. est posita. G, autem apud Græcos obtinet notam numeri III. pro quo apud antiquos C, poni solitum, ut pro agro Gabino, Cabino, pri* *lege*

*a* Fort. desierit. *b* In numeris sc. Græcorum : val. xc. Ve Forte leg. Γ. juxta B. est posita.

*ge, lece; acna, pro agna. auctio certe ab augendo dicta est, & numeri cum habeant C, ut ducenti, trecenti, sexcenti, G, reliqui habent, ut quadringenti, nongenti. cum ter-io quoque ordine, ut apud Græcos quoque positum est pro C, G, & suo loco K, post receptum G, supervacuum cœpit se.*

MAXIMOSQUE. MACISTRATOS. No-ninativus casus est, sed ita in *os*, finitus, CONSOL. RIMOS, pro *Consul primus*, & multa alia nomina, uæ in *os*, apud antiquos desinebant, & nunc *us*, syl-ba terminantur: ut apud Terentium in Andria *Davos*, ro *Davus*; & apud Plautum in Amphitruone.

*Si opulentos it petitum pauperioris gratiam.*

'ictorinus lib. de Orthogr. *Græci in dativo tam* H, *lit-ræ, quam* ω, *adjiciebant* I, *juxta: ita nostri, ut ap-aret ex libris antiquis fœderum, & ex legum,* a *qui iamsi frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen re-nent antiquitatem. nam* O, *non solum pro brevi & longa, d etiam pro* V, *poni, ut pro populus ibi popolos; & ubi aculum, ibi piacolom; sic & pro huic hoic, & pro funus nus; item alia multa.* Ejus rei in libris veterib. mmss. q. in marmoribus, æneisq. legum tabulis sunt prope-odum infinita exempla. Significatur autem his verbis A-ilcar, summus dux, atque magistratus Carthaginiensium, ii Duilio Consuli cedens, & certamen detrectans, omissa gestæ obsidione, turpiter fugit: quæ non minor Duilio oria fuit, quam si illum prælio vicisset, cum profectione ostium; concessa victoria expressaque confessio fuerit, udquaquam se pares esse. Nam apud Livium lib. uno & gesimo suos milites contra Annibalem in aciem educens, : eos alloquitur Scipio: *Quid enim adhortari referret eas giones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus, con-ssionē cedentis, ac detrectantis certamen pro victoria habuit?*

Atque

g sc, XII. Tabularum;

Atque ideo inter alias Duilii res geſtas ad gloriam magnificas, legionum omnium Carthaginienſium, tam præſtantiſque ducis e caſtris fuga haud immerito memoratur. Ceterum maximus magiſtratus apud Pœnos *Sufes* vocabatur. Feſtus: *Sufes*, inquit, *Conſul lingua Pœnorum*. Et Livius lib. octavo & vigeſimo: *Ad colloquium Sufetes eorum, qui Pœnis ſummus eſt magiſtratus, cum Quæſtore elicuit.* Et lib. trigeſimo: *Senatum itaque Sufetes, quod velut Conſulare imperium apud eos eſt, vocaverunt.* Neque vero eſt quod quiſquam exiſtimet MAXIMOS MACISTRATOS hoc loco accuſandi caſum eſſe, & Cn. Cornelium alterum Cos. ſignificari, qui paulo ante ab Annibale per dolum captus ad Liparam, a Duilio liberatus eſſe dicatur: legioneſque has, quas Carthaginienſium eſſe dixi, Romanorum fuiſſe, quod legiones Romani nominis peculiares & propriæ fuerint. nam præterquam quod *alter Conſul Maximi magiſtratus* pluraliter non diceretur, Annibal Cn. Cornelium Cos. captum ſtatim Carthaginem miſit, ibiq. eum in vinculis habuit, donec aut redemptum a ſuis, aut cum aliis captivis permutatum, poſtliminioq. domum reverſum, Populus Ro. ut ejus calamitatem, adverſamq. fortunam ſublevaret, iterum Conſulem fecit anno P. R. C. DCXCIX. ut eſt in Capitolinis tabulis, & a Valerio Maximo traditur lib. ſexto cap. undecimo his verbis: *Iiſdem*, inquit, *juribus* [fortuna] *uti voluit in Cn. Cornelio Scipione Aſina*, qui Cos. *a Pœnis apud Liparas captus, cum belli jure omnia perdidiſſet, lætiore ſubinde vultu ejus adjutus, cuncta recuperavit, Conſulque etiam iterum creatus eſt. Quis crederet illum a duodecim ſecuribus ad Carthaginienſium perventurum catenas? quis rurſus exiſtimaret a Punicis vinculis ad ſumma imperii perventurum faſtigia? Sed tamen ex Conſule captivus, & ex captivo Conſul factus eſt.* hæc ille. ut quod apud Oroſium lib. quarto cap. ſeptimo, & apud Paulum Diaconum lib. ſecundo legitur: *Cornelius Aſina alter Conſulum ab Annibale quaſi ad colloquium evocatus, Punica a fide*

a *fide captus, atque in vinculis necatus est*; vitiosum esse videatur, & scribendum: *Atque in vinculis habitus est.* Verum ut cumque apud eos legatur, illud etiam ex Valerio convinci potest, Cn. Cornelium non eodem anno captum, & a Duilio liberatum. *Legiones* vero non tantum Romanorum, sed aliarum quoque gentium, atque adeo Carthaginiensium ipsorum, a Latinis scriptoribus dici, adductis aliquot testimoniis planum faciam. Livium lib. vigesimo sexto: *Annibal, ubi tantum navium copiam esse, ut una nocte trajici posset exercitus, allatum est, cibariis decem dierum præparatis, deductas nocte ad fluvium legiones, ante lucem trajicit.* Et lib. vigesimo septimo de Carthaginiensium exercitu ab Asdrubale in Italiam transmisso ut cum Annibale conjungeretur, sic scribit: *Senatus, quod M. Livius, C. Claudius* Cos. *incolumi exercitu, ducem hostium legionesque occidissent, supplicationem in triduum decrevit.* Et lib. vigesimo octavo: *Postero die cecidit Gallorum legiones.* Et lib decimo: *L. Papirius* Cos. *voverat Jovi victori, si legiones hostium fudisset, pocillum mulsi, priusquam temetum biberet, sese facturum.* Et lib. vigesimo secundo de C. Flaminio Consule: *Donec Insuber equum (Ducario nomen erat) faciemque noscitans, Consul, inquit, hic est, popularibus suis, qui legiones nostras cecidit, agrosque & urbem populatus est.* Sallustius in Catilin. de Cyrenensibus & Carthaginiensibus: *Postquam utrinque legiones, item classes sæpe fusæ.* Plautus etiam in Amphitruone de Thebanis & Telebois:

*----- Amphitruo e castris illico*
*Producit omnem exercitum: contra Teleboæ ex oppido*
*Legioneis educunt suas nimis pulchris armis præditas.*

Et iterum ibidem: *---- meus pater*
*Memorat, legioneis hostium ut fugaverit.* &
*---- victis hostium legiones reveniunt domum.*

LU-

a *al. fraude*

LUCAES. BOVEBᵘS. RELICTEIS. NOVEM. In marmore post vocem MACISTRATOS. est L, tantumque spatii restat inferiore parte vacuum, ut nulla alia vocalis nisi V, post L, scripta fuisse videatur. Cum vero ex omni historia constet, Carthaginienses in præliis plurimum elephantis usos fuisse, eosque præcipuum belli robur semper habuisse, existimavi non improbabili conjectura hoc loco de elephantis agi, quos tunc Romani *boves Lucas* appellabant, ut auctor est Varro lib. sexto de lingua Latina, qui interpretans eum Ennii versum,

*Atque prius pariet locusta Lucam bovem;*

sic ait: *Luca bos, elephas, cur ita sit dicta, duobus modeis inveni scriptum. Nam & in C. Ælii commentario erat, a Libyceis Lucas. & in Verginii commentario, ab Lucaneis Lucas; ab eo quod nostri cum maximam quadrupedem, quam ipsi haberent, vocarent bovem: & in Lucaneis Pyrrhi bello primum vidißent apud hosteis elephantos, id est, quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, sunt cornua) Lucam bovem appellaße.* Et Plinius lib. octavo cap. sexto: *Elephantos Italia primum vidit Pyrrhi regis bello, & boves Lucas appellavit in Lucanis visos, anno Urbis* CDLXXII. Ergo adeo raptim Amilcar Sufes, cum Carthaginiensibus legionibus ex castris aufugit, ut novem elephantos (fortasse quia tardius sequerentur) relinquere coactus fuerit. Solet enim id fieri in maxima trepidatione. Livius lib. octavo & trigesimo: *Tantumque tumultus Macedonibus Philippoque est injectum, ut fugæ magis effusæ, quam itineris ordinati modo, multis armis virisque relictis flumen trajecerint.* Lactantius Firm. lib. de Opificio Dei, cap. tertio: *Potestne igitur aliquis cum videat etiam boves & vaccas aut equos cum immanissimis corporibus ac viribus servire homini, queri de opifice rerum Deo?* Ubi legendum, *Etiam boves Lucas cum immanissimis corporibus;* ex vetustissimo libro. Verum ad id suspicandum

tan-

tantummodo conjectura ducor, nullum autem auctorem habeo. Porro BOVEBʋS ſcripſi, ut NAVEBʋS, quod antiquus nominativus eſſet *bovis.* in eo enim nomine declinando multum variatum fuiſſe, auctor eſt Varro lib. ſeptimo de ling. Lat. *Primum enim*, inquit, *bovis dicebatur, poſtea bos. Genitivus pluralis boverum fuit, & boum.* Igitur *bovis* dativum faciet *bovibus*, & antique *bovebus*, ut *ovis ovibus*, *navis navibus*, præſertim cum in ipſo marmore legatur NAVEBʋS.

EXFOCIONT. Sic etiam nunc legitur apud Plautum in Aulularia:

*Exfodio aulam auri plenam.*

Sic apud Feſtum, *Exfundo.* non enim ſemivocales geminabant antiqui. Præterea O, pro V, frequenter ſcribebant, ut auctor eſt Quinctilianus, qui lib. primo cap. ſexto: *Quid*, inquit, O, *atque* V, *permutata invicem, ut Hecoba, & notrix, Culchides, & Pulyxena ſcriberent? ac, ne in Græcis id tantum notetur, dederont, ac probaveront.* Sic apud Feſtum in mſc. libro eſt, *Prædotiont*, ubi in vulgatis eſt, *præoptant.* C, autem litteram pro G, uſurpabant, ut ſupra retuli. hinc EXFOCIONT, pro *effugiunt*, ſeu potius *effugerunt*, ſcriptum eſt.

MACELAM. MOENITAM. URBEM. PUCNANDOD. CEPIT. Hoc ita ſcribit Polybius lib. I. καὶ τὴν ἐκ τῆς αἰγέςης ἀναχώρησιν, μάκελλαν πόλιν κατὰ κράτος εἷλον. hoc eſt, *Romani poſteaquam Egeſtam obſidione liberarunt, Macellam urbem vi ceperunt.* Salluſtius, ut eſt antiquitatis ſectator maximus, *pugnando cepit*, ut in hac inſcriptione eſt, ſæpe dicere ſolet, potius quam *vi cepit*, ut in Jugurth. *Multos mortales & urbes aliquot pugnando cepit.* & in Catilin. *Memorare poſſem quibus locis maximas hoſtium copias Po. Ro. parva manu fuderit, quas urbes natura munitas pugnando ceperit.* Plautus utrumque conjunxit in Milite glorioſo, cum ſcripſit:

*Vi, pugnandoque hominem capere certa res est.*

& ſine conjunctione, ut in Aſinaria:

*Eæ nunc legiones copiæque exercitus eorum*
*Vi pugnando perjuriis noſtris euge potiti.*

ut etiam Vatinius in epiſt. ad Ciceronem lib. quinto: *Sex*, inquit, *oppida vi oppugnando cepit.* MOENITAM vero URBEM addidi, Salluſtium ſecutus, quod in marmore tantum vacaret ſpatii, ut hæ duæ dictiones non anguſte collocari poſſent, & id ad Duilii gloriam pertineret. Poſſet etiam ſcribi VALIDAM, ut Salluſtius lib. primo hiſtoriar. *Et Digonem validam urbem, multos dies reſtantem pugnando vicit.* Ceterum MOENITAM pro *munitam* ſcripſi, antiquum auctorem Plautum ſecutus, in Bacchidib.

*Quom Priami patriam Pergamum divina mœnitam manu.*

& in Pſeudolo:

*Hoc ego oppidum admœnire, ut hodie capiatur volo.*

Antiqui enim OE, pro *V*, ſæpe ſcribebant. Serviu ad eum Virgilii verſum lib. decimo Æn. *Aggeribus mœrorum*: *Mœrorum*, inquit, *pro murorum. nam veteres pleraque eorum quæ nos per* U, *dicimus, per* OE, *ſcribebant* Inde eſt in hoc marmore CLASEIS. POENICAS pro *Punicas*: inde *pœnire*, pro *punire* dicebant, quod verbum a *pœna* venit: inde in ponte Fabricio Romæ ſcriptun eſt, COERAVIT, pro *curavit.* in vetuſto Plebi ſcito, quod adducitur a Feſto, in *Publica pondera* OETIER, pro *utier.* Verum haud ſcio, an vetere Græcorum more OI, potius uſurparent. ſcribit enir Martianus lib. tertio, cum de I, littera agit, ad hun modum: *O, autem litteræ copulatur in nomine Jovis &*

*Oinom*

*Oinone. Oisus etiam dicitur. sic enim veteres usum dixere.* Plautus etiam *proilio* dixit, pro *prælio*: & Romę in æneis antiquarum legum & Senatus consultorum tabulis est, BELLO POINICO, MOINICIPIUM, & COIPERIT, & COIRAVIT, & OITILE. Ceterum hanc urbem *Macellam* appellant Polybius & Stephanus, quamvis apud eum corrupte legatur, μάκιλλα, πόλις ἰταλίας, pro σικιλίας. Livius autem lib. vigesimo sexto, *Magellam*, & Plinius lib. tertio cap. octavo *populos Magellinos* in Sicilia locat. quæ diversitas ex hac antiqua scribendi ratione, qua C, etiam G, litteræ munere fungebatur, nata videtur. CEPET autem est *cepit.* nam E, pro I, posuisse antiquos Quinctilianus tradit, & Varro lib. quinto de ling. Lat. cum enim exposuisset quid esset *Inlicium*, subdidit: *Hoc ipsum Enlegium inveni scriptum in M. Junii commentariis: quod tamen idem est quod illicit, & ellegit; quia* I, *cum* E, *&* C, *cum*, G, *magnam habent communitatem.* Id vero in hoc lapide in verborum præteritis perpetuo observatum invenio, CEPET, EXEMET, ORNAVET. & ad eum modum reliqua quę addidi, formavi. Contra vero in legibus XII. Tab. est VINDICIT, pro *vindicet*: in legib. Romuli VERBERIT, pro *verberet*, apud Festum.

MACESTRATOD. In marmore tantum est MAC. & licet superius in eodem legatur, MACISTRATOS, existimavi erratum fabrile id fuisse, & E, quartam litteram scripsi auctoritate adductus Quinctiliani, qui lib. primo cap. sexto scribit: *Quid? non* E, *quoque loco* I, *fuit, ut Menerva, & leber, & magester?*

PROSPERE. REM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. CESET. Hanc integram lineam totidem fere verbis transtulit in secundum annalem suum Cornelius Tacitum. sic enim scripsit: *Et Jano templum, quod apud forum olitorium C. Duilius struxerat,* QUI PRIMUS REM ROMANAM PROSPERE MARI

GESSIT, *triumphumque navalem de Pœnis meruit.* Ut non omnino infeliciter verbum PROSPERE a me additum fuisse videatur, pręcipue cum Florus, dum hanc ipsam historiam narrat, in epitome Liviana lib. XVII. dixerit: *C. Duilius* Cos. *adversus classem Pœnorum prospere pugnavit.* CESET autem scripsi, ut CEPET, EXEMET. & uno S, ut CLASEIS. antiqui enim semivocales non geminabant.

RESMECOSQUE. Ut paulo post in hoc marmore est TRIRESMOS, pro *triremes*; sic *resmegos* pro *remiges* feci. Polybium vero secutus id addidi, qui lib. primo de hac Duilii classe ita scribit: *Dum naves parabantur, interea multitudo omnis ad remigium exercebatur per hunc modum. Subselliis in arena per ordinem dispositis remiges insidentes, ad vocem pręcipientis qui in medio eorum erat, omnes una protendere brachia, ac reducere, remosque per arenam movere pariter docebantur: ad illius vocem simul omnes incipiebant, simul omnes desinebant. per hunc modum navigandi artem edocti, & perfectis interea navibus mare ingressi, post paucos dies circa Italiam navigantes secundum ducis jussum, verum in undis periculum fecerunt.* Posset etiam scribi, SOCIOSQUE. ut vox NAVALES, tam ad *socios* quam ad *classes* referatur. Livius lib. vigesimo sexto: *Edixerunt* Coss. *ut privati, sicut antea, remiges darent. Unde enim, cum pecunia in ærario non esset, paraturos navales socios?*

ORNAVET. PARAVETQUE. DIEBUS. LX. Cum in marmore esset, ORNAVET. PA. *paravetque* feci. Apud Sallustium enim lib. tertio historiar. Pompejus sic ad Senatum scribit: *Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio quam consilio profectum, quippe qui nomine modo imperii a vobis accepto, diebus* XL. *exercitum paravi. Ornare* autem & *parare*, cum de classe aut exercitu loquuntur, sæpe conjungere solent optimi Latinitatis auctores. Cicero pro Cæcina: *Armatos vero appellamus qui scutis telisque parati ornatique sunt.* Et Cæsar lib

lib. tertio de bell. Gall. *Classis ubi convenit, ac primum ab hostibus visa est, circiter* CCXX. *naves eorum paratissimæ, atque omni genere armorum ornatissimæ, progreßæ portu nostris adversæ constiterunt.* Ut *ornare* & *instruere.* Idem Cicero pro lege Manilia: *Dico ejus adventu maximas Mithridatis copias, omnibus rebus ornatas & instructas esse deletas.* & Verrin. VII. *Quapropter si mihi respondere voles, hæc dicito, claßem instructam atque ornatam fuisse.* Præterea *ornare claßem* Cicero frequenter dicere solet, ut pro lege Manilia? *Qui post quam maximas ædificaßet ornaßetque claßes exercitusque permagnos quibuscumque ex gentibus potuißet, comparaßet.* Et Livius lib. vigesimo sexto: *Itaque ut classem habeat, quam ornare volumus, Populus Romanus, privatos sine recusatione remiges dare nobis ipsi imperemus.* Et *parare classem* idem Livius lib. vigegesimo tertio non semel dixit: *Ad naves* XXV. *quibus Q. Fulvius Flaccus præfectus erat, viginti paratas alias decernunt.* Et eod. libro: *Quantaque nova classis mox paranda esset.* Cæsar lib. quarto de bell. Gall. *Dum in his locis Cæsar navium parandarum causa moratur.* & Cicero pro lege Manilia: *Ab eodem Imperatore classem magnam & paratam, quæ ducibus Sertorianis studio indio inflammato ad Italiam rapiebatur.* Ex quibus locis quid sit, *ornare* & *parare classem*, manifeste cognoscitur. Ornavit ergo, paravitque classem Duilius, hoc est, *ædificavit & instruxit.* aut, *ædificavit claßem, paravit remiges.* DIEBUS vero LX. addidi, quod nihil in hac inscriptione prætermissum existimem, quod ad Duilii virtutem & gloriam amplificandam pertinere quoquomodo posset. Ex eo autem ejus industria, celeritasque maxime ab historicis commendatur, quod diebus sexaginta, a qua die materia cæsa fuit, classem CXX. sive ut alii tradunt, CXXX. navium ædificaverit, ornaverit, instruxeritque rebus omnibus necessariis, intraque id spatium remiges paraverit atque exercuerit. Florus lib. secundo cap. secundo: *Duilio Cornelioque* Coss. *etiam mari Romanus congredi ausus est. Tum quidem*

 *velo-*

*velocitas ipsa classis comparatæ, victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem quam cæsa silva fuerat,* CXX. *navium classis in anchoris stetit, ut non arte factæ, sed quodam munere Deorum conversæ in naves atque mutatæ arbores viderentur. Prælii vero fama mirabilis, cum illas celeres volucresque hostium naves, hæ graves tardæque comprehenderent.* Et Orosius lib. quarto: *Quinto anno Punici belli, quod contra Afros gerebatur Cn. Cornelio Asina, C. Duilio* Coss. *cum Annibal senior oram Italiæ maritimam, instructa septuaginta navium classe vastaret; Romani & ipsi classem fabricari atque instrui præceperunt. quod Duilius* Coss. *celeriter implevit. nam intra* LX. *dies quam arbores cæsæ essent,* CXXX. *navium classe deducta in anchoris stetit.* Plinius item lib. sexto decimo cap. trigesimo nono: *Mirum*, inquit, *apud antiquos primo Punico bello classem Duilii imperatoris, ab arbore excisa sexagesimo die navigasse.* Sequitur autem statim in marmore, quod meam conjecturam probabiliorem facit. CUMQUE. EIS. NAVEBUS, &c. quasi diceret: Cum intra sexaginta dies classem navium parasset atque ornasset, tamen cum iis navibus tam gravibus ac tardis, tam celeriter instructis, tam rudibus imperitisque gubernatoribus, tam parum exercitatis remigibus, tam insuetis navalibus præliis militibus; aggressus classes Punicas omnes, celeritate præstantes, artificio gubernatorum longe superiores, milite ac remige, rei navalis usu & gloria tumido, alacriores, summis Carthaginiensium copiis instructas, in alto mari superavit atque depressit. Excogitavit quidem Duilius primus *manus ferreas*, machinasque navales alias, quę magnum momentum ad victoriam attulerunt: verum id in hac inscriptione prætermissum arbitror, ne tam illustris victoria machinis potius bellicis, quam insigni ducis militumque virtute parta videretur. DIEBUS vero scripsi, quia inferius in eodem lapide est, NAVEBUS. quomodo etiam in perantiquo Philippicarum Ciceronis libro, quem ex sacrario basilicę Vaticanæ D. Petri depromptum osten-

dit

dit mihi doctissimus Fulvius Ursinus, sæpe reperi scriptum. Sic enim antiqui medium inter O, & V, sonum notasse videntur, quod postea per disiunctas litteras expresserunt. nam JOUS, pro JȢS, hoc est JUS. & JOUDICES, & JOUSERUNT, & COURATOR, & JOURARE, & INDOUCERE, & OUFENTINA tribus, flumenque OVFENS, in antiquis æneis tabulis videre est. in nummis vero FOULVIOUS, pro *Fulvius*, FOURIVS, pto *Furius* sæpe. & in antiqua legum tabula SOVEIS, pro *suis*; Græcorum, ut videtur, imitatione, qui V, sic scribuut, ȣ, ut ᾿ιȣς, & ᾿ιους. Victorinus lib. de Orthographia: *Υ, eodem ordine scriptum habemus quo Græci, rescissa tantum virgula* ᵃ *juxta, sicut apud illos junctum* O, *littera* V, *facit syllabam. nostri etiam quotiens ejusdem soni longa syllaba scribenda esset, & ipsi adjungebant* O, *littera, inde scriptum legitis*, LOVCETIOS, NOUNTIOS, LOUMEN, &c.

CLASEIS. POENICAS. Nescio an cum primum hæc columna Duilio posita fuit, POISNICAS, seu POESNICAS hoc loco legeretur. ita enim scribit Festus: *Pœsnis, Pœnis; ut casmenas dicebant pro camenis, & cesnas pro cenis.* Nam ex hac veteri consuetudine est in hac eadem inscriptione TRIRESMOS, pro *triremes*: ubi de hoc plura dicam.

OMNIS. PARATASQVE. *Omnis* scripsi, I, ultima, ut conveniret cum eo quod infra legitur, SUMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. In hac enim inscriptione magna inconstantia iidem casus his litteris terminantur, ES. EIS. IS. ut CLASEIS, CARTACINIENSIS. Cum vero post vocem OMNIS., multum spatii vacaret in marmore, addidi PARATASQUE. quod non parum ad victoris gloriam adjicere videtur. Non enim paucis navibus, imparatisve, aut defensoribus vacuis, & duce privatis, Duilius occurrisse dicitur, sed omnibus Carthaginiensium

ᵃ juxta. fort abundat.

claſſibus, paratis inſtructiſque ſummis copiis, præſente atque adhortante etiam maximo eorum Dictatore ac duce.

PRAESENTED. Antiqui illi, inquit Feſtus, AE, ſullabam Græca conſuetudine per AI, ſcribebant. Inde in tabulis æneis antiquarum legum eſt QVAI, pro *quæ*, & ÇAISAR, pro *Cæſar*, & PAITVS & VNDAI. & Lucretius lib. tertio:

*Sponte ſua volitent aiterno percita motu.*

ut dubium mihi ſit, fuerit ne olim hic ſcriptum PRAISENTED. & inferius PRAIDAD. cum in antiquiſſimis monumentis & libris ſit AIMILIUS, CAISAR, PAITUS, MAINIVS. AILIVS. Martianus lib. tertio: *Lucilius in dativo caſu* A, *&* E, *conjungit. Lucinius* A, *&* I. *& Lucretius crebro; & Maro noſter aulai, pictai.* Et Quinctilianus lib. primo cap. ſeptimo: AE, *ſyllabam, cujus ſecundam nunc* E, *litteram ponimus, varie per* A, *&* I, *efferebant. Quidam ſemper ut Græci, quidam ſingulariter tantum, cum in dativum, vel genitivum caſum incidiſſent: unde pictai veſtis, aquai, Virgilius amantiſſimus vetuſtatis, carminibus inſeruit.*

MAXVMOD. DICTATORED. Annibal, qui claſſi Carthaginienſium præfuit, ut Polybius & Zonaras, aliique tradunt, non ille Amilcaris filius erat, qui ſecundo Punico bello Italiam multos annos vexavit, & magnas ſępe clades Romanis intulit; ſed alius, quem *Giſconis filium* Polybius, *majorem* Valerius, *ſuperiorem* Oroſius vocant; quemque paulo poſt ob res male & infeliciter geſtas, ſui ipſi milites cruci affixerunt. quare eum indignum exiſtimo judicatum, qui in hoc tam glorioſo elogio nominaretur; præſertim cum ſuperius Amilcarem ſummum ducem, qui relicta Egeſtæ obſidione turpiter fugit, non nominaverit, tantumque *Maximom Magiſtratom* dixerit. Ad eum igitur modum

MA-

MAXUMOD. DICTATORED. hic ſcripſi, quod magnos dictatores Livius lib. vigeſimo tertio dicat: *Magni dictatores cum magiſtris equitum, bini Conſ. cum binis conſularibus exercitibus ingrediebantur fines noſtros*, &c. Si quis tamen *Annibalem* volet pro *Maxumo* ſubſtituere, per me licebit, dum ſine aſpiratione, qua Græci Polybii codices, & T. Livii emendatiores in eo nomine carent, & qua veteres etiam in vocalibus parciſſime uſos tradit Quinctilianus; & uno præterea N, quia antiqui ſemivocales non geminabant, & D, ultima littera, faciat; ut ſit ANIBALED. *Dictatoris* autem vocabulum pro Carthaginienſium magiſtratu Livius uſurpat lib. vigeſimo tertio, cum ſcribit: *Senatusconſultum fit, ut Annibali* XL. *Numidarum millia in ſupplementum mitterentur; Dictatorque cum Magone in Hiſpaniam præmiſſus eſt ad conducenda* XX. *millia peditum.* Et Cato apud Gellium lib. decimo, cap. vigeſimo quarto: *igitur Dictatorem*, inquit, *Carthaginienſium magiſter equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum, die quincti in Capitolio tibi cena cocta erit.* Loquitur autem de Annibale poſt Cannenſem illam victoriam quid ſibi agendum eſſet deliberante. MAXVMOD vero ſcripſi, licet in eodem lapide ſupra ſit MAXIMOS, propterea quod, ut ex Varrone & Quinctiliano jam retuli, in C. Cæſaris inſcriptione primum *Maximum* I, media littera, pro *Maxumo* ſcribi cœptum ſit. Cum enim hæc baſis reſtituta fuit, ad eam ſcribendi conſuetudinem quæ tunc vigebat, neſcio cujus negligentia aut culpa, quædam commutata fuiſſe videntur. Illud vero non omiſerim, in fragmentis antiquarum legum, quæ plurima æneis tabulis inciſa vidi apud Fulvium Urſinum, fere ſemper eſſe ſcriptum, MAXSUMOS, PROXSUMOS, DIXSERINT: Iſidorumque lib. I. Etym. cap. tertio tradere, X, litteræ uſum diu Latinis ignotum fuiſſe, ejuſque loco CS, ſcribere ſolitos, ſic ut *macſumos procſumos* dicerent.

OLOROM. Cum in marmore tantum eſſet OL:::: OM, recte ab aliis OLOROM eſt reſtitutum. ita enim

antiqui ſcribebant, pro *illorum.* Feſtus: *Ab oloes,* inquit, *dicebant, pro ab illis. antiqui enim litteram non geminabant.* Et alio loco: *Aulas vocabant antiqui, quas nos ollas dicimus, quia nullam litteram geminabant.* Sed maxime omnium Varro lib. ſexto de ling. Lat. *Olli,* inquit, *valet dictum illi, ab olla, & ollus, quod alterum comitiis cum* [a] *renuntiatur, a præcone dicitur. Olla centuria, non illa: alterum apparet in funeribus indictiveis, quum dicitur:* OLLUS LETO DATUS EST. hæc ille. Verum apud antiquos, quando ſemivocales non geminabantur, *olus* & *ola* dicebatur. Idem Varro eod. lib. *Templum,* inquit, *locus augurii aut auſpicii cauſa, quibuſdam concepteis verbeis finitus.* [b] *concipiuntur verba non eadem uſquequaque. In arce ita:* TEMPLA TESCAQ. [c] ME ITA SONTOD, QUOAD EGO EA ESE VELIM QUAE NONCOPASO, OLA, TERA, ARBOS, QUISQUIS EST, QUAM ME SENTIO DIXSISE, TEMPLOM TESCOMQ. ESTOD EN SINISTIMOM. Sic enim eum Varronis locum, qui corruptiſſime in libris omnibus legitur, emendandum exiſtimo, cum ſint verba concepta ex formula, quam in antiquiſſimis augurum libris Varro legerat; de quibus idem alibi ſic ſcribit: [d] *Terra dicta ab eo, ut Ælius ſcribit, quod teratur. Itaque tera in augurum libreis ſcripta cum* R, *uno.* Quod autem ait: IN. ALTOD. MARID. ad eum modum loquitur Plinius lib. ſecundo cap. centeſimo tertio: *Nives in alto mari non cadere.*

PUCNANDOD. VICET. Sic quidem Salluſtius ſcripſit lib. primo hiſtoriar. *Et Digonem validam urbem, multos dies reſtantem pugnando vicit.* Mallem tamen, ſi marmoris ſpatium eas omnes litteras capere poſſet, PUCNANDOD. SUPERAVET ſcribere.

XXXQUE. NAVEIS. CEPET. CUM. SOCIEIS. Eodem loquendi modo uſus eſt Livius lib. qua-

*a* al. recitatur. *b* al. concipitur verbeis non iiſdem. *c* Feſtus. Me pro mihi dicebant antiqui. *d* Lib. quarto de ling. Lat.

quadragesimo: *Ibique eo die naves longæ cum omnibus sociis captæ* XLII. Et lib. vigesimo tertio. *Per idem tempus T. Otacilius Prætor, quinquaginta navium classe a Lilybæo in Africam transvectus, classi hostium Africam repetenti occurrit, levique armatura certamine in alto commisso, septem inde naves cum sociis navalibus cepit. Socii* autem, aut *socii navales*, a Livio appellantur omnes qui in classe navium sunt. nam quod Polybius dixit: Ἀττάλῳ δὲ τάς τε ναῦς ἀποκαταστῆσαι, καὶ τῶν ἀνδρῶν τῶν ἐν ταῖς ναυμαχίαις ἁλόντων ὅσοι πάρεισι. hoc est, *Attalo naves restituere, & ex hominibus in præliis navalibus captis quotquot comparuerint*; Livius ipse sic vertit lib. trigesimo secundo: *Attalo naves, & cum iis captos navales socios reddere se dixit.* Alias eos distinctius, *milites ac remiges* appellat, ut lib. trigesimo septimo: *Tandem subsliterunt tredecim captis navibus cum milite ac remige.* Cæsar vero lib. tertio bell. civil. *Ex his*, inquit, *quadriremem cum remigibus defensoribusque suis ceperunt.* Et lib. primo: *Partem navium deprimunt, nonnullas cum hominibus capiunt.* quod proxime accedit ad id quod Græci dicunt, ναῦς αὐτάνδρους. *Triginta* ergo *naves cum sociis*, hoc est, cum ipsis hominibus, Duilius cepit. Ceterum quod attinet ad historiæ fidem, Polybius lib. primo scribit, *Carthaginienses hoc prælio quinquaginta naves amisisse, triginta vero ex his captas cum navalibus sociis; & præterea septiremem ipsius ducis in Duilii potestatem venisse.* Verba ejus sunt: Διὸ καὶ τριάκοντα μὲν τὰς πρώτας συμβαλούσας ναῦς αὐτάνδρους ἀπέβαλον, σὺν ἀπεσέβη ἐγένετο αἰχμάλωτον καὶ τὸ τοῦ στρατηγοῦ πλοῖον. Et post pauca: Τέλος ἐγκλίναντες ἔφυγον οἱ καρχηδόνιοι πεντήκοντα ναῦς ἀποβαλόντες. Orosius vero lib. quarto cap. septimo, & Eutropius lib. secundo: *Annibal amissa navi qua vehebatur, scapha subductus aufugit, triginta & una naves ejus captæ, tredecim mersæ.* Quamquam, ne quid dissimulem, ab Eutropio XIII. naves mersæ referuntur, si codex fidelis est. Existimo tamen apud Orosium & Eutropium XIII. sive XIV. pro XIX. facili scriptoris lapsu, corrupte legi.

SE-

SEPTEMRESMOMQUE. DUCIS. Ita fractus est lapis, ut fere discerni nequeat fuerit ne scriptum SEPTER, an SEPTEM. verum M, litteræ vestigia potius exstare mihi videntur, ideoque ita scripsi. SEPTEMRESMOM autem, quod accusativus pluralis paulo post in hac inscriptione sit TRIRESMOS. Scribit vero Polybius, Annibalem ea septireme vectum quæ quondam fuerat Pyrrhi regis; illa amissa, scapha exceptum aufugisse. Idemque tradit Zonaras tom. secundo. Polybii verba, si quis requirat, hęc sunt: ἡγεῖτο δ' Ἀννίβας αὐτῶν ἔχων ἑπτήρη τὴν γενομένην Πύρρου τοῦ βασιλέως. hoc est, *Præerat iis Annibal, habens septiremem, quæ Pyrrhi regis fuerat.* Miror tamen Livium numquam hac voce usum fuisse, cum Latina usitataque esset, *hepterem* vocem Græcam, pro *septireme*, sæpius usurpasse: sed neque Latinorum aliquem, ex his saltem qui exstant, præter unum Q. Curtium, qui lib. decimo: *Septiremes*, inquit, *omnes esse, adducique Babyloniam jussit.* Dubium autem non esse existimo, quin de Annibalis prętoria septireme hoc loco mentio fiat.

QUINRESMOSQUE. Quia non tantum vacare videbatur loci in marmore, ut QUINQUERESMOS caperet, QUINRESMOS scripsi, quod ipsum antiquitatem illam magis adhuc exprimere videtur. ait enim Festus: *Quincentum & producta prima syllaba, & per* C, *litteram usurpabant antiqui.* Ergo ut *Quincentum* pro *quinque centum* dixerunt, sic quantum ex hac inscriptione conjecturam capere licet, *Quinresmos* pro *quinqueresmos* usurparunt. Contrahebant enim nomina, & *festras* pro *fenestras* dicebant, ut Festus affirmat. Sed de hoc spatium ipsum marmoris judicabit.

TRIRESMOSQUE. Hoc etiam ex illa antiquitate est. nam sic scribit Festus: *Dusmosom locum, apud Livium* (Andronicum) *significat dumosum locum. antiqui enim interserebant* S, *litteram, & dicebant cosmitere pro committere, & casmenæ pro camenæ.* Item alibi: *Pæsnas pro pen-*

*nas*

*nas antiqui dicebant, & Pœsnis, pro* Pœnis. Verum quantum ex his exemplis colligi poteſt, ante M, aut N, litteras tantum interſerere S, conſueverunt.

NAVEIS. XX. DEPRESET. Polybium ſequutus, qui omnes naves, quas hoc prælio Carthaginienſes amiſerunt, quinquaginta fuiſſe, atque ex ipſis triginta cum ſociis navalibus captas tradit, ſic ſcripſi. in marmore enim tantum eſt, NAVEIS X. Si quis tamen XIII. ex Oroſio, aut XIV. ex Eutropio ſcribere voluerit, ſuum habebit auctorem; quamvis ſoleant apud hos numeri magna ex parte corrupte legi: & ut ſuperius a me dictum eſt, fortaſſe apud eos XIX. legendum. Zonaras tantum ſcribit, multas naves captas, multas depreſſas fuiſſe. Poſſet etiam pro DEPRESET, ſcribi DEMERTET. eo enim antiqui utebantur pro *demerſis*. Quinctilianus lib. primo cap. ſexto: *Atque* S, *littera a quibuſdam nominibus excluſa, in quibuſdam ipſa alteri ſucceſſit. nam mertare, & pultare dicebant.* Item Feſtus: *Mertat*, inquit, *pro merſat antiqui dicebant.*

AUROM. CAPTOM. *Auſum* pro *aurum* dixiſſe antiquos, ut *maioſibus, melioſibus, feſiis, laſibus, arboſem*; pro *majoribus, melioribus, feriis, laribus, arborem*, Feſtus tradit; ut dubitare quis poſſit, AUROM ne, an AUSOM potius hic ſcribendum ſit. Verum recte conſideranti conſuetudo illa ita loquendi, Duilio aliquanto antiquior apparebit. Ceterum hos nummos Siculos aut Carthaginienſes fuiſſe oportet. nam Romani eo tempore *aureum nummum* nondum percuſſerant. Plinius lib. trigeſimo tertio cap. tertio: *Argentum ſignatum eſt anno Urbis* CDLXXXV. *C. Fabio* Coſ: *quinque annis ante primum bellum Punicum.* Et paulo poſt: *Aureus nummus poſt annum* LXII. *ſignatus eſt quam argenteus*; hoc eſt: anno Urbis DXLVII. Hæc autem Duilii victoria fuerat anno Urbis CDXCIII. Quantum autem ſinguli nummi valuerint, ſciri vix poſſe credo. mihi certe omnino eſt ignotum. Quod ad numeros attinet, hanc notam

ꝑ mille

φ mille ſignificare nemo eſt qui neſciat. Illud ex hac inſcriptione addiſcitur, antiquis D, cum quingenta ſignificaret, non fuiſſe linea tranſverſa inductam, ut in Capitolinis tabulis, aliiſque veteribus marmoribus & libris paſſim videmus.

ARCENTOM. CAPTOM. PRAEDA. NUMEI. Vox PRAEDA. cur potius in argento capto, quam in auro aut ære poſita fuerit, neſcire me fateor: ut etiam cujus gentis fuerint, aut quantum hi nummi argentei valuerint, quippe cum apud ipſos etiam Romanos varium nummi pretium reperiatur. Alias enim nummus argentei denarii quarta pars eſt, ut Varro, aliique tradunt; alias nummus pro drachma ponitur, ut apud Terentium in Heautontimorumeno: alias pro didrachma, id eſt, duabus drachmis, ut apud Plautum in Truculento. ſic enim ibi loquitur Geta ſervus, cui herus, ut mina obſonaret, mandaverat:

*Nam jam de hoc obſonio de mina deminui modo quinque*
*Nummos, mihi detraxi partem Herculaneam.*

*Quinq. nummos* vocat decimam partem ex mina, quam centum drachmas habuiſſe notius eſt quam ut nunc indicari egeat. Porro *Herculaneam partem* decimam eſſe, vel ex ipſo Plauto in Bacchid. apparet:

*Si frugi eſt, inquit, Herculem fecit ex patre,*
*Decumam partem ei dedit, ſibi novem abſtulit.*

Eſt ergo nummus drachmæ duæ: quod ex Pſeudolo Plauti adhuc probatur, apud quem ita de ſe magnifice loquitur cocus.

*Illi drachmis iiſſent miſeri, me nemo poteſt*
*Minoris quiſquam nummo ut ſurgam ſubigere.*

Illud

a Illud vero ex Prisciano didicimus, hanc notam ccclↃↃↃ centum millia significare. Sed adhuc certius ex abaco Romano, cujus ænea tabella antiquissima exstat apud Fulvium Ursinum cum his numerorum notis ipsi tabulæ ex argento impressis. IxI. ccclↃↃↃ. cclↃↃ. ∞. c. x. i. Præterea in marmore alterius notæ fragmentum exstat hujusmodi C. quæ esset ne alterius ccclↃↃↃ, an alicujus minoris notæ, amissa hac in parte historia Livii, qui exacta ratione has summas auri & argenti in triumphis explicare solet, certo sciri non potest. quare totum id spatium incertis quibusdam notarum vestigiis replendum videtur.

CAPTOM. AES. ccclↃↃc. Ante hęc verba aliquid scriptum fuisse videtur. posteriora enim aliquanto sunt, quam superiorum duarum linearum initia: id vero quale fuerit, comminisci vix potest. Ceterum antiquioribus illis non fuisse notam quę numerum ultra centum millia significaret, ex hac inscriptione facile colligitur, in qua licet fracta, vicies tamen semel eadem repetitur; ut si aliqua esset qua decies centena millia signarentur, tribus tantum notis summa hæc omnis scribi potuerit. Quare qui tradunt, hac nota ccccIↃↃↃↃ decies centena millia notari, sine idoneo auctore id dicere videntur; præcipue cum in abaco, cujus supra mentionem feci, is numerus sic notetur, IxI. Plinius lib. trigesimo tertio cap. decimo: *Non erat antiquis numerus ultra centum millia: itaque & hodie multiplicantur hæc ut decies centena millia, aut sæpius dicantur.* Præterea cum post aurum, & argentum captum in marmore sequatur, NUMEI. ita post æs captum ASEIS, aut PONDO, scribi debere apparet. Et fortasse ante CAPTOM. AES. fuerat hęc vox GRAVE. ut omnino legeretur, GRAVE. CAPTOM. AES. Livius lib. decimo de triumpho L. Papirii: *Æris gravis tran-*

a Hac tabula Romani olim utebantur, eaque celeriter & expedite rationes suas conficiebant. Ex ea cognoscitur quo modo Romani decies centena millia notarent.

*transvecta vicies* [a] *centena millia & quingenta triginta tria.* & post pauca: *Æris gravis tulit in ærarium trecenta nonaginta millia. Pondo* autem addidi, quod tunc asses librales erant. Festus: *Sextantarii asses in usu esse cœperunt ex eo tempore, quo propter bellum Punicum secundum, quod cum Annibale gestum est, decreverunt patres, ut ex assibus, qui tunc erant librarii, fierent sextantarii.* Illud vero monere supervacaneum fuerit, centena millia æris, quæ singulis his notis significantur, valuisse eo tempore, denariorum argenteorum dena millia, hoc est, scutatos aureos quibus nunc utimur, plus minus, mille. Quod deest ex prima linea, itemque initium alterius, his notis repleri poterit: in fine vero ante vocem PONDOD, fragmenti vestigia imprimentur, quoniam nullus conjecturæ locus relictus est.

TRIOMPOQUE. Tantum spatii est in marmore, ut omnes hæ litteræ scribi commodo possint. TRIOMPO vero sine aspiratione scripsi ex Cicerone, qui in Oratore: *Quin ego ipse*, inquit, *cum scirem ita majores locutos esse, ut nusquam nisi in vocali aspiratione uterentur, loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem.* Atque ita in hoc lapide *Cartaginiensis* est sine aspiratione. Primum vero Romanorum omnium triumphum navalem Duilium Cos. egisse, etiam tabulæ Capitolinæ ostendunt.

PRÆDAD. POPLOM. Quid post hæc verba in marmore fuerit scriptum, conjectura assequi non potui. Veniebant in mentem, ROMANOM. DITAVET. quod scribat Zonaras Romanos ea victoria multis spoliis prædaque auctos. aut ROMANOM. DONAVET. ut dicat eam omnem prædam fuisse in ærarium illatam, nihilque inde militibus datum. Livius lib. decimo: *Æris transvecta* XX. M̅. XXCIII. *Argenti quod captum ex urbibus erat*, P. M̅. CCCXXX. *omne æs argentumque in ærarium conditum, militibus nihil datum ex præ-*

[a] al. centum

*præda est.* Quod autem ærario inferebatur, populo dari dicebatur. Sed commodius aliquid excogitandum est. Posset fortasse scribi, ROM. ADFECET. Plautus in Amphitr.

*Præda atque agro adoreaque adfecit populares suos.*

Aut fortasse ea præda viritim divisa fuit. Cato apud Festum in *Viritim*: *Præda quæ capta est viritim divisa.*

CAPTIVOS. CARTACINIENSEIS. INCENVOS. Ex obscuris illis litterarum fragmentis atque reliquiis hanc investigavi lectionem. Orosius enim & Eutropius *septem millia Carthaginiensium capta, tria millia occisa navali prælio* tradunt; & *nobiles aliquot ex captivis ante currum triumphantis ducebantur.* Livius lib. trigesimo tertio cum de triumpho Cn. Cornelii agit: *Multi*, inquit, *nobiles Galli ante currum ducti.* & lib. quadragesimo: *Captivi multi principes Ligurum ante currum ducti.* & lib. trigesimo quarto: *Ante currum multi nobiles captivi obsidesque.* *Ingenuos* autem *nobiles* dixisse antiquos apparet. Ennius in Telamone:

*Scibas natum ingenuum Aiacem, cui tu obsidionem paras.* & Festus: *Pacricios, Cincius ait in libro de Comitiis, eos appellari solitos esse, qui nunc ingenui vocentur.* Porro numerus nobilium captivorum, qui ante currum ducti fuerunt, a nullo, quem viderim, auctorum traditur: ideo a me ea pars vacua relicta est, aut quibusdam notarum vestigiis imprimetur. nisi quis volet numerum septem millium addere his notis ꟾↃↃ ↀ ↀ. & fortasse scriptum erat, DCCC. DUXET. aut alius hujusmodi numerus, qui ab D, inciperet. aut DUXET. ANTE. CUROM. legendum absque numero captivorum.

PRIMOSQUE. CONSOL. DE. SICELEIS. CLASEQUE. CARTACINIENSEOM. Hæc ex Capitolinis marmoribus desumpsi, in quibus est: C. DUILIUS. M. F. M.N. COS. PRIMUS. NAVALEM.

DE. SICUL. ET. CLASSE. POENICA. EGIT. A. CDXCIII. K. INTERKALAR. Quæ ex hac basi transscripta fuisse non absimile vero est. In hoc autem marmore elogia tria Duilio præcipue tribuuntur. Quod primus classem ornaverit ac paraverit: quod primus rem Romanam prospere mari gesserit: quod primus triumphum navalem duxerit.

TRIOMPAVET. In media parte hujus ultimæ lineæ potest hæc vox tantum scribi, nihilque amplius desiderabitur. Sed quoniam Plinius & Quinctilianus innuere videntur hanc columnam a Po. Ro. Duilio fuisse in Foro positam, si quis id quoque in hac inscriptione addi velit, ad hunc modum scribi poterit. TRIOMPAVET. EAROM. REROM. ERGO. S. P. Q. R. EI. HANCE. COLUMNAM. P. Quod si minus ad antiquam formam respondebit, quadrabit tamen ad ejus columnæ ac basis restitutionem quæ nunc fit in Capitolio jussu S. P. Q. Romani. Ceterum Silius Italicus in extremo lib. sexto non a Po. Ro. eam columnam Duilio positam tradit, sed ab ipso Duilio Marti consecratam atque dicatam, his versibus:

*Æquoreum juxta decus, & navale trophæum*
*Rostra gerens, nivea surgebat mole columna.*
*Exuvias Marti, donumque Duilius alto*
*Ante omnes mersa Pœnorum classe dicabat.*

Cui opinioni si quis accedet, fragmentum ita supplere poterit. TRIOMPAVET. EAROMQUE. REROM. ERGO. MARTI. DONUM. D. Nam similis titulus est apud Livium lib. quadragesimo: sed locus est corruptissimus, atque etiam mancus in vulgatis codicibus, in quibus legitur: *Supra valvas templi tabula cum titulo hoc*: DUELLO MAGNO REGIBUS DIRIMENDO * CAPUT * SUBIGENDIS * PATRANDAE PACIS ** HAEC PUGNA EXEUNTI L. AEMILIO. M. AEMILII. F. * AUSPICIO, IMPERIO FELICITATE, DUCTUQUE EJUS INTER EPHESUM

SVM *a* CAMVCHVMQUE INSPECTANTE *b* COS. IPSO ANTIOCHO, EXERCITU OMNI, EQUITATU, ELEPHANTISQUE, CLASSIS REGIS ANTIOCHI *c* ANTEA SIC VICTA, FUSA, CONFUSA, FUGATAQUE EST. IBIQUE EO DIE NAVES LONGAE CUM OMNIBUS SOCIIS CAPTAE *d* XLII. EA PUGNA PUGNATA REX ANTIOCHUS, REGNUMQUE ........, EJUS REI ERGO AEDEM LARIBUS PERMARINIS VOVIT.
Atilius Fortunatianus cum agit de Saturniis versibus, hujusmodi tabulæ meminit: *Apud nostros in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, victoriæque suæ titulum Saturniis versibus prosequebantur, talia reperi exempla*: *Ex Regili tabula*: DUELLO. MAGNO. DIRIMENDO. REGIBUS. SUBIGENDIS. Et infra in Accili Glabrionis tabula: FUNDIT, FUGAT, PROSTERNIT MAXIMAS LEGIONES. Et infra de Saturnio versu: *Hic versus obscurus quibusdam videtur, quia passim & sine cura eo homines utebantur, maxime tamen triumphaturi in Capitolio tabulas hujusmodi versibus incidebant*: SUMMAS OPES QUI REGUM REGIAS REFREGIT.

Hæc mihi in mentem veniebant de hac inscriptione cogitanti. Sed ut in omnibus iis rebus, quæ conjectura investigantur, anceps oratio reperiri solet, vereor ne ab eo quod queritur, longius aberraverim. quę si ita fuerint, tu tamen conatus nostros, amice lector, boni consules, & valebis.

*a*. Fort. SAMUMQU *b*. Fort. EOS
*c*. Fort. delendum ANEASIE. Fort. XIII.
Sed vide Sigonium & F. Ursinum ad Liv. XL, c. 52.

De eadem Inſcriptione hæc habet I. LIPSIUS in ſuo ad Inſcriptiones Smetianas Auctario.

*Si quis volet, ad hiſtoriam ( e Polybio, Zonara aliiſque petitam ) ſic concinnet, me duce.*

Segeſt ANOs ſocios & cognatos popli R.
obſidione D. EXEMET. LECIONES. cartacinienſeis
mAXIMOSQUE, MACESTRATOS. Luceis bovebous amiſſeis
nOVEM. CASTREIS. EXFOCIONT. MACEl am opidum
pUCNANDOD. CEPET. ENQUE. EODEM. MACeſtratod bene
rEM. NAVEBOS. MARID. CONSOL. PRIMOS. ceſet.
CLASESQUE. NAVALES. PRIMOS. ORNAVET. PAravetque
CUMQUE. EIS. NAVEBUS. CLASES. POENICAS. OMneis, paratis
SUMAS. COPIAS. CARTACINIENSIS. PRAESENTEd. maximod
DICTATORED. OLOrOM. IN. ALTOD. MARID. PUCNandod vicet.
tricintaQUE. NAVES. cepeT. CUM. SOCIEIS. SEPTEMremoſque
quinqueresmOSQUE. TRIRSEMOSQUE. NAVEIS. XX. depreſet.
aurOm, CAPTOM. NUMEI.
arcenTOM. CAPTOM. PRAEDA. NUMEI.

*In quibus ratio priſca ſcribendi & loquendi ſervanda hæc.* D. *littera in fine addita poſt vocalem: de quo more monui in meis Antiquis.* C. *perpetuo pro* G. *hac ſcilicet littera nondum inventa.* O. *pro.* V. *ut* Maceſtratos, Conſol. ollorom. E. *pro* I. *crebro ut* Cepet, *pro Cepit*, Navebos, *pro navibus. Conſonantes numquam geminatæ, ut* Claſes, Numei. Triresmos, *antique dicit Triremos.* Poplo, *pro Populo, ex uſu loquendi.* Exfociont, *id eſt, effugiunt. Alia tibi liquent.*

COR-

# CORRIGENDA & ADDENDA.

IN Floro p. 2. vers 17. scribe, *adolescentiam dixerit.* Ibid. vers 19. *Hæc jam ipsa juventa imperii.* p. 5. v. 13. *quæ Marcellus quinquies.* p. 7. v. 6. *ut ad subita belli.* Ib. v. 11. *e conspectu ablatus.* Ib. v. 18. *placitum diis. Ita gentium Roma.* p. 12. v. 6. *Flentem circa se spolia sponsi quidem.* p. 23. v. 12. *& ne specie arcis.* p. 19. v. 22. *Quid ille militiæ artifex Tullius? bellatoribus viris quam necessarius, ut acueret ratione.* p. 20. v. 8. *Igitur Bruto.* Ib. v. 15. *mutato tamen nomine & jure.* p. 21. v. 11. *dedit, & ne specie arcis.* p. 23. v. 12. *dimicatur diu Marte vario.* p. 26. v. 2. *Falisci se sponte dediderunt.* Ibid. v. 25. *Hoc tunc Veii fuere.* p. 27. v. 22. *Intervenit. Missi ex more legati. Sed quod jus apud Barbaros? ferocius agunt. Movent, & inde certamen.* p. 28. l. 13. *secum auferunt.* p. 30. l. 25. *imperii ac magistratuum.* p. 31. v. 18. *qua Nar, Anio, fontesque Velini.* p. 33. v. 26. *ante pugnam furit.* p. 34. v. 3. *Hactenus populo Romano bellum cum singulis gentium, mox acervatim, tamen sic quoque par omnibus fuit.* Ibid. v. 15. *Sed nihil horum terruit ducem. Quin fratre præmisso explorat accessus.* Ibid. v. 18. *refert tutum iter.* Ib. v. 19. *periculosissimum bellum sine periculo explicavit.* p. 35. v. 14. *portuque nobilis, tum mirabilis situ. Quippe in ipsis Adriatici.* Ibid. v. ult. *Est hæc facies Pyrrhi in orbe argenteo* F. Ursini expressa. p. 37. v. 8. gemma Augustæa. v. ult. *cum pilis exhibetur.* p. 38. v. 25. *annisus est, ut facto fœdere in amicitiam reciperetur.* p. 39. v. 28. *his moribus, virtute militum.* p. 40. v. 7. *tremente Italia, Campaniam, Lirim.* Ibid. v. 13. *pax & quies & tanta de opulentissimis.* p. 42. v. 13. *datam in ipsos erexerant, translataque.* Ib. v. 20. *quasi adolescentia.* p. 44. v. 7. *decemviratus libido.* p. 48. v. 2. *ille rudis, ille pastorius populus.* Ibid. v. 13. *etiam mari congredi ausus est, cum quidem ipsa velocitas classis comparatæ victoriæ auspicium fuit.* p. 51. v. 13. *annexamque ei Corsicam.* Ibid. v. 15. *marique Pœnos expugnavit.* Ibid. v. ult. illustrarunt *Jacobus Sirmundus & Hieronymus Aleander.* p. 53. v. 3. *etiam ipsam belli caput Carthaginem.* p. 54. v. 12. *adversis acta ventis.* p. 56. v. 8. *quam quasi cote.* p. 57. v. 11. *tropæum.* p. 60. v. 26. *Hic erat Scipio.* p. 61. v. 19. *infelicis exercitus.* p. 63. v. 16. *non pugnaro.* Ib. v. 23. *pepulit Campania sua.* p. 67. v. 17. *Nero in ultimo Italiæ angulo summovebat Annibalem.* Ibid. v. 20. *signa converterat. Tanto, id est, omni qua longissima Italia, solo interjacente, quo consilio, qua celeritate.* p. 72. v. 5. *caneretur? quo certavere plausu? quid florum.* p. 77. v. 15. *an fuisse, ac cupidus.* Ibid. v. ult. *caussam belli non approbavit Senatus.* p. 78. v. ult. *agitabat, ac successerat.* p. 81. v. 2. *vetus inscriptio.* p. 84. v. 1. *bono socioque regi.* p. 85. v. 3. *felicitas incideret.* p. 88. v. 16. (*fata rerum!*) p. 90. v. 3. *series caussæque bellorum.* Ibid. v. 27. *cui ex Macedonia cognomen, & Celtiberius fieri meruerat.* p. 92. v. 7. *quippe qui conficiendæ.* p. 95. v. 25. *servilia bella.* Ib. v. 26. *gladiatoria.* p. 103. v. 24. *quod nequierant precibus.* p. 104. v. 14. *prioresque Teutonos.* Ibid. v. 15. *in loco quem Aquas.* p. 110. v. 1. *Pontici belli ab ultima.* p. 111. v. 10. *præsidia regis depulisset.* Ibid. v. 20. *non regit ea res.* p. 121. v. 7. *ut victor gentium populus.* p. 122. v. 10. *vetere sedem petitum.* Ibid. v. ult. *in denario.* p. 123. v. 5. *illud egregium.* p. 125. v. 3. *Britanniam petit. Transit.* Ibid. v. 6. *hostico littora, &.*



Ibid.

Ibid. v. 12. *auctisque copiis.* Ib. v. 15. *regibus Cavelianis.* Ibid. v. 25. *Vercingentorix. Ille.* p. 128. v. 4. *Dii fœderum ultores.* Ibid. v. 8. *Mazaræ Syro.* Ibid. v. 10. *exercitus ut undique hosti.* Ibid. v. 27. *ad regem deportatum ludibrio fuit nec indigno.* p. 132. v. 2. *Reduci plebs in agros.* p. 136. v. 27. *flagitare, cum interim.* p. 138. v. 16. *Nuceria. Picentia.* Ibid. v. 28. *eversione Manibus tot exercituum, consulum, direptarumque.* p. 141. v. 7. *inter rixantium manus.* Ibid. v. 25. *prima velut ara viris.* p. 142. v. 3. *Deinceps Coram, totamque pervagantur Campaniam.* Ib. v. 16. *dein in honore.* p. 144. v. 4. *parricidale bellum.* v. 5. *quasi arena.* p. 145. v. 9 *Sullæ.* Ibid. v. 10. *Sulla.* Ibid. v. 17. *quæ Pœnos, quæque Gallos.* v. 23. *bello reseravit. Cornelio Cinna.* p. 146. v. 20. *Carbo.* Ib. v. 26. *Cæsares a Fimbria.* p. 147. v. 10. *Scipione Norbanoque Consulibus.* Ibid. v. 14. *non plures sunt?* p. 149. v. 15. *Fortunatasque insulas.* p. 151. *fuga in Etruriam.* p. 155. v. 10. *Cotys.* p. 157. v. 4. *& sic orbis imperium.* Ibid. v. 21. *quem decem tribuni favente Pompejo.* p. 159. v. 27. *Octavius Libo.* p. 159. v. 3. *captæ quasi.* p. 160. v. 22. *prohiberet, tempestate ad bellum.* p. 161. v. 1. *contractis in unum omnibus undique copiis.* Ibid. v. 21. *miles ocium.* Ibid. v. 26. *nunquam uno loco.* Ibid. v. 20. *hinc illinc præter.* p. 163. v. 11. *cum majore.* Ibid. v. 4. *fugeret, una navicula.* p. 165. v. 18. *quod amplior eo acriorque Cæsarianorum.* p. 166. v. 1. *Juba cum se recepisset in regiam, magnifice epulatus est postero die cum Petrejo fugæ comite, superque mensas & pocula.* p. 173. v. 23. *in regem, aliter salvus esse.* p. 177. v. 8. dele 1. en tibi Lepidum triumvirum, & nummum ejus expunge. p. 177. v. 5. *Antonium ultionis* p. 178. v. 4. *Triumviratus invaditur, oppressaque.* Ibid. v. 5. *Sullanæ,* Ibid. v. 13. *junctim a C.* Mario. p. 180. v. 2. *respublica. Relicto ad urbi præsidium Lepido.* Ibid. v. 19. *somnio admonitus.* Ibid. v. 22. *dimicatum foret: quamvis.* p. 181. v. 4. *inclinato cornu suo, cum captis.* p. 182. v. ult. *apud eum.* p. 183. v. 16. *inferius.* p. 186. v. 2. *salinacidis.* p. 189. v. 2. *cornua infesta classe.* Ibid. v. 15. θαλαμίτας, v. 16. θρανίτας.

## CORRIGENDA & ADDENDA IN NOTIS.

P. 9. v. 22. dele CAPUT. IV. p. 10. v. 24. *tribus fuerint?* v. 27 *dixeris tribus*, ibid. dici φυλὴν, τριττύα. Ibid. v. 29. Tarquinium? p. 11. v. 25. *trecenti equites. Nam.* p. 15. v. 27. post Dii quidem castrenses adde: *Incursu* legendum etiam sequentia docent. Nam propter eandem caussam Magister equitum exuere frena imperavit equitibus, propter quam Dictator signum in aciem hostilem projecerat. Quæ illa fuerit caussa dicit ipse Florus: *quo acrius incurrerent.* p. 16. post v. ultimum adde:

*Hoc tunc Veji fuere.*) Sic recte ex Nazarian. viri docti emendarunt. Vulgo, *hoc tunc Vejentes fuerunt.*

p. 25. v. 20. *& pluribus istam.* p. 28. v. 24. non video quid sil velit ad totam victoriam exitum. p. 31. v. 21. γηράσκειν. v. 2. *esse senio.* p. 36. post. v. 21. adde:

Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insularum litora inplevit.] *Imperia gentium* hic locum non habent. Nam præda implevit omnium gentium imperia est ditavit omnium gen-

tiu

lium imperia. Sed hoc ſtulte diceretur. Si aliter accepit eſt hyperbole perabſurda. præterea præcedens copula & in verbis *Africam & ſyrtes* hic aliam poſtulant copulam, ſi Latine velimus loqui. Videtur igitur Florus ſcripſiſſe *Africam & Syrtes, & omnium ripas gentium, & inſularum littora implevit*, ut in IV. *ripam* quoque pro littore poſuit, in ejuſdem fere ſententiæ loco; *mille aliarum gentium ſpolia in ripam aſſidue mota ventis maria revomebant.*

p. 39. v. 34. *in alium fuit parum apte.* p. 40. v. 11. *doctorum curæ.* Ib. v. 28. *prætextam exſuerat.* p. 41. v. 4. *laus ſit futura.* p. 43. poſt v. 3. adde; Quid autem in deligendis magiſtratibus.] Unde pendet *quid autem*? Novi *quid enim* eleganter interponi non nunquam. Sed huic loco non poteſt convenire. Vide quam plana ſint omnia ſi deleas τὸ *quid*, & ſcribas; *In deligendis autem magiſtratibus quæ centuriarum ſapientia, cum juniores a ſenioribus conſilium de creandis Conſulibus petivere*? Ms. Ryck. *Quid autem in deligendis magiſtratibus*? *quæ centuriarum ſapientia, cum juniores a ſenioribus conſilium de creandis Conſulibus petivere*? Poſſent ferri, ut ſubintelligas *quid autem in deligendis magiſtratibus* prudenter actum? aut ſimile quid.

Ibid. v. ult. (corrupte pro *urbis*) *ipſius.* p. 45. v. 6. *non plura petiſſet.* p. 48 v. 26 *Omnes* Mſſ. *& ed.* p. 52. v. 16. *perantiqua &.* p. 58. v. 17. luxuriari felicitas urbis inciperet. p. 62. v. 8. delendum eſſe. p. 70. poſt. v. 28. adde. Nunc nihil mutandum cenſeo. Florum enim *litare* poſuiſſe pro offerre, ſacrificare ex non uno loco conſtat. Lib. IV. 42. *Concepere votum ut cæſorum extis ducum & litarent & veſcerentur.* Sic &. III, 18. dixit *direptarum urbium diis litare everſione Aſculi.* p. 75. v. 1. *Munychia.* p. 76. v. 24. poſt *jungere Boſporum* adde. Camillus Peregrinus vir doctiſſimus in pereruditis ſuis diſſertationibus de Felice Campania ſeu Capua antiqua, hunc locum corruptiſſimum eſſe putat, maleque hic cum fugere cepiſſet Rex mentionem fieri Ciciliæ & Campaniæ, cum paullo poſt rectius, & ſuo loco dicat illum cogitaviſſe Italiam inopinantem invadere. Legendum itaque cenſet: *Quippe cum effugiſſet hoſtem, per Colchos, Scythiæ quoque littora & clauſtra, noſtra ſubito adventu terrere.* Hanc emendationem auctoritate Appiani, & epitomes Livianæ tuetur. Hæc lib. 101. docet Mithridatem *per Colchos intendiſſe fugam.* Ille narrat Regem ad Euphratis fontes properaſſe Colchos petiturum, & perluſtrata in circuitu ora Pontica, Scythiſque maris ejus accolis & paludis Mœotidis pervadere in Boſporum, pulſoque Machare ingrato filio, rurſus apertum cum Romanis bellum gerere, & ex Europa impugnare Aſiam diremptam freto modico. Idem dicit, Mithridatem tot feras gentes & quæ vocantur clauſtra Scythiæ, nulli antea permeata, tranſiſſe. Florum autem *noſtra* dixiſſe pro noſtri juris & ditionis provincias, ſeu Romanas. p. 77. v. v. 27. ὐράνισκος. p. 78. v. 31. ὐράνισκος pro tentorio. p. 78. poſt verſum ultimum hæc adde: Vulgatam tamen tuetur vir ſumme Reverendus, & magnæ doctrinæ Fridericus F. F. Spanhemius in elegantiſſima Introductione ad Geographiam ſacram, ubi *arcanum patens* explicat jam patens, cum ſcilicet adytum templi

 in-

ingressus esset Pompejus, aut, *vacuam sedem, inane arcanum*, ut vocetur apud Annalium scriptorem, & Josephum de Bello Judaico. L. VI, cap. VI. *sub aureo uti cœlo*, veluti sub aureo cœlo, inauratis laquearibus. Non possum quin & tecum communicem sententiam Collegæ Spanhemii, viri itidem doctissimi & celeberrimi, Stephani Le Moyne, quam ad me perscripsit, cum meam de hoc loco conjecturam illi examinandam commisissem: In antecessum scias velim conjecturam tuam de loco Flori admodum se mihi probasse. Sola fere mihi placebat Lipsii sententia, sed tua jam mihi videtur palmam facere dubiam. *Utis* Samuelis Petiti est omnium ineptiarum cumulus, & fastigium. Eodem forsan vituperio onerabis nostram circa hunc locum conjecturam, neque enim in hac materia ἀσύμβουλοι esse voluimus, in qua non agitur de reipublicæ aut litterarum salute. Mutabam ergo *cœlo* in *cillo*, & Asininum Numen innui existimaban. Nosti illud Petronii & *Cilli summas advocat auriculas*, & istud Juvenalis: Et *Cilli numen adorat*, & *Ancherium* Vossii, & *Asinarios* tam Christianos quam Judæos. Intravit ergo Hierosolymam Pompejus, vidit *Arcanum impiæ gentis patens sub aureo Cillo*, asino nimirum aureo, cujus cultu gens impia vicinis & aliis gentibus se deridendam prostituebat. Sic, si famæ credimus, Antiochus invadens penetralia templi Hierosolymitani incidit in asinum, vel caput aureum asini, magisque est efferatus in miseram istam gentem, quæ tam fœdo cultui se adligare non erubescebat. Quod fluxisse crediderim ex Cherubinis Arcæ, qui cum vitulos referrent, sed pingui crassaque cœlatura efformatos & elaboratos, asinos referre existimabant, & voluerunt ethnici, & jocosa petulantique calumina asinorum cultum Judæis impro perarunt. Hæc est viri Eximii mihique amicissimi de loco hoc vexato sententia.

p. 90. v. 3. *De bello Gildonico.* p. 93. v. 17. *Palatinus.* p. 94. v. 17. *& ipse Florus alibi mavult.* Ibid. v. 10. κακοζηλία. Ibid. v. 11. κακοζηλία p. 101, post versum tertium adjice sequentia.

Inde alia castra. Deinde Coram totamque pervagantur Campaniam.] Cora. Volscorum urbs, quo non venit Spartacus. Hinc emendavit egregie politus ille Camillus Peregrinus in libro de Capua antiqua: *Deinceps Cosam, totamque pervagatur Campaniam.* cujus urbis meminit Vellejus Paterculus lib. II, cap. 16. & Strabo lib. V Sed & male hic locus interpunctus est in vulgatis libris, cui male medeberis, si sic distinguas: *& exitu invio nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuere, inde alia castra, deinceps Cosam, totamque pervagantur Campaniam.* p. 104. v. 18. post hæc verba *præcavere mihi jubet scilicet*; hæc insere: Inferius lib IV, 12. *aliis oculos, aliis manu amputabant.* effodiuntur oculi, non an putantur.

p. 154. v. 10. adde: Sed longe post scripsit, commodius istud vulnus sanari posse, minusque recedi a vestigiis veterum codicum, si legatur: *fierique pontem e subliquis imperavit*, pro *sublicis.* Hæc, mi lector, haut gravatim suis locis interpones, & corriges, ut & si quæ aliæ mendæ nostros effugerunt oculos.

IN

# INDEX
# IN FLORUM,

in quo

*Primus numerus librum, secundus caput cujusque libri denotat.*

A Brundisio trajicit Cæsar 4, 11. A Corfinio Roma petitur 3, 18. *Sic, opinor, legendum in Cicerone Philipp.* 5, 8. *Infesta patriæ signa*, a Brundisio *inferebat.* a dextris, a lævis. 3, 4. a tergo 3, 11. 4, 2. a Ponto. 4, 2. a Punico littore tanquam specula procurrit Clypea 2, 2. a prælio profugus. 4, 2. elephanti nuper a silva 4, 2.

Ab Ænea decimusquartus Amulius 1, 1. ab aratro dictator. 1, 11. ab arboribus pendere. 3, 3. ab Etruria 4, 12. ab Etr. Roma petitur 4, 1.

Abdere humi, *pro sepelire.* 4, 12.

Abhorrere moribus, *pro a moribus.* 1, 7.

Ablatus e conspectu Romulus 1, 11.

Ablegare equum. 4, 2.

Abnuere, *pro recusare.* 3, 16.

Abolere, *pro delere, extinguere.* 4, 9.

Abolitio, *pro ἀμνησίας oblivione actorum.* 4, 7. Sic apud Suet. Tib. 4. Est & tit. C. *de abolitionibus.* abolitio animarum, *pro morte quæsita* 4, 7.

Abrogare, *proprie est per rogationem, h. e. legem ad populum latam adimere. sic* abrogati fasces Collatino. 1, 9. abrogatum imperium regibus. 1, 7.

ABRUMPIT aciem intentionis rerum diversitas. *Præfat.* interventu fluminis ignis abrumpitur. 2, 2.

Abrupta, *pro præcipitibus.* 2, 12. abrupti torrentes 4, 12.

Abscidere, *de aquis dictum terras dirimentibus.* 2, 2. 2, 8.

Abscondere. fortuna Pompejum abscondit. 4, 2.

Absens victus Perses. 2, 12. absenti negatur consulatus. 4, 2.

Abundare divitiis. 3, 9. equitum copia. 4, 2.

ABUNDANTIA servorum perniciosa. 3, 12.

Accendere facem certaminum, *hoc est, caussam præbere seditionibus.* 3, 14. fax quæ Drusum cremavit, socios in arma accendit. 3. 18.

Accessio, *pro additamento, auctario, quod accedit principi caussæ. Sic* accessio belli. 2, 9. cladis 3, 1. provinciæ. 3, 6. *ita Plinius* 29, 1. *ne videatur*

*deatur* acceſſio *alterius.* Seneca, *parva ruinæ ingentis* acceſſio *ſui* Conſol. ad Mariam.

Acceſſus, *h. e. aditus, tranſitus,* 1, 17. *alibi vocat* Clauſtra.

Accipere, *pro interpretari, intelligere.* 2, 18. accipere, *pro ſuſcipere. non reſpuere.* 1, 2. accipere regnum *pro conſequi.* 1, 5. omen. *h. e. in omen, loco ominis.* 4, 12. *Sic apud Ciceronem divin.* 1, 46. *Æmilius*; accipio omen, *mea filia. Tacitus H.* 1, 62. *Ut haud dubium magnæ & proſperæ rei* omen acciperetur. adde Tac. 2, 13. Liv. 1, 7.

Accire mortem. 4, 2.

Acerbiſſimum, *quod maximum dolorem inurit.* 3, 10.

Acerrimus juvenis. 4, 4.

Acerrima calliditas. 2, 17. *Sic* acerrima *mens divi Auguſti apud Tacitum H.* 2, 76. *h. e. acutiſſima, ſollertiſſima.*

Acervatim. 1, 17.

Achaja. 1, 18. 3, 6. liberata. 2, 7.

Achaicum bellum. 2, 16.

Acies, *pro prælio.* 3, 22. acies prima, *pro parte aciei quæ proxime hoſtem eſt.* 4, 2. aciem committere, *h. e. confligere.* 4, 7. dirigere, *pro inſtruere, ordinare.* 3, 16.

Acies intentionis. *Præfat.*

Acilius Glabrio cos. 2, 8.

Acinaces 4, 11.

Acrior, *h. e. vehementior.* 2, 2.

Acrius, *pro vehementius, majore vi & impetu.* 1, 11. 1, 13.

Actum eſt de illo. *h. e. periit.* 1, 18. 2, 6. 3, 3. 3, 5. 4, 1. nihil actum eſt, *h. e. nihil profectum eſt.* 2, 6.

Acta Pompeji. 4, 2. Syllæ reſcindere. 3, 23.

ACUIT virtutem ratio. 1, 8.

Ad arma. 2, 15. ad famam rei, *h. e. cum nunciaretur ea res.* 3, 9. ad id tempus, *pro eouſque.* 3, 10. ad id temporis. 2, 17. ad mare, *pro juxta mare.* 1, 16. ad ſimilitudinem, *h. e. ad exemplum, exemplo, more.* 1, 2. ad tempus. 1, 6. *Sic Marcellinus.* 14, 10. ad ultimum; *pro poſtremo.* 4, 7. *Niſi forte* ultimum *pro morte ponatur hoc loco.* ad ambitum uſque armari. 1, 16. ad iniqua pondera gladium addere. 1, 13. ad virtutem dolum addere. 1. 3. 3, 3. ad ſonum virgæ expaveſcere. 1, 26.

Adæquare famam alicujus. 2, 2. urbem flammis. 3, 10.

Addere dignitatem, *non tam eſt augere, quam facere.* 1, 8. *Ita Salluſtius Cat.* 22. *de Catone: huic ſeveritas* dignitatem addiderat. addere licentiæ ſcelus. 2, 5. virtuti dolum. 1, 3. 3, 3.

Addicere, *verbum prætoriæ juriſdictionis, pro adjudicare.* 3, 23. *Videtur hæc conjunxiſſe Livius.* 6, 14. *Ne quem veſtrum, Quirites, donec quicquam in re mea ſupererit*, adjudicatum (*ſic velim, non ut editur, judicatum*) addictumve *duci patiar.* Pro vulgari tamen lectione eſt Plautus in Nonio: ubi ſic legi velim: JUDICATUM *adjudicatum atque addictum.*

Adeo terribilius, 2, 6.

Adequitare caſtris. 4, 10.

Adeſſe, *pro urgere, inſtare.* 3, 5. *Hoc ſenſu Seneca epiſt.* 53. *Domina eſt*, adeſt & *jubet.* adeſſe precibus alicujus, *h. e. patrocinari, ſive, ut in l.* 6. §. 1. *de poſtul. exponitur, advocationem præſtare. vel, ut apud Senec. de brev. vita cap.* 2. *advocare.* 2, 9. aderat puellæ forma, *h. e. patrocinabitur ei, cauſſam illius agebat.* 4, 2. *Nam* adeſſe *dicebantur cauſſarum*

*patroni. ut in l.* 19. §. 1. *de donat.* & *apud Tacitum.* 3,11. *Pisoni patronos petenti, M. Lepidus,* & *L. Piso,* & & *Livenejus Regulus* adfuere. Sic adesse dolori, *Seneca consol. ad Helv. cap.* 2. Ovid. de arte 3, 531. ---- *jus qui profitebitur adsit.* Vide Livinejum ad Paneg. Plin. cap. 78. pag. 301. f.

Adgubernare. 2,8. iter, *h.e. regere.* 3, 5.

Adherbal Bomilcaris. 2, 6.

Adherbal Numida. 3, 1.

Adhoc *pro insuper.* 2,8. 3,9; 3,10. 2, 4.

Adhuc, *pro insuper.* 1, 13.

Adigere gladium. 4, 2. adig. sacramento, *h. e. adstringere, obstringere.* 3,1. *Valet autem hoc loco, militem facere.*

Adire hereditatem, *h.e. pro herede se gerere, ut explicatur in Novel. cap.* 1. §.4. *vers. in omnibus.* 2, 20.

Admirabilior. 4,2. admirabilius. 3, 3.

Admittere hostes, *h. e. aditum præbere.* 1, 1.

Admodum, *h. e. omnino non amplius. sicut apud Iustinum.* 17, 2. *post menses* admodum *septem.* & 24, 1. *congregati* admodum *quingenti. Sic* in nostro. 2, 6. prætextatus admodum filius, *h. e. non amplius adhuc quam prætextatus, impubes etiamnum. intendit enim rem hac particula,* & *admirationem auget.*

Admovere arma. 3, 23. signa commilitonum, *h. e. adducere.* 1, 24. ubera, *pro præbere.* 1, 1.

Adolescentia populi Romani. *Præfat.* 6, 1.

Adoptare in locum liberorum. 1, 9. servi in bona libertatis nostræ adoptantur, *h. e. per manumissionem; quasi adoptionem, libertatem consequuntur.* 3, 20.

Adoptio Augusti. 4, 4.

Adorata urbs. 2, 4. *Non liquent mihi Gruteri rationes, quas una cum Suspicionibus hauddum editis aliena manus abstulit. Putem autem* adorare urbem *explicari posse, non in conspectum ejus modo, sed ita prope accedere, ut* & *alloqui cum civibus possit.* an sic *adoratur penna,* Lucan. 4, 478. Statius Theb. 6, 664. ---- *adorato redit illa ingloria disco. Apud Apulejum Metamorph.* 2. & 3. adorare populum *est verba ad populum facere.*

Adorta urbs, *quam quis adortus est.* 4, 2.

Adortus, *h. e. aggressus.* 1, 3. 3, 1. 4, 12.

Adprobare se, *h. e. probum se ostendere.* 1, 18. adprobare causam belli. 2, 11. Latro apud Senecam controv. 5. in Divis. *Mores tuos patri debes approbare.* Tacitus. 1, 57. *probare causam senatui jussit.*

Adremigare. 2, 8. litori. 1, 18. portibus. 3, 7.

Adrianum mare. 2, 5.

Adriaticum mare. 3, 4. 3, 6. 4, 2.

Adversari voluntati alicujus. 1, 22.

Adulteratæ reliquiæ. 2, 11. *adulteratum dicitur quicquid aliena specie in deterius mixtum est. Sic* adulterata moneta, nummi, rationes &c. apud JCtos.

Ædes, *pro templo.* 1, 7.

Ædificator, *qui libenter ædificat.* 1, 8.

Ædui. 3, 2.

Æetas Ponticus. 3, 5.

Ægates insulæ. 2, 2.

Ægeum mare. 2, 16. 3, 6.

Æger rerum temere motarum. 3, 17. *Sic* æger consilii. Sallust. H. 4, 3. ægra animi. *Livius* 1,58. *Hujus generis exempla complura notat Rhenanus in locutionibus Taciti.* ÆGRÆ reip. requiescere quomodocunque expedit. 3, 23.

Ægimurus. 2, 2.

Ægritudo corporis, *pro morbo.* 4, 7. *Utitur hac phrasi Curtius.* 3, 5.

Ægyptus triumphus Cæsaris. 4, 2. Ægyptium mare. 3, 6.

Ægyptus. 4, 2. Ægypti cornua. 4, 11. fugam in Ægyptum agitat Pompejus. 4, 2. in Ægypto bellum cum Cæsare. 4, 2.

AEmilius Insubres vincit. 2, 4.

AEmilius Paullus cos. 2, 12. *Vide etiam* Paullus.

AEmilius Regillus. 2, 8.

AEmulus Cæsarianæ potentiæ Antonius 4, 3. AEmula Romæ Alba. 1, 3. ÆMULARUM metu ablato luxuriantur urbes. 2, 15.

AEmulatio imperii inter Latinos & Romanos. 1, 11. 1, 14.

AEMULATIO metu remoto erumpit. 4, 2.

AEneas. 1, 1. in Italiam venit. 1, 1.

AEqui. 1, 11.

AEquitatis species in seditionibus tribuniciis. 3, 13.

AEquo Marte contendere, *ut nemo sit superior* 4. 2.

AEquum & bonum. 1, 22. 3, 14.

AErarium 3, 9. reip. nervus. 3, 13. sanctum. 4, 2.

AEs Corinthium. 2, 16.

AEsapus *fl.* 3, 5.

AEstimare victoriam modeste. 4, 12.

*Numero rotundo usi auctores. Præfat. Plinius*. 36, 15. nongentorumque annorum dociles scrutari vias. *& hoc quidem in collectione seu recapitulatione quadam. secus enim ubi certum aliquod factum suo tempori reddere volunt.*

Numinum contumacia, *de diis, Iovi non cedentibus*. 1, 7.

Numida, *h. e. Iugurtha*. 3, 1.

Numidæ. *pop*. 2, 15.

Numidia subacta. 3, 1.

Numitor. 1, 1.

Numitorius uncis trahitur. 3, 21.

Nuncius cladis vix relatus. 3, 11. *Cicero pro L. Manil. cap*. 9. Tanta clades, ut eam non ex prœlio nuncius, sed ex fama rumor afferret. *Lilius*. 4, 10. Vix nunciis cædis relictis & 27, 51. Supersint aliqui nuncii, & hostium cladis, & nostræ virtutis. *Justinus*. 1, 8. Ne nuncius quidem tantæ cladis superfuit. *Adde Zwingeri theatrum pag*. 512. *Paneg. Maximian*. 5. f. nuncii victoriæ Castores. 3, 3.

Nuncupare vota in Capitolio. 1, 11.

Nuper, pro aliquam multis annis. 4, 12. *Ita Plinius*. 35, 50. fuit & nuper, *h. e. annos plus minus decem. Nam de Neronis temporibus loquitur, cum ipse sub Vespasianis scriberet. sic Livius* 4, 15. *Seneca de benef*. 4, 30. Cinnam nuper, quæ res ad consulatum recepit? nuper, *h. e. ante annos circiter L Cinna quippe cos. fuit anno V. C. DCCLVII. Seneca de benef. sub Nerone scripsisse putatur. Ita* modo *de CX. annis dixit Cicero Offic*. 2, 21. *& de aliquot sæculis Arnobius lib*. 1. *pag*. 7. *Livius* 9, 17. sicut Magnum modo Pompejum. *at certe scripsit hæc Livius annis utique aliquot post pugnam Actiacam, ut ex ipso*. 1, 19. *apparet: sed ab ea pugna retro ad Pompeji bellum colliguntur anni XVIII. Vide etiam Berneggerum ad Justin*. 38, 6. *Scias autem hæc ita non reperiri nude posita, sed semper in comparatione vetustiorum: quomodo & ea quæ reipsa magna sunt, cum majoribus collata, parva dicimus.*

Nutare in fugam, *h. e. inclinare in fugam.* 3, 10.
Nutriti a feris. 1, 1.

O.

OBducere castra hostilia vallo. 4, 2. Obequitare. 4, 2.
Obligare quasi mediterraneis agris. 3, 6. *Hoc vocabulo videtur usus, ut Plautus Menæchm.* 1, 1. vinciendi *verbo. Nam Pompejus piratis agros dederat, quibus tolerare vitam possent.*
Obliquus adversus potentes, *h. e. iniquus potentibus.* 4, 2.
Oblitus rubigine ensis. 4, 2.
Oblivionis flumen. 2, 17.
Obnoxius. 4, 4. *ita Livius.* 42, 64. *Ovid. Am.* 2, 2. *Vide Agellium.* 7, 17. *Plaut. Bacch.* 5, 2.
Oborta tempestas. 1, 1. *h. e. forte exorta, hanc enim vim quandoque in compositionibus habet* ob *particula. sic apud Livium.* 23, 19. obnata ripis salicta.
OBREPERE non est ex arte ducis. 4, 10.
Obrogare, *pro intercedere rogationi.* 3. 15. 3, 17.
Obruere amnem ingesta silva. 3, 3. incendium. 3, 21.
Obscœna contumelia, *pro turpi & pudenda.* 1, 18.
Obscuritas generis. 3, 1. ad altiora nitenti obstaculo. 1, 6. *Cicero de orat.* 2, 52. Invident homines maxime paribus, aut inferioribus, cum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse.
Observare portam 3, 6. *Hoc sensu servare est.* 4, 2. *& apud Livium* 23, 19.
Obsides dati Porsenæ a Rom. 1, 1, 10. feminæ. 1, 10. duci jubentur. 3, 21. obsidibus astringere. 4, 12.
Obsessor ipse obsidetur. 4, 2.
Obsidere, *pro occupare, insidere.* 2, 17.
ab Obsidione excutere hostem. 2, 6.
Obsidium, *pro obsidione.* 2, 2. 2, 6. 2, 16. 4, 12. *utuntur hoc vocabulo Tacit.* 3, 39. *& Agell.* 15, 21. *ubi male notatur in editione Coloniensi, Agellium hoc nove dixisse. Ad eam formam est* collusium, *pro collusione in l.* 8. §. 1. *ff. Mandati.*
Obsidius Frentanæ turmæ præfectus. 1, 18. *Est autem nomen hoc quale* Auxilius, *in quem ludit Ausonius Epigr.* 128 *sic* Adjutorius *est in vet. inscript apud Gruter.* 3, 7. Alimentus *apud Liv.* 21, 38. Sarmentus *apud Quintilian.* 6, 3.
Obstrepere actis alicujus, *h. e. ea suggillare, eorumque rescissionem suadere.* 4, 2.
Obstricta gemmis vestis. 4, 11.
Obterere. Uno prœlio Pharnacem obtrivit Cæsar. 4, 2.
Obtorta gula. 3, 17. obtorto collo in in jus trahi, *Hieron. Epist.* 2, 9.
Obundatio fluminis. 4, 2.
OCCASIO invitat ad facinora. 3, 5. 4, 1. occasione rei bene gerendæ invitatus. *Epit. Liv.* 8, 9. in occasionem arripere aliquid. 4, 2.
Occidere, *ante pænultima brevi, h. e. cadere, perire.* 4, 8.
Occupare, *prævenire, præcipere. sic* occupare fugam alicujus ferro, *est cadere priusquam fugiat.* 3, 11. occupare manu mortem. 4, 2. *h. e. præcipere, priusquam inferatur ab inimicis. Hoc sensu* occupare manu mortem. 4, 2. *h. e. præcipere, priusquam inferatur ab inimicis. Hoc sensu* occupare ferrum. 4, 11. occupare *enim est priorem aliquid facere, ut explicat Cato apud Agell.*

*Agell.* 7, 3. Id nos priores facere occupabimus. *Sic Plin. paneg. cap.* 10. occupavit, primusque fecit, quod omnes facturi erant. *Ita Curtius* 8, 6. Cum aprum telo occupasset, quem rex ferire destinaverat. *Statius Thebaid.* 10,666. I precor accelera, ne proximus occupet Æmon. occupare, *pro subito supervenire alicui, quomodo deprehendere dicimus.* 3,10. *Adde* Justini *Indicem. Curt.* 3,1.

Occurrere venienti bello. 4, 11.

Oceanus omnia cingens. 1, 13. furorem civium castigat. 4, 2. classes naufragio cædit *ibidem.* & 3,10. oceani effigies aurea in triumpho Cæsaris. 4, 2. maria. 4, 12. ora. 3, 17. 5, 6. ostium. 4, 2. cum oceano major quam cum navibus rixa. 3,10.

Ocriculum *urbs.* 3, 18.

Cn. Octavius trib. pl. 3, 14.

Cn. Octavius cos. 3, 21.

Octavius *M.* Pompeji legatus. 4, 2.

Oculi caussarum patronis eruti. 4, 12. oculi militum ardentes. 1,16. *Sic apud Homerum Iliad.* 15, 607. *Hectori* fulgebant oculi torvis sub superciliis. oculos Numantinorum Romani non ferunt. 2, 18. oculos Cæsaris tentat Cleopatra. 4, 11. *h. e. tentavit utrum & Cæsarem in amorem sui pellicere posset, ut alios:* tentavit *igitur* oculos, *quod nempe* ---- sint in amore duces, *hinc illud Alexandri apud Plut. in vita cap.* 36. Magni dolores oculorum Persides. oculos publici doloris ferre. *Curtius* 9,7. conjectum oculorum *vocat.* 4, 7. oculi Jovis cruore respersi. 3, 21. *vult dicere, Merulam velut in conspectu Jovis cecidisse.*

ODIA partium non finiuntur cum bello. 4, 2.

Odores, *pro odoramentis.* 4, 11. *Sic Columella.* 12, 20. *Tac.* 3, 2. *sic* Colores *supra* & Sopores *pro soporiferis apud Senec. de benef.* 5, 13.

Oenomaus gladiator. 3, 20.

Officinæ armorum. 3, 15.

Officia, *pro opificiis, & aliis artibus.* 1, 6.

Offocare fauces. 2,11. *h. e. strangulare.*

Olbia *urbs.* 2, 2. *Vide Val. Max.* 5, 1.

Oleo se fovere. 2, 6. *hoc enim conferre putabant ad robur corporis. hinc* recreans membra olei liquor *est apud Plinium* 12, 1. & *apud Plut. Alex. cap.* 101. *vates respondent*; ad labores, a Deo datum hominibus oleum, lenimentum. *Hinc ille creber usus in gymnasiis &c.*

Olympos *urbs.* 3, 6.

Olympus *mons.* 2, 11.

Omen eversionis. 1, 12. victoriæ. 2, 6. omen accipere *Vide A.* Omnia ex similitudine rerum interpretationem capiunt. 1, 7.

Ominosæ voces vitatæ. 3, 11.

Omnis, *pro toto.* 3, 18. *Sic* cuncta mœnia *Sallust. Jug.* 57. *Contra* totus *pro omni reperitur ut apud Apulei. lib.* 10. Toti nunc judices sententias suas pretio nundinantur.

Operis nudatus portus. 2, 15. *Hoc ego non satis capio. forte* operæ *pro operibus ponuntur: forte vitium in scriptura est, & legendum* operibus. *sicut apud Cæs. de bell. Gall.* 2, 6. Murusque defensoribus nudatus est: *forte* nudare operis *dicitur, sicut* liberare culpę *apud Livium.*

Operæpretium. *Præfat.*

Opertus catenis. 3, 1.

Opes Albæ Romam translatæ. 1,3. totius mundi Ostia receptæ. 1, 3, privatæ in medium collatæ. 2, 6. opibus suis fretus Antiochus Annibalis consilia despicit. 2, 8. OPI-

BUS aggredi invictum armis. 3,1. opes, *pro potentia.* 2, 18. 4, 2. *Ita Justinus.*

Opimius L. cos. 3, 15.

Opima spolia prima. 1, 1. secunda. 1, 12. tertia. 2,4. opima, *pro spoliis egregiis aliis, laxiore significatu.* 2, 17. *Dicuntur autem fere* opima *non addita voce spoliorum, intellecta tamen: ita Seneca Herc. Fur. vers.* 48. opima victi regis ad superos refert.

Opitergini *pop.* 4, 2.

Oportere, quod sub gladiatore duce oportuit. 3, 20. *Plautus Rud.* 2, 2. *exprimit,* ut æquum est.

Oportunus injuriæ. 4, 4. *Ita de Adherbale Sallust.* Jug. 9.

Opprimere consilia. 4, 12. *Justino est* discutere.

Oracula. 1, 1.

OPULENTIA parit egestatem. 3, 12.

Opulentissimus, *pro ditissimo.* 1,21. *sic* opulentissima præda. 2, 2. urbs. 2, 16. opulentissimæ gentes. 1, 18.

Opus, *pro* κτίσματι *structura quacunque. sic* opus Juli Alba. 1, 1. Lacedæmoniorum Tarentus. 1, 18. *pro labore quocunque, ut officiis membrorum.* 1, 23. *laboribus militaribus, ad usum militiæ pertinentibus, sic* operibus attriti ignavi milites. 2, 18. *Quod & Sylla fecit apud Plut. in vita cap.* 33. *labore rustico.* 1, 11. opera *pro rebus gestis. sic* opera gerere, *pro res gerere. Præfat.* 1. *Ita Vellei.* 2, 106. Quanti voluminis opera gessimus? *Hoc sensu* divina opera Cæsaris *reperias apud Val. Max.* 9, 2. *& eundem.* 9, 2. C. Cæsar non contentus opera sua Oceani claudere litoribus.

Orbis imperium societate trium principum occupatur. 4, 2. orbis possessor pop. Romanus. 3, 13. orbis terrarum viribus fultus pop. Rom. 2, 18. 4, 3. *Intelligenda autem hæc de* orbe Romano. *ut distinguit l.* 17. *de statu hom. & Marcellinus* 19, 3. *f.* 26, 10. *p.* 26, 12. *m. minus igitur vere Dionys.* 1, 3. orbis alter Britannia. 3, 10. orbe toto divisa Britannia. 3, 10. orbis imperium paribus votis ac viribus Romanus & Pœnus agitant. 2, 2. *Polybius.* 1, 64. Observari potest ambas hasce resp. pares animis inter se fuisse: tum audacia in suscipiendis consiliis; tum magnanimitate; maxime autem de principatu contentione obstinata.

Orchomenos *urbs.* 3, 5.

Ordinare imperium, *constituere. remp.* 4, 3. provinciam, *formare, statum ei aliquem imponere.* 2, 16. 4, 2. *Curtius.* 7, 3. gentem Evergetarum ordinavit. remp. 1, 1. 1, 6. 4, 7. *sic* ordinatis omnibus. 4, 2. ordinare sub signis. *h. e. componere per signa.* 3, 19.

Orgiagontis uxor. 2, 11.

Oricum *urbs.* 4, 2. vastatur. 4, 2.

Oriens. 2, 8. suetus regibus. 2, 20. *Sic Plut. Ant. cap.* 113. *orientales vocat* homines servire assuetos, & regnari quærentes. orientis totius robur in partibus Pompeji. 4, 2.

Oriundus, *qui originem habet.* 1, 5.

Ornamenta Tarquinii pop. Romano dignitatem addiderunt. 1, 8.

Orodes *Albanus.* 3, 5.

Orodes *Colchus.* 3, 5.

Orontes *fl.* 4, 9.

Os caussidici sutum. 4, 12. sub ipso ore Urbis. *h. e. in conspectu.* 2, 15. *Ita Sallust. Incert.* 4, 10. Quo cupidius in ore ducis sese quisque bonum & strenuum ostentantes.

Item

*Item* Jug. 31, 1. incedunt per ora vestra magnifici. *Ita Justinus.* in ora mittere, *h. e. in faciem.* 4, 12. in ora avarorum aurum; crudelium, sanguis infusus &c. 3, 11. ora Oceani, *pro ostiis.* 2, 17. & Ponti. 3, 6. *Sic Tacitus.* 2, 6.

Osca *urbs.* 3, 22.

in Ossibus capitum bibere. 3, 4.

Ostentare. 3, 5 *Hoc verbo fortassis usus Tacitus.* 1, 16. ostentata spe pacis. 3, 21.

Ostia *urbs.* 1, 4. diripitur. 2, 21.

Ostium Oceani. 4, 2. Tiberinum. 3, 9.

apud OTIOSOS facilis invidia. 4, 2.

Otia maris, portus. 1, 16.

Ovatio pedester triumphus. 3, 19. *Symmachus tamen epist.* 10, 22. *equo vectos scribit Ovantes: sicut & Servius ad Æn.* 4, 543.

Oxybii *pop* 2, 3.

## P.

P. Et Ph sæpius mutant invicem. 4, 11.

Pacare, *pro subigere, domare Præfat.* 4, 2. 4, 12. *Hoc sensu* pacare silvas *Horat. epist.* 1, 2.

Pacorus *Parthus.* 4, 9. interficitur. 4, 9.

Pactio, *pro pacto convento.* 4, 12. *pro induciis.* 4, 12.

Padus *fl.* 1, 13. 2, 6.

Pæninsula. 4, 2.

Palantes, *h. e. dispersi.* 1, 17.

Palatinus mons. 1, 1.

Pales Pastoria. 1, 20.

Palladium. 1, 2.

Palmatæ tunicæ. 1, 5.

Paludamentum Cæsaris in fluctibus relictum. 4, 2. paludamentorum apud Rom. origo. 1, 5.

Palus Capreæ. 1, 1, in paludes diffugiunt Germani. 3, 10.

Palustria virgulta. 2, 6.

Pamphylium mare. 3, 6.

Panares *Cretensis.* 3, 6.

Panis usus ignotus Cimbris. 3, 3. panes in summa fame in hostes conjecti. 1, 13. *Adde Cæsar. de bel. civ.* 3, 48.

Pannonii *pop.* 4, 12. vincuntur a Vibio, *vel potius* Tiberio. 4, 12.

Panormus *urbs.* 2, 2.

Papaverum eminentia capita decussa. 1, 7. *Vide etiam* Eminentissimus.

Papirius *L. Cursor* Samnites vincit. 1, 16.

Papyrii Samnitium domitores. 1, 16.

Parætonium *urbs.* 4, 11.

Par debitum poscit fortuna. 4, 2. *deducta locutio a gladiatoribus, qui ita comparabantur. Vide Ind. Just. in eo verbo. sic Lucan.* 7, 695. ---- par, quod semper habemus Libertas & Cæsar ---- *Ita* par calamitatis. 2, 2. par omnibus pop. Romanus. 1, 17. par orbi terrarum. 2, 1. *sic* Alexandro par Manlius Torquatus. *Liv.* 9, 17. *Vide etiam Justinum.* par *pro æquali. sic* Parem non fert Pompejus. 4, 2. inter PARES crebra æmulatio. 2, 17. pari clamore & impetu, *ac ante trepidatione.* 1, 13. pari vecordia, *ac ante veneratione. Ibid.* pari tumultu atque terrore, *ac ante frater.* 13, 15. pari temeritate, *sicut astutia.* 2, 17. pari *cum Numa* ingenio Ancus. 1, 4. pari robore comminuti Albani Romanique. 1, 3. *Confer. Sallust. Jug.* 79. pari audacia & venit Romam, & competitorem imperii conficit Jugurtha. 3, 1.

Parce civibus, *vox Cæsaris.* 4, 2. parce ferro, *vox Annibalis.* 2, 6.

PAR-

PARCENTIS major gloria. 2, 17. 4, 12.

Parens Romæ Alba. 1, 3. Parens frugum Athenæ, *h. e. inventrix.* 3, 5. parens Italicorum quorundam Roma. 3, 18. *Hoc loco* Parens, *si recte cupio, valet propinquam, consanguineam.* Roma *dicitur* Italiæ mater & parens, Mater *ad Colonias pertinet*: Parens *ad reliquas urbes, nationesque. Hoc sensu* parentes *hodieque pro consanguineis efferunt Galli, Hispani, Itali: quod & Latinum esse ostendit exemplum Curtii.* 6, 10. *Apuleji. pr. lib.* 2. Quin, inquit, etiam ipse parentem tuam accedis & salutas: *& lib.* 3. Rogat te, ait, tua parens Byrrhæna. *Petron.* cruciarii unius parentes. *Adde Hotomani verba feudalia. Liv.* 34, 32.

Parentalia fercula. 4, 2.

Parentare Manibus alicuius, *h. e. justa exsolvere.* 2, 6. sibi in antecessum. 3, 31.

Parricidæ, *qui adversus patriam conjurant.* 4, 1.

Parricidale bellum, *pro civili, quia contra patriam communem parentem: etiam quia inter ipsam belli moram, multa parricidia perpetrantur.* 3, 21.

Parricidium Bruti. 1, 9. Horatii. 1, 3. publicum Saguntinorum. 2, 6. *Diverso sensu* publicum parricidium *appellat Val. Max.* 1, 8. *Cæsaris necem, quod ille publicus parens fuerit.* Parricidium, *pro cæde principis.* 4, 7. *Sic apud Curt.* 5, 12. *Senecam de clem.* 1, 9. *& Iustinum.*

Partes, *pro factione, altero dissentientis civitatis membro.* 4, 2. 4, 7. 4, 9. *Inde ad alia quoque translatum. sic* in Partibus, *h. e. ad altera partium* Luna. 3, 5. Tribuni. 3, 13. senatus. 4, 2. in pacis Partes promptus. 4, 12.

Parthicus equitatus. 4, 9. parthicam expeditionem meditatur Cæsar. 4, 2.

Parthi. 3, 5. Crassum vincunt. 3, 11. vincuntur a Ventidio. 4, 9. vincunt Antonium. 4, 11. Augusto signa Crassiana remittunt. 4, 12.

Parthi, *pro regione Parthorum.* 4, 2. *sic Iustinus.*

Partus gravidarum extorti. 3, 4. *Hic* partus *ponuntur pro embryonibus.*

Passiva usurpata ut deponentia. 2, 17. *sic Cicero pro Milone cap.* 13. punitus es innocentes. *Charite apud Apulei. lib.* 7. punita sum funestum nuptiarum mearum prædonem. *Vide Quintilianum.* 9, 3.

Pastor nutricius Romuli. 1, 1. quasi Pastor greges in stabula; sic Helvetios in sedes suas deducit Cæsar. 3, 10. pastores varii in novam Urbem confluunt. 1, 1. pastorum casas abscondit Urbis incendium. 1, 13. ex pastoribus feritas, 1, 22.

Pastorius populus *Romani.* 2, 2. pastorio habitu speculari itinera. 1, 17. pastoria Pales. 1, 20. pastoriæ sectæ innoxia integritas, sine flagitio priores Urbis annos exigit. 3, 13. *Hoc est illud, quod de Scythis dicit Iustinus.* 2, 2. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio; quam in his (*de Græcis*) cognitio virtutis, *& de Germanis Tacitus Germ.* 26, 1. Fœnus agitare, & in usuras extendere ignotum: ideoque magis servatur, quam si vetitum esset.

Patere *dicitur* ætas. *h. e. habere tot annos, per tot annos extendi. Præfat.* 6. *ita* patet tempus *Senec. consol. ad Marc. cap.* 24. imperium. *h. e. extenditur, porrigitur.* 4, 2. *sic Iustinus. Suet. Tib.* 16, 4. *& sic* patescere *apud Tacit. H.* 2, 81. corpora majora magis Patent ferro, *h. e. op-*

*portana sunt.* 3, 10. Vulnera Patent ultra mortem. *Vide* M.

Pater Romulus, *h. e. conditor populi.* 1, 4. pater patriæ Cæsar. 4, 2. Augustus. 4, 14. Super cruentum Patrem carpento vecta Tullia. 1, 7. patres patriæ. 1, 1. m. Patres Senatus appellatio, unde. *Ibidem. Adde Sallust. Car.* 5, 10. & *Dion. lib.* 53. *pag.* 583.

Patratum bellum, *h. e. finitum.* 2, 15. *De hoc verbo Quintilian.* 8, 3.

Patria altera, *urbs caritate proxima post veram patriam.* 2, 6. *Virg.* 11, ---- quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo ---- *Cicero in Verrem.* 4, 8. Tua te altera patria, quemadmodum dicere solebas. Messana circumvenit. *Adde Tacit.* 4, 43. patriam hostium manibus everti malunt Carthaginienses, quam suis. 2, 15. qui Patriam suam seque ipsi perdiderint. 2, 6. 2, 15. 2, 18.

Patrii soli desiderium. 1, 1. 2, 6. patria potestas. 1, 26.

Patricius exercitus, *h. e. constans ex patriciis.* 1, 12. sanguis. 1, 26. vir. 1, 11.

Patrimonium imperii, *pro reditibus & pecuniis publicis.* 3. 13. *sic* patrimonium pop. Romani. 4, 2. *Diversum est* pecunia populi, *in l.* 6. *de contr. empt. Ita* Patrimonium reip. *in l.* 9. §. 5. *de jur.* & *fact. ign.* patrimoniorum discrimina in tabulis. 1, 6.

Patroni caussarum. 4, 12.

L. Paullus *Æmilius* proscribitur à fratre Lepido. 4, 6.

Paullus *L. Æmilius* cos. ad Cannas. 2, 6. comparatur cum Varo. 4, 12.

Paullus *L. Æmilius* cos. 2, 12. Macedonicus. 2, 15.

Pax & pactio differunt, *posterius intelligo de induciis.* 4, 12. PAX nova infida. 4, 12. pacis ac belli fides Janus. 1, 2. pacem agere. 2, 20. dare. 2, 7. 2, 1. emere. 3, 1. habere. 1, 19. pacem non intelligunt Sarmatę. 4, 12. pace & bello promptus. 1, 5. pax fluminis, *pro quiete, cum desiit exundare, & in suum alveum rediit.* 4, 2.

Pecudum in morem clamorem tollere. 3, 8. more sub jugum mittere. 1, 11.

Peculari remp. *h. e. intercipere pecuniam publicam.* 3, 17.

Pecunia mersa ne periret. 2, 12. sparsa in fuga. 2, 5. pecunia Senatus in sententiam Jugurthæ pertractus. 3, 1.

sub Pellibus hiematum. 1, 12. *Tacitus.* 13, 35. hyems acta sub pellibus, *Hieron. Epist.* 2, 6. *Vulcat. Avidio Cassio, cap. ult. Dio apud Vales. pag.* 650. Retentusque omnis exercitus sub pellibus, quamvis hieme sæva. *Livius* 23. Ubi primum sub pellibus haberi cœpti sunt. Pelles *igitur ponuntur pro tentoriis ex pellibus confectis. Hinc apud Val. Max.* 2, 7. *inter pœnas militares recensetur,* ne quis tentorium ex pellibus haberet. *Vide Lips. de M. R.* 5, 5.

Pelusium *urbs.* 4, 11.

Pelusium litus. 4, 2.

in Penatibus domorum suorum 3, 21.

Pendere. sex mensibus Galli circa unum montem Pependerunt, *h. e. hæserunt, morati sunt.* 1, 13. *Sic Virg. Æn.* 5, 151. ---- nostroque in limine pendes.

Penes senes consilium reip. 1, 1.

Penetrare Caucasum, Rhodopen. *h. e. iter per illos montes facere.* 3, 4.

Pensare, *paria facere. sic* Antonianarum navium magnitudo, numerum-

rum navium magnitudo, numerum Cæsarianarum Pensavit. 4, 11. Crassianam cladem Pacori cæde pensavimus. 4, 9. *Quomodo Nero apud Silium.* 15, 806. ---- Cannas pensavimus, inquit. Caput Gracchi percussoribus auro pensatum. 3, 15. *h. e. tantum auri datum iis, quantum penderet caput.*

Per *aliquando transitum significat*, ut per flumen. 1, 10. medias hostium custodias. 1, 13. *aliquando ponitur pro inter. sic* per noctem. 4, 7. *aliquando arguit rationem, quomodo quid gestum sit, & quarto casui jungitur, explicaturque per sextum absolutum. ut* per adulationem. 4, 17. defectionem. 3, 5. insidias. 1, 10. per sacrificia, cohortes manipulos describere, *valet in sacr. coh. man.* 1, 2. *sic* per tribus dividere. 1, 1. per alios atque alios duces, *h. e. aliorum atque aliorum ducum opera.* 1, 12.

Peractum bellum. 4, 2. *h. e. confectum.* urbis excidium, *h. e. absolutum, perpetratum.* 1, 12. *sic Sueton. Claud. cap.* 11. marmoreum arcum peregit. *Justinus.* 32, 3, peregissetque ultionem.

Peragrare, *proprie de terrestri itinere dictum, ad marinum etiam transfertur. sic* peragrare mare. 2, 7, litus. 2, 17. *sic Sueton. Cal.* 37.

Percædere, *pro ad internecionem cædere.* 3, 20. 4, 12. *sic* perdelere *est apud Veget.* 3, 10.

Percellere admiratione. 1, 10. dolo. 3, 10. animos hostis. 4, 2. exercitum. 2, 18. percellere *igitur valet attonare, attonitum reddere.*

Percensere, *h. e. ad finem usque recensere. Præfat.*

Percucurrit. 4, 12. *Suet. Ner. cap.* 3. percucurrit amplissimos honores.

Perculsum imperii corpus. 4, 3.

Percussores Pompeii. 4, 2. domestici. 2, 17. percussoribus *C.* Gracchi caput auro pensatum. 3, 15. percussores immittere. 1, 7.

Percutere fœdus. 3, 11. 4, 10.

Perditi homines, *pro desperatis.* 2, 15. latrones. 3, 6.

Perdomare, *h. e. omnino domare.* 4, 12.

Perdomitus. 4. 12.

Peregrinantur arma Romana, *h. e. in longe dissitis regionibus absunt.* 4, 1.

Peregrinus ad regnum Romanum admissus. 1, 5. *Sic Athenienses sæpius peregrinis ducibus usos, meminit, opinor, Ælianus in Variis. Facit Liv.* 3, 4. *Vopisc. Aureliano cap. III. Rutilius pr. Itinerarii. Plut. Demosth. princ. Tacitus* 11, 24. *Apulei. in apolog.* Non enim ubi prognatus, sed ubi moratus quisque sit spectandum: nec qua regione, sed qua ratione vitam vivere inierit, considerandum. *Auson. de Severo Imp. Lamprid. Alex. cap.* 65. *Leviter emendo Claudianum in simili sententia. locus est de laud. Stilic.* 2, 122. ---- lectos ex omnibus oris Evehis, & nunquam meriti cunabula quæris, Sed qualis; non unde satus. *prius legebatur*; Et qualis, *vitioso sensu. Legem Lycurgi, qua peregrinos civitate arcet, eleganter exponit Agis apud Plut. in vita cap.* 13. *Quæque ex rigida observatione legis istius incommoda secuta sint, latius exsequitur Dionysius* 2, 17. *Sensit hanc invidiam Gregor. Nazianzen. Constantinopoli, Socrat. Hist. Eccles.* 5, 7.

Perfidia Punica. 2, 2.

Perfidum glacie flumen. 3, 4.

Pergameni *pop.* 2, 7.

PERICULA periculis expli-

plicanda. 1, 17. PERICULIS augustiores duces. 4, 12,

Perinde. 1, 13. 3, 2. *h. e. similiter, æque.*

Peritus, *pro experto.* 3, 1. peritus avaritiæ Romanæ Mithridates. 3, 5. *Sic* peritus hostis & regionum. *apud Livium.* 25, 19.

Perlitare. 4, 2. *Cum læta exta erant, & accepta diis videbatur victima, perlitatum esse dicebatur.* egregie litare *vocat Livius.* 9, 14. *De verbo* litandi *vide Salmasium in Solinum pag.* 11.

Permadefacere. 3, 18.

Permiscere, *pro confundere.*

Permittere, *pro committere, concedere.* 1, 3. *Sic* classis permissa omnibus ventis. *Plin. paneg. c.* 35.

Pernices equi. 1, 3.

Perorare in aliquem, *orationem habere in aliquem.* 4, 1.

Perpacare, *idem est quod* perdomare. 4, 12.

Perperna *M.* Aristonicum vincit. 2, 20.

Perperna servos vincit. 3, 19.

Perperna Sertorianus vincitur a Pompejo. 3, 22.

Perpetrare cœpta, *h. e. perficere.* 3, 14.

Perpetuitas. 3, 6.

Perpetuus dictator Cæsar. 4, 2. Augustus. 4, 12.

Persæ. 2, 8. persæ septem. 3, 5.

Perses *Macedo.* 2, 12.

Persici arcus. 2. 8.

Pertinacia Samnitium. 1, 16.

Pervicacissimi hostes. 1, 11.

Perusia *urbs.* 4, 6. obsidetur. 4. 5.

Perusinum bellum. 4, 5.

ad Pedes alicujus provolvi. 4, 11.

Pessumdare, *pro perdere.* 3, 12.

Pestilentia ex fame. 3, 5. *Sic Curtius.* 9, 10. Famem deinde pestilentia secuta est.

Pestis, *pro hominibus noxiis, ut hoc loco de piratis.* 3, 6. *sic dicitur* Clades. *Latro in Catilinaria:* Vigent enim in illa clade res diversissimæ. *Catilinam intelligit. Ita* Scelus, *Plauto Amphitruone.* 2, 1. pestis *autem sæpius. Idem Latro in Cat.* omitto pestis hujus impurissimas voces. *Cicero Philipp.* 5, 6. Hanc pestem agmen armatorum sequebatur. & *Phillipp.* 8, 3. omnes Caphones, omnes Saxæ, ceteræque pestes, quæ sequuntur Antonium. *Sic apud nostrum* Portenta, & Prodigia.

Petrejus dux Pompejanus. 4, 2.

Phaleræ. 1, 5.

Pharnaces *Ponticus.* 3, 5. vincitur a Cæsare. 4, 2. pharnaces *autem dicitur etiam Ciceroni ad Atticum* 11, 21. *alii efferunt* pharnax. *sicut & gentile* Καππαδόκης *Latinis est Cappadox*, etiam Græcis Καππάδοξ *est, auctore Stephano. sic* Pollux *Plauto Bacchid.* 4, 8. *est* Pollux. *Non enim pluralis est ut putabat Sitzmannus in Rutilium versu.* 155.

Pharos *insul.* 4, 2. in ferculis Ægyptii triumphi. 4, 2.

Pharsalia *pro regione ad Pharsalum: aut forsan ipsa urbe.* 4, 2.

Phaselis *urbs.* 3, 6.

Philippici campi. 4, 2.

Philippus *L. Marcius* cos. 3, 17. ambitus postulatus. 3, 17.

Philippus *Macedo.* 2, 7. &c.

Phryges Italia veniunt. 1. 1.

Picentes *pop.* 1, 19.

Picentia *urbs.* 3, 18.

Picenum *regio Picentium.* 3, 18.

Pictæ togæ. 1, 5.

Pignus *dicitur omne quod rem aut caussam securam facit, quoniam ea pignoris proprie dicti virtus est.*

est. sic pignus annonæ. 4, 2. conjurationis. 4, 1. imperii. 1, 2. Liv. 5, 52. & 26, 27. Ita Capitolium pignus imperii vocat Tacitus H. 3, 72. supercilium consulis, pignus reip. Cicero pro Sextio cap. 8. Rutilius Itiner. 2, 55. æterni fatalia pignora regni. Ovid. Met. 6. VI. pignora virgineis fatalia tollite palmis. Seneca 1. controv. III. de incesta de saxo: Veniet ad colendum imperii Romani pignus, etiam si non stupro, at certe carnificis manu incesta.

Piissimus. 4, 7.

Pila ingentia. 2, 7. in elephantos congesta. 1, 18.

Piræeus. 3, 6. piræei portus. 3, 4.

Pirata navalis. 4, 8. piratæ communes gentium hostes. 3, 6.

Piratica rabies. 3, 8. piraticum bellum. 3, 6.

Piso L. Calpurnius Thraces vincit. 3, 4.

Piso prætor vincitur a servis. 3, 19.

Piso L. Calpurnius Thraces vincit. 4, 12.

Pistrix, marinus piscis. 3, 5.

Plaga, pro regione. 1, 16. 3, 2. 3, 5. pro vulnere. 4, 12.

in Plana deducti Ligures. 2, 3. descendere jussi Astures. 4, 12. Orodes. 3, 5. in plana submittere ædes, h. e. quæ in excelso loco posita erant, demoliri; & in planitie ædificare. 1, 9.

Plane quasi. 1, 10.

Plato. 4, 2.

Plaudit populus succumbente gladiatore. 3, 3.

Plaustra Cimbrorum. 3, 3.

Plausus Græcorum recepta libertate. 2, 7. plausus supplicantium signum. 2, 6. plausus est complosio, h. e. concussio manuum, unde & nomen habet.

Plebei magistratus, h. e. ex plebe desumpti. 1, 26.

Plena dignitas, h. e. adulta, perfecta. 4, 4.

Plurimus pulvis. 2, 6. plurimum quantum, sicut immane quantum. 4, 2.

PLUS est in imperio, quam in victoria, h. e. majus emolumentum. 1, 14. in utro plus esset (hominibus captis, an agris) nec ipse victor æstimare potest. 1, 15. PLUS est provinciam retinere, quam facere, h. e. majoris operæ. 2, 17. plusquam bellum. 4, 2. h. e. quod non satis exprimi potest hoc nomine. sic Lucanus 7, 639. ----- plus est quam vita salusque.

Plotius Pompeji legatus. 3, 6.

Pœni in Hispania. 2, 17. pœnorum metus disciplinam Romanam continet. 3, 12.

Polliceri dicuntur omnia, quæ colliguntur & sperantur ex iis. sic victoriam laurus in prætoria nata. 2, 7. pollicentur aves, Urbem bellatricem fore. 1, 1. numina, Romæ firma omnia & æterna fore. 1, 7. Ita Promittere.

Polyxenidas Antiochi præfectus. 2, 8.

Pompeji urbs. 1, 16.

Pompejus Q. fœdus init cum Numantinis. 2, 18.

Pompejus Strabo. Cn. Magni pater rebelles Italos vincit. 31, 8.

Pompejus Cn. Magnus. 3, 12. piratas vincit. 3, 6. &c. Cretenses in deditionem accipit. 3, 7. Asiam subigit. 3, 5. 3, 10. fœdus cum Parthis ferit. 3, 5. 3, 11. contra Sertorium mittitur. 3, 22. Lepidum compescit. 3, 23. fugit a Brundisio. 4, 2. trucidatur. 4, 2. Armenos rectores a Romanis accipere cogit. 4, 12. Pompejus & Brutus

Cassi-

Cassiusque eodem in loco victi.4,7. Pompeji magnitudo. 3, 5. potentia nimia. 4, 2. gesta bello Mithridatico.3, 5. &c. filia interficitur.4 2.

Pompeji juvenes *Magni filii* legati patris. 3, 6. bellum contra Cæsarem instaurant. 4, 2. *Horum natu major*

Cn. Pompejus vincitur a Cæsare.4, 2. interficitur. 4, 2. *minor*

Sex. Pompejus.4,2. paterna repetit.4, 3. ejus bellum & interitus.4,8.

Pompilius Viriatum per insidias tollit. 2, 17.

Pomptinus ager. 1, 13.

Ponere castra, *h. e. castrametari.* 2, 8. 3, 5. 3, 11. 4, 11. pœnas, *pro abolere, desinere.* 3, 21. tentoria, *pro figere, erigere.* 2, 8. Urbem, *pro condere.* 2, 8. *quo loco malim legere*; positam majoribus, *quam* a majoribus. *sic apud Tacitum.* 6, 41. urbes Macedonibus sitæ: *sicut & eundem scripsisse censeam:* 3, 38. Philippopolim Macedoni Philippo sitam. *ita noster* .3,1. urbem Herculi conditam. Ponere *pro condere dixere præter nostrum Tacitus. Vellejus. Virgilius. Varro apud Nonium voce* lavit. *Hinc* positor *pro conditore. Ovid. Metamorph.* 9, 453. ---- in Aside terra Mœnia constituis positoris habentia nomen.

Pons de cadaveribus.2, 6. Milvius. 3, 23. navibus factus. 3, 5. Rheni. 3, 10. Rhodani. 3, 10. sublicius. 1, 10. Ponte committitur Tiberinus. 1, 4. jungitur urbs.1,8. 4,12. jungi mare non potest.2, 2. ponte quasi jugo captus Rhenus.3, 10. ponte reciso Tiberim transnatat Cocles. 1, 10.

Ponticæ gentes. 3, 5. ponticum mare.3, 5. 3, 6. pontici triumphi, Pompeji. 4, 2. Cæsaris. 4, 2.

Pontifex senes Romanos devovet.1, 13. pontifices a Numa instituti. 1, 2.

Pontius *Samnit.* 1, 16.

Pontus *regio.* 3, 6.

Popedius. 3, 18. dux & auctor belli socialis. 3, 10.

Poplicola scribendum, non publicola. 1, 9.

Populari. Ignis populatus incendio silvas. 2, 2.

Popularis, *addictus & favens plebi.* 3, 14. *sic* facta popularia *apud Liv.* 6, 14. *His enim locis populus pro plebe accipitur: quemadmodum & apud Martialem epigr.* 1, 15. & 50. *Suetonius sæpius; cum alioquin differant. Vide* §.4.*Inst. de I.N.G.* &C.

Populus affectator quondam imperii, Macedones. 2, 7. gentium victor, orbisque possessor, Romani.3,13. 3,2. 4,12. Victor omnium gentium populus. *Arellius Fuscus apud Senec. controv. lib. II. controv*: ix. Martius, Rom.3,3. nauticus, Rhodii.2,7. princeps, Rom. *Præfat.* 1,8. 1,26. 2,2. Albani.3,1. princeps gentium, Rom. 3,19. 4, 2. regum & gentium arbiter. 3, 18. rudis & pastorius. Rom. 2, 2.

Populus virorum. 1, 1. *constans tantum ex viris. sicut Amazones, si quæ fuerunt, possis dicere* populum feminarum. *Non igitur videtur pertinere hoc exemplum ad illa, in quibus pro multitudine ponitur* populus. *sicut apud Corn. Nepotem de bel. Troi.* lib. 6. *de Niobe.* ---- quem peperit populum, flevit. *Senec. Nat. quæst.* 6, 32. communes populis cadentibus rogi. *aliosque quos observarunt ita locutos viri docti. quibus etiam nostra lingua Germanica accedit. Vide Lips. ad Senecam. de benef. lib. VI. not.* CCXXX

Porcius Cato legatus Pompeji. 3, 6.

Porcius Cato *M. Uticensis* Cyprias opes Romam vehit. 3, 9. *Vide etiam* Cato.

Porcii Catilinæ socii, 4, 1.

Porsena *Tuscus*. 1, 10.

Porta Collina. 3, 21. Esquilina. 3, 21. Scelerata. 1, 12. portis pœne apertis Carthago capta. 2, 2.

Portenta, *pro hominibus prodigiose sceleratis*. 4, 2.

Portus fossitius Carthagine. 2, 15. inclitus Brundisii. 1, 20. marmoreus Cyzici. 3, 5. Syracusis. 2, 6. Morinus. 3, 10. Pyræei. 3, 5. *Vide* Torrens Vergelli. Tarentinus. 1, 18. portus nobiles Campaniæ. 1, 16. portuum utilitas. 1, 18. *Eam ostendit & Censorini cos. oratio apud Appianum in Punicis.*

Posse. Magis ut Poterat, quam ut debebat. 4, 7.

Post Annibalem quod timeretur, fuit in Jugurtha. 3, 1. Post Carthaginem bellum in Africa. 3, 1. *Emphatice ista proferuntur, quasi diceret; neminem potuiße suspicari, hostem aliquem metuendum esse, victo Annibale; & quidem in Africa, Carthagine deleta, qui hostium maxime erant formidolosi & potentes: cum alias soleat fieri ut validissimis domitis, reliqui sponte in potestatem veniant: quomodo* Post Carthaginem neminem vinci pudet. 2, 7. post Tarentum nemo Italorum bellum audet. 1, 19. quid enim una Post quinque legiones? 4, 2. *itaque cum* post Macedonas Thraces rebellant. 3, 4. *mirabundus addit*; si diis placet.

A. Posthumius Albinus. 3, 1. Posthumius *autem scribendum non* Postumius. *est enim a* posthumo, *non a* postumo *sive* postimo. *Sic apud Plinium*. 14, 12. Numæ regis posthumia lex est: vino rogum ne respergito. *Ubi notare libuit* posthumia *scribendum non per majusculam* Posthumia, *ne gentile videatur: deinde* posthumium *dici, quod ad humatum pertinet, ita enim illam legem capio* posthumiam *ab argumento, sicut alias sunt leges sumptuariæ, annales, vestiariæ, &c.*

Posthumius *A. Regillensis* dictator Latinos vincit. 1, 11.

Posthumius *Sp.* cos. Samnitibus deditur. 1, 16.

Posthumius *M. Regillensis trib. mil. cons. pot.* ab exercitu lapidatur. 1, 22.

Posthumius *A. Albinus cos.* Ligures vincit, 2, 3.

Postilla. 2, 2. *Sic reponunt in versu Plautino Menæchm.* 2, 2. *Dousa pater in Arbitrum.* 2, 14. *& Gulielmius. Et usurpat Plautus in eadem fabula:* 4, 3. & 5, 9.

Postremo, *sicut* Denique. 3, 18.

POTENTIA nimia movet invidiam. 4, 2. FACILIUS crescit quam incipit. 2, 1. *Senecæ. locus citatus, desumptus est ex P. Syro, ille enim:* Facilius crescit quam inchoatur dignitas. POTENTIA quoque beneficiorum gravis liberis. 4, 2. POTENTIÆ cupidis facile convenit de invadenda rep. 4, 2.

Pothinus *Spado*. 4, 2.

Potio ex frumento. 2, 18.

POTESTAS solitudine vel mora corrumpitur. 1, 9. potestas Tribunicia seditionum omnium caussa. 3, 13. potestatem agere. 1, 7. in potestatem redigere. 1, 15.

Potiri, *cum genitivo jungitur, ut* potiri gentium. 1, 1. *cum ablativo, ut* potiri capite. 3, 1. castris 3, 1. *Vide etiam Ind. Iustinian.*

Prae

Præ poculis nescire ubi sis. 2, 10. *impedientibus poculis.* præ tanta victoria leve damnum, *h. e. computatum cum tanta victoria.* 2, 2.

Præbere ducatum sceleri, *h. e. præstare se ducem.* 3, 21. speciem consecrationis, *pro facere.* 1, 1. fauces offocandas, *h. e. offerre.* 2, 11. *Hoc significatu Ovidius Met.* 12, 111. Et se præbentem valuit distringere Cygnum. *Seneca de provid.* 4, 2. præbendi fortunæ sumus. *Liv.* 9. 17. Cyrum longa vita vertenti præbuit fortunæ.

Præcinere *dicuntur tibiæ præcedentes.* 2, 2. *tubæ, ad quarum sonum modumque aliquid fit.* 2, 16.

Præcipitantibus fatis. 4, 2. *h. e. vel urgentibus, & agendi significatu sumitur; velut* præcipitare mentem *apud Virg. Æn.* 2, 3. *vel potius in exitum tendentibus. sicut apud eundem Æn.* 2, 8. nox humida cœlo præcipitat, suadentque cadentia sidera somnos. *falluntur enim, qui de principio noctis exponunt. non enim idem sensus est qui in illis apud eundem Æn.* 2, 250. & ruit Oceano nox *Cæsar de bel. civ.* 2, 5. hiems præcipitaverat. *hoc sensu Sallustius:* præcipiti in vesperam die. *Curtius* 6, 5. præcipiti senectute. *Marcellin.* 19, 18. autumno præcipiti. & 24, 19. vigilia secunda præcipiti. *dixerunt. Ovid Trist.* 1, 3. Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat.

Præcipere, *pro antecapere, præoccupare. sic* fata, mortem, veneno. 3, 9. 4, 12. *Hujusmodi exempla collegit B. Rhenanus in thesauro locut. Taciti pag.* 17. & *seq*

Præcludere maria, *h. e. intuta reddere.* 3, 6.

Præco. 4, 7. in judiciis. 4, 12.

Prædę cupiditate clades accepta. 2, 10. *Eleganter Homerus Il.* 15, 346. *Hectorem facit imperantem sociis:* In naves ruerent, & omitterent spolia. Prædæ negatæ caussa lapidatus imperator. 1, 22. Prædam in antecessum dividere. 4, 12.

Prædicere, *pro præsagire, præsignificare.* 2, 6.

Prædicta conjuratio, *h. e. prodita, indicata.* 4, 12.

Præfecti, *pro legatis.* 3, 6. 3, 7.

Præfecti navium, *Græcis trierarchæ.* 2, 5.

Præferre *vox triumphalis.* 2, 7. *Vide* Fercula. pręferre, *pro præ se ferre. manifeste ostendere.* 4, 2.

PRÆMIA armorum armis defendenda. 4, 2.

Prænavigare, *pro prænavigare.* 3, 8.

Præneste *urbs.* 1, 11. sub hasta venditur. 3, 21.

Prænestina arx. 1, 18.

Præpeditus, *pro impedito.* 2, 8. 4, 11.

Præsagire aliquid animo, *h. e. providere animo.* 1, 4.

Præsagia fatorum. 2, 6.

Præsens, *pro eo quod non differtur* 1, 26. præsentius, *h. e. quod certius demonstraret faventes deos.* 4, 7.

Præsidis unius nutu, quasi anima regitur imperium. 4, 3.

Præsidere regno, *h. e. regem esse.* 2, 7.

Præsidia levia. 4, 2. præsidia detrahere, *h. e. removere, expellere.* 2, 2. dissipare. *fere idem.* 4, 9. in tutelam provinciarum disponere. 4, 12. præsidia, *pro qualicunque auxilio, subsidio. sic* PRÆSIDIA dignitati paranda. 4, 2.

Præsto esse, *h. e. imperata prompte facere.* 3, 5.

Præter spem omnium revirescit impe-

imperium. *Præfat.* præter spem omnium rex fraude præcipuus, fraude capitur. 3, 1.

Prætexta. 1, 5.

Prætextatus filius Scipionis. 2, 6. prætextati senes 1, 23. *Descendunt hæc a verbo* prætexere, *quod vestes illæ purpura* prætexerentur. *Eleganter usus est hoc verbo Virgilius Ciri versu* 319. An nescis qua lege patris de vertice summo Edita candentes prætexat purpura canos?

Prætoria *scilicet navis.* 27. prætoriæ navis lumen. 4, 8.

Premere terga cedentis, *h. e. instare cedenti.* 2, 6. premi fame 2, 18.

Prensare fugientes, *pro comprehendere ut maneant.* 4, 2. *Vide Val. Max.* 3, 2. *Est autem hoc orantis maxime, Tac.* 2, 3.

Precibus negata armis petere. 3, 3.

Pretium *pro quacunque re, quo aliud quid comparatur & quasi emitur. ita* pretium proditionis. 1, 1. victoriæ. 1, 17. 1, 20. pretium fœderis Jugurtham facit Bocchus. 3, 1. in pretium fœderis arma deponere jussi Numantini. 1, 18. in pretium libertatis nulla largitione corrumpitur pop. Romanus. 1, 26.

Prima acies, *quæ proxime hostem est.* 4, 2.

Princeps populus. *Vide* Populus. principes, *pro primoribus cujusque civitatis.* 3, 17. *sic* princeps Ætoliæ Thoas. 2, 8. princeps nobilitatis. 3, 17. *sic* principes Senatus & juventutis *dicti. Quæ nomina honorem & præcellentiam, non autem potestatem arguebant. Postea ab Augusti tempore qui remp. nomine* principis *sub imperium accepit, nomen* principis *dominum significare cœpit. sic* PRINCIPUM discordiæ ministrorum exitio piantur. 4, 6. *Inde*

Principatus, *pro dominatione.* 3, 12.

Principia. 3, 10. 4, 2. *Erant autem loca castrorum, in quibus tribuni mil. jus dicebant, aliaque militaris jurisdictionis exercebant. ut in quæstorio quæstor, imperator in prætorio. Hinc Apulejus de Mundo sub fin. libri.* & (ut *expungo*) scitis ejus (*legis, de qua loquitur*) magistratus tribunalia, principia milites frequentant (*ita velim, non* frequentabunt) *sic* principia numerorum, §. 4. *de* Instinian. *Codice ad Mennam. Vide Latius de his Sigonium de ant. jur. provinc.* 2, 6. *Donatum ad Sueton. Othon. cap.* 6. *Stewech. ad Veget.* 1, 20.

Privatus consulem aggreditur. 4, 4. privatum bellum, *h. e. quod privati gerunt, tanquam non concernens remp.* 1, 12. privatis opibus subventum reip. 2, 6.

Prius, *pro potiori.* 1, 16.

Pro *varias significationes habet aliquando enim denotat ante, vel in. ut* pro Rostris. 3, 21. 4, 2. *quod idem* in Rostris *dicit* 4, 6. *aliquando secundum, juxta. ut* Cæsar pro natura ferox. 4, 2. pro rei atrocitate. 2, 15. pro scelere animadvertendum. 4, 1. non pro cetera felicitate. 4, 2. *aliquando loco. ut* Romulus accipi se jubet pro numine. 1, 1. pro dote. 1, 1 *sæpius ad defensionem, caussa, propter, de. ut* pugnare pro finibus, gloria, imperio, libertate, sociis. 1, 9. 1, 10. 1, 11. 1, 13. 1, 16. pro ultione alicujus, *h. e. ad vindicandum eum.* 2, 2. pro victoria, *h. e. ad consequendam victoriam. Ibidem.*

Proboscis elephanto abscissa. 1, 18. *Plinius.* 8, 7. promuscidem eorum facilime amputari, Pyrrhi prœliorum

liorum experimentis patuit. *Ita ex Græcorum* proboscide, promoscis, & promuscis *in plerisque Latinis exemplaribus. Dicta autem proboscis vel Nonio Marcello teste, quod ante depascat, composito nomine ex* ante & Pascere. *Elephanti nasus est, quo & pro manu utitur: unde* manum *etiam appellant: sicut Orosius eandem referens historiam. De* proboscide *plura Aristo. secundo de partibus animalium. Ista Vinetus.*

Probris aliquem insectari. 4, 4.

Procella belli. 2, 6. *Ita* procella equestris *apud Livium* 29, 2. & 30, 18. *item Tacitum H.* 3, 53. *sic* procellæ tribuniciæ *apud eundem Livium* 2, 1. *Eadem est metaphora quam notavimus supra in voce* Nimbus. *Adde Polyb. apud Vales. Pag.* 182.

Proceritas Teutobocchi. 3, 3.

Procurrere, *pro prominere, sicut excurrere. ita* Clypea procurrit a Punico litore. 23, 2.

Prodigia, *pro rebus insolitis, quibus aliquid portendi creditur.* 4, 2. prodigio simile. *Vide* S. prodigia, *pro hominibus, prodigiose, h. e. ultra modum mortalitatis affectis. ita* prodigia Romana, *pro Romanis incredibilis fortitudinis.* 1, 10. prodigia municipalia, *pro municipibus summe sceleratis.* 3, 18. *Vide supra* Pestis. *Quo pertinet etiam usus vocabuli Lues. Claudianus in Ruffin.* 1, 24. quo tanta lues eruperit ortu. *Seneca Medea versu* 184. Abolere propere pessimam ferro luem.

Prœlium nec spectare potest Antiochus. 2, 8, prœlio uno, &, ut sic dixerim, non toto. 4, 2. prœliis frequentibus comminui 1, 3. *Vide Sallust. Iug.* 79.

Proficere ad stabilitatem pacis, *h. e. assequi quod conferat ad stabilem pacem.* 4, 9. ad profligandam provinciam. 2, 6.

Profligatum, *pro affecto, & pæne confecto. sic* profligatum bellum. 2, 15. urbis excidium. 2, 15. profligata provincia. 2, 6. *quo tamen sensu recte dici negat Agellius* 15, 5. *quem oppugnat Lipsius ad* Tacitum H. 2, 4. *& certe ita reperitur usurpatum aliis etiam non vulgaris notæ auctoribus. Frontinus* 2, 3. victoriam profligavit. *Ibid. exemplo* 20. Quo genere, cum profligare nihil videret. *Seneca de benef.* 7, 13. Hæc quoque quæ venit quæstio, profligata est in prioribus: itaque breviter perstringetur. *Ita aliquoties Tacitus. Porro eandem distinctionem harum phrasium,* bellum committere, profligare, conficere, *qua noster* 2, 15. *utitur, reperias apud Livium* 21, 40. *in fine capitis,*

Profluens, *pro fluvio præterlabente.* 1, 1, *sic* profluentes. 4, 12. *ut dubium mihi sit an forte ita* scripserit Livius. 1, 45. infima valle profluit Tiberis. *ubi vulgo legitur* præfluit, *eodem quidem sensu.*

Profugus feralis tabulæ. 3, 22. *ita supra* fugitivum regni *dixit.* profugus prœlio. 3, 19. 4, 2. a prœlio. 4, 2.

Proludere, *idem quod præludere,* 3, 22. *Seneca* Medea *versu* 907. --- prolusit dolor Per ista noster.

Promittere, *pro portendere, sicut supra* pollicere. *sic* aves & victimæ victoriam promittunt. 4, 7. caput in Capitolii fundamentis repertum, caput terrarum. 1, 7. flamma circa caput Servii, clarum fore. 1, 6. promittere templum diis, *h. e. vovere.* 1, 11.

Propagare bellum hereditarium in posteros, *h. e. transmittere.* 3, 17.

Propitius Oceanus, *h. e, favens, bene affectus.* 3, 16.

Propontis *finus maris.* 3, 6.
Propugnacula classis. 2, 2. *h. e. turres. sic Horat. Epod.* 1, 1. Ibis Liburnis, inter alta navium Amice propugnacula.
Propugnare urbem, *pro defendere.* 3, 10.
Prorogare imperium. 3, 14. *Vide Gracch. ad poster. Sigon. disput. resut. num. XLIV.*
Prorsus ut. 1, 11. *sic supra* Plane quasi.
Proscriptionis Syllanæ tabula. 3, 21. jure belli proposita. 3, 23. ejus effectus. 3, 22. proscriptio triumviralis. 2, 6.
PROSPERORUM nimia continuatio suspecta. 4, 2.
Provincia pop. Romani extrema, media facta 3, 5. provinciam facere. 2, 17. 4, 12. *Vide etiam* F. PROVINCIAM retinere, plus est, quam facere. 2, 17. 4, 12. ex provincia cognomen. 4, 12. provinciæ antiquissimorum Romanorum quales. 1, 11. PROVINCIÆ quædam, ut non in usum, ita ad speciem imperii acquisitæ. 3, 12.
Provolvi ad pedes. 4, 11. provolvuntur Cimbri in Italiam ruina, *h. e. sponte a summis jugis ruunt, & se demittunt, ursorum more.* 1, 1.
Provocare, *subaudi ad pugnam, lacessere.* 1, 3.
Provocatio *h. e. appellatio* a coss. 1, 9.
Provocatus est, *pro provocavit.* 2, 17.
Pseudophilippus. 2, 14.
Ptolemæus rex Ægypti. 4, 2. Pompejum trucidari jubet. 4, 2. perit. 4, 2.
Ptolemæus rex Cypri. 3, 9.
Publice. Hispania non tuetur libertatem suam publice. 2, 17. *h. e. conjunctis viribus: gentes enim Hispanas respectu totius corporis pro privatis habet: sicut habenda sunt imperia regnaque in magna illa* rep. generis humani, *ut Senecæ dicitur. Itaque ridicule facere videntur, qui scita gentium, ex jure aliquo civili aut firmare nituntur, aut infringere, cum jus civile in tali caussa non obtineat nisi locum privati testimonii.*
Publica fides. 3, 1.
Pudenda fœdera. 2, 18.
Pudet. De Verulis & Bovillis, pudet! sed triumphavimus. 1, 11. *Martialis epigr.* 2, 18: Capto tuam, pudet heu! sed capto Maxime cœnam. *Hæc igitur vox in oratione suspendit vocem sensumve turpem aut ominosum: ita* Pulsi fugatique, pudet dicere, hostes. 3, 10. *Livius* 7, 40. in vos, horreo dicere, hostes. *Ovidius Metam.* 9, 530. *in nefariis Byblidis literis magno artificio tertium usque versum nomen ejus protelat:* Hanc tibi amans, pudet, ah pudet, edere nomen &c. *& in eadem fabula (versu* 579. ----- Feras fidissime nostro, Dixit & adiecit longo post tempore, fratri) *eodem tendit.* pudor Curioni suadet, ut amissum exercitum morte sequatur. 4, 2. *Junge exemplum Centenii apud Livium.* 25, 19. *& Asdrubalis Liv.* 3. *lib. XXVII.* pudor Romanus. 3, 1. 3, 20. ò pudor. 2, 6. pudore magis quam virtute resistere. 4, 2.
Puellas captivas restituit Scipio. 2, 6.
Puer non dicendus Augustus. 4, 4. *Non tamen ignominiosa est hæc appellatio si vera sit, & non injuriæ caussa proferatur. h. e. ut simul exprobrentur pueriles ineptiæ, quæ rebus agendis obstant. Ita Propert* 4, 6.

Augu-

Augustus Differat in pueros ista trophæa suos. *Ovidius de arte.* 1, 182. *de Cæsare, ut opinor*: Bellaque non puero tractat agenda puer. *Quid Horatius? qui carm.* 4, 4. *Drusum & Tiberium pueros vocat, jam multarum gentium victores, & adolenscentes* 30. *circiter annorum, ille enim*; Augusti paternus In pueros animus Nerones. *sed puto Poëtam pueri nomine uti pro filio Græcorum more*: *sicut puer Veneris apud Virg. & alios.* pueros captivos restituit Scipio. 2, 6.

